

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

FUNDAMENTALIS.

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

FUNDAMENTALIS,

AUCTORE

THOMA BOUQUILLON,

S. Theolog. Doct. ac Theologiæ Professore in Seminario Brugensi.

ALMA COLLEGE
239.1
LIBRARY
B666
Alma, California

BRUGIS,
APUD BEYAERT-DEFOORT, BIBLIOPOLAM.

RATISBONÆ,
NEO-EBORACI ET CINCINNATII,
APUD PUSTET.

PARISIIS,
VIA VULGO BONAPARTE, 66,
APUD Vam H. CASTERMAN.

BUSCODUCI,
APUD VAN GULICK.

1873.

4974

Imprimatur.

Brugis, 17 Maii 1873.

† J. J. Episc. Brugen.

ALUMNIS UTRIUSQUE SEMINARII BRUGENSIS!

Opus in vestram, Auditores Optimi, utilitatem conscriptum boni volentes accipite. Nullam prætermisimus curam, quominus in eo sinceram Ecclesiæ doctrinam sancte religioseque propositam habeatis. Eam vero methodum sectari conati sumus, qua duplicem ex his *institutionibus* fructum percipiatis, penitiorem scilicet intelligentiam principiorum fundamentalium Theologiæ Moralis, simulque aptitudinem ad materias particulares sive audiendas, sive etiam per vos ipsos perscrutandas. Quem in finem, per totum tractationis decursum, et partibus logice distribuendis, et rebus ipsis perspicue exponendis, et veritatibus præcipuis solide demonstrandis, jugiter pro viribus studuimus; præterea sæpe (immo sæpius quam par fuisset, alicui fortasse videbitur) auctores *classicos* quoad verba citavimus, non solum ut sententiis pondus accederet et explicationibus claritas, sed etiam ut tantorum magistrorum lectioni assuefiatis, animumque inde concipiatis illos deinceps, in quæstionibus saltem difficilioribus, adeundi.

INTRODUCTIO.

I.

THEOLOGIÆ MORALIS NOTIO.

Definitio.

1. Theologia proprie dicta, ut a philosophia distinguitur, est scientia fidei, seu religionis revelatæ. Continet autem religio revelata *veritates theoreticas*, ut mysterium SS. Trinitatis ; *instituta quædam perpetua et fundamentalia*, ut sunt Ecclesia, ejus potestas et forma regiminis ; *leges practicas* observandas et *auxilia* adhibenda ad vitam æternam consequendam. Scientia veritatum quæ sunt theoreticæ et institutorum quæ diximus perpetua et fundamentalia, vocatur theologia dogmatica ; scientia autem legum practicarum quæ sunt observandæ, nec non auxiliorum quæ adhibenda sunt, vocatur theologia moralis. Definiri ergo potest theologia moralis : « *Legum et mediorum quibus homo in suis actionibus dirigitur et adjuvatur ut juxta Dei ordinationem vivat et ad salutem perveniat, scientia revelationi innixa.* »

Distinctio a

2. Ex qua definitione colligitur quomodo theologia moralis differat tum a philosophia morali, tum a jure canonico, liturgico et civili, tum a theologia ascetica et mystica.

Philosophia morali.

a) A philosophia morali differt theologia moralis imprimis *ratione principii cognitionis* quod in philosophia est solum lumen naturale rationis, in theologia vero est supernaturale lumen revelationis ; dein *ratione objecti* quod in theologia latius patet quam in philosophia ; theologia enim multa comprehendit quæ, utpote positiva supernaturali revelatione naturalibus addita, a philosophia nullo modo attingi possunt.

Jure.

b) A jure canonico, liturgico et civili differt theologia moralis tum aliis titulis qui unicuique sunt obvii, tum præsertim *ratione respectus* sub quo objectum aliquando commune consideratur ; nam in jure canonico, liturgico et civili explicatur in specie quænam sint regulæ juxta quas exterius regitur Ecclesia, sacra peraguntur et societas civilis gubernatur, dum, hisce suppositis in theologia morali inquiritur generalius an et quousque eædem regulæ sint obligatoriæ et in conscientia observandæ.

Theologia ascetica.

c) Tandem a theologia ascetica et mystica differt theologia moralis *ratione materiæ et finis.* Moralis enim theologia versatur circa leges et media necessaria ad christiane vivendum ; theologia autem ascetica et mystica disserit de consiliis et viis sublimioribus ad perfectionem acquirendam ; præterea theologia moralis sistit ordinarie in intellectus illustratione, dum theologia ascetica et mystica ulterius tendit ad motionem affectuum.

3. Sunt itaque theologia moralis, jus canonicum, liturgia, theologia mystica scientiæ diversæ ; quia tamen non parva habetur inter easdem affinitas, non semper accurate observantur uniuscujusque limites ; tractari videlicet solent in theologia morali plures quæstiones quæ stricte pertinent ad jus canonicum, liturgiam, theologiam mysticam ; et in his vicissim aliæ quæstiones non paucæ attinguntur quæ ad theologiam moralem essent remittendæ.

II.

THEOLOGIÆ MORALIS FONTES.

4. Quoniam theologia supernaturalis est scientia fidei, seu scientia veritatum revelatarum, sub eo formali respectu sub quo sunt revelatæ, fons proprius ex quo theologus sua argumenta desumere debet, est *verbum Dei revelatum*. Dei autem verbum revelatum custoditur ab Ecclesia et continetur in Scriptura et traditione; Scriptura ergo et traditio duo sunt, sub vivo Ecclesiæ magisterio, theologiæ moralis fontes.

5. Nostrum non est in præsenti ea demonstrare atque evolvere quæ generatim de locis theologicis sunt tenenda (1). Ea autem quæ theologiæ morali sunt peculiaria videri debent fuse exposita in erudita Zachariæ dissertatione prolegomena, ex qua illas animadversiones hic subjicimus quæ nobis momenti majoris videntur.

6. Sacra Scriptura et regulas morum tradit, et exempla vitæ refert. Quantum ad regulas morum, bene semper a theologo distinguantur illa quæ rigorose præcipiuntur ab iis quæ proponuntur per modum consilii (2); inter præcepta autem rigorosa alia sunt morum dogmata immutabilia, alia statuta disciplinaria et mutabilia; prioris speciei sunt v. g. præcepta decalogi, posterioris vero præcepta cæremonialia et judicialia Veteris Testamenti (3); illa veri nominis fontem sacræ morum doctrinæ absolute constituunt, hæc non item statim ac per abrogationem vi obligandi destituta sunt; admittunt nihilominus, etiam in hoc casu, usum aliquem, sed S. Scriptura.

(1) Legatur de hoc argumento præclarissimum opus nuperrime Romæ editum a R. P. Franzelin de divina traditione et Scriptura.

(2) Matth. X. 9, 10. Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 185 a. 6 ad 2.

(3) Cfr. etiam act. XV. 28.

subsidiarium, in theologia morali ; quum enim « omnia in figura contingerent illis (1) » cæremonialibus et judicialibus uti licet ad novæ legis præcepta non quidem stricte et principaliter probanda, attamen apte pulchreque illustranda, vimque eorum augendam ; nec non delicti gravitatem dignoscendam (2). Quod autem attinet ad vitæ exempla, præ oculis habenda est regula S. Aug. (3) : « *Non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores.* » Sicut enim, divina impellente gratia, multa bona ex consilio præstiterunt, ita et infirmitatem humanam experti, aliquando labi potuerunt.

7. Traditio immediate continetur in canonibus conciliorum et in decretis R. R. Pontificum ; mediate autem deducitur ex scriptis SS. Patrum et pastorum Ecclesiæ, ex consensione theologorum, ex usu practico et sensu populi christiani : de quibus nonnulla singillatim sunt dicenda.

Canones Conciliorum.

8. Quantum ad canones conciliorum, distinguat imprimis theologus concilia generalia a conciliis particularibus, quæ iterum sunt partienda in confirmata a Sede Apostolica, et non confirmata ; diversa est enim canonum auctoritas pro diversa indole conciliorum a quibus prodierunt. Habeat deinde ante oculos in conciliis aliquando declarari et definiri veritates revelatas circa mores, quæ proinde omnes ubique et semper respiciunt ; aliquando sanciri leges disciplinares quæ possunt vel omnino abrogari, vel in partibus immutari, vel ad certas regiones aut hominum classes restringi ; aliquando etiam præberi consilia quæ neminem stricte obligant. Sedulo præterea caveat ab adducendis canonibus qui vel authentici vel sinceri non sunt ; quapropter eos afferat ex melioribus quæ recentiori ævo factæ sunt editionibus opera virorum arte critica et eruditione præstantium, non autem

(1) I Cor. X. 11.

(2) Cfr. S. Aug. epist. 55 (al. 119) seu ad inquisitiones Januarii lib. II, cap. 11 n. 21 ; S. Th. 1, 2, q. 102 a. 5 ad 10 ; a. 6 ad. 7.

(3) Contra mendacium cap. 8.

absque delectu exscribat sive ex veteribus theologis sive ex antiquioribus collectionibus in quas tum incuria tum subsidiorum defectu plura sphalmata irrepsere. Tandem doctrinam in canonibus traditam interpretetur ex sensu et more temporum quibus conditi sunt, formulasque ipsas conciliorum exigat ad stylum et barbariem sæculi quo celebrata sunt; neque enim v. g. *communio, impositio manuum*, aliaque id genus sexcenta idem omnibus sæculis significarunt. Patet has ultimas animadversiones non minus respicere decreta RR. Pontificum et scripta SS. Patrum quam conciliorum canones.

Decreta SS. Pontificum et responsa congregationum.

9. Sicut autem concilia definiunt, præcipiunt, consulunt, ita et Apostolica Sedes vel consilia fidelibus præbet, vel disciplinam statuit, vel morales veritates declarat. Advertendum tamen insuper est a RR. Pontificibus aliquando edi *auctoritate infallibilitatis* circa doctrinam de moribus definitiones proprie dictas, quibus consequenter debetur *assensus fidei;* aliquando vero tradi *auctoritate universalis providentiæ ecclesiasticæ* instructiones in praxi servandas quibus præstandus est *assensus religiosus* (1); aliquando demum in peculiaribus scriptis vel epistolis exprimi privatas sententias, quæ profecto reverentiam quidem merentur, non tamen obedientiam

(1) « Sancta Sedes Apostolica cui divinitus commissa est custodia depositi, potestas pascendi universam Ecclesiam ad salutem animarum, potest sententias theologicas vel quatenus cum theologicis nectuntur præscribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas non unice ex intentione definitiva sententia infallibiliter decidendi veritatem, sed etiam absque illa ex necessitate et intentione vel simpliciter vel pro determinatis adjunctis prospiciendi *securitati* doctrinæ catholicæ. In hujusmodi declarationibus, licet non sit doctrinæ veritas infallibilis, quia hanc decidendi ex hypothesi non est intentio, est tamen infallibilis securitas. Securitatem dico tum objectivam doctrinæ declaratæ (vel simpliciter vel pro talibus adjunctis) tum subjectivam quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est, nec absque violatione debitæ submissionis erga magisterium divinitus constitutum fieri potest, ut eam amplecti recusent. » Franzelin op. cit. pag. 116.

exigunt. Documentis ita diversa ratione a Sede Apostolica emanatis, non posse theologum eodem modo uti, omnino manifestum est. Porro a summis Pontificibus heic separari nequeunt Romanæ Congregationes quæ sub duplici respectu considerari possunt, nimirum quatenus Papæ unitæ, se habent ad ipsum per modum instrumenti sive ad prævium ei consilium dandum sive ad ejus definitiones aut leges manifestandas; vel quatenus a Papa distinctæ, non tamen independentes, communicatam ab ipso acceperunt majori vel minori extensione sive potestatem in rebus disciplinaribus et liturgicis, sive etiam pro rebus fidei auctoritatem universalis providentiæ ecclesiasticæ. Ea quæ ad Romanas Congregationes pertinent alibi in specie sunt tractanda; interim ex dictis colligitur facile quanta pro utraque hypothesi ipsarum decretis sit tribuenda auctoritas, et quisnam eorumdem usus in theologia morali.

Opera SS. Patrum.

10. In usu SS. Patrum inspiciat theologus imprimis utrum de re aliqua loquantur tanquam pertinente ad disciplinam ecclesiasticam quæ tractu temporis plurimum immutari potuit, an vero eam habeant ut quæstionem legis divinæ; deinde utrum materiam ex professo examinent, an autem aliud agentes aliquid de ea, arrepta occasione, paucis indicent; præterea utrum sententiam proferant in epistolis, dogmaticis instructionibus, an vero in homiliis, orationibus, asceticis libris, idque genus elucubrationibus, in quibus multa solent quoad formam exaggeratius dici, multaque proponi quæ consilium spectant potiusquam præceptiones; demum utrum multi unanimiter rem asserant, an unus tantum aut alter, an plures in diversam partem abeant: in primo enim casu argumentum habetur cui refragari nefas sit; in altero magna quidem est auctoritas, non tamen apodictica; in tertio rationum gravitas ponderanda est atque expendenda (1).

(1) Cfr. Fessler, Institutiones Patrologiæ tom. I, cap. 1, §§ 14-23; Petavius de theol. dogmatibus prolegom. cap. 2.

11. Non minus in moralibus quam in dogmaticis valere auctoritatem theologorum patet tum ex natura rei, tum ex verbis et factis pontificum, nominatim Benedicti XIV qui in suis bullis juxta eorum doctrinam sæpe fideles instruit, tum ex modo agendi Sanctæ Sedis quæ, quærentibus decisiones in rebus practicis non raro respondet: « consulantur probati auctores » vel similiter. Ut autem etiam in hoc puncto error præcaveatur, diligenter distinguatur casus quo theologi omnes circa aliquam quæstionem moraliter consentiunt, a casu quo diversas tenent sententias. Si consentiant, habetur in hoc ipsorum consensu argumentum tam grave ut generatim a doctrina quam tradunt discedi non possit; ratio est quia si tunc errarent, Ecclesia item errandi periculo exponeretur; sive enim qui confessiones excipiunt, sive qui ad populum concionantur, utrique plebem instruunt prout a theologis audierunt. Diximus « generatim » nam in præsenti hypothesi præ oculis haberi debet materia de qua agitur et modus quo de ipsa sermo fit. Præterea non sunt absque examine accipiendæ formulæ passim apud auctores occurrentes « est sententia communis, communior, communissima » nec nimis fidendum est allegationibus, quum experientia constet vel ab iis qui solent esse accuratiores non raro in hujusmodi peccari. Quod si diversas teneant sententias, eorum auctoritas discutienda est, quæ fundatur in probitate, judicio, et scientia : scriptores his dotibus præstantes vocantur *classici*, quia eorum auctoritas recipitur in scholis et tribunalibus; vel *omni exceptione majores* quibus scilicet objici nequit vel temeritas in adoptandis principiis, vel levitas in argumentando vel negligentia in ponderandis variarum doctrinarum momentis, vel imprudentia in solvendis casibus particularibus. Præter antiquos scholasticos S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Raymundum, Scotum, hujusmodi sunt: S. Antoninus, D. Soto, M. Azpilcueta, Doctor Navarrus, L. Molina, G. Vasquez et Franc. Suarez,

Scripta Theologorum.

« *duo præclarissima Ecclesiæ lumina* » F. Toletus, G. De Valentia, D. Bannez, J. Azor, L. Lessius, M. Becanus, P. Layman, Æg. De Coninck, M. Bonacina, Ferd. Castropalao, F. Sylvius, J. De Lugo « *post S. Thomam inter theologos facile princeps* » P. Sporer, Cl. Lacroix, R. Billuart, Salmanticenses, Busenbaum, Abelly, Wirceburgenses, aliisque omissis, S. Alphonsus, in cujus operibus « *nihil censura dignum repertum est* » quique, cum jam hanc sibi laudem promeritus esset omnino peculiarem, ut Sancta Sedes declarasset « *posse S. Theologiæ professorem opiniones ejus tuto sequi ac profiteri* » nec « *inquietandum esse confessarium qui omnes ejus opiniones sequitur in praxi S. pœnitentiæ tribunalis,* » præterea titulo Doctoris Ecclesiæ auctus est, quia « *errorum tenebras ab incredulis et Jansenianis late diffusas doctis operibus, maximeque theologiæ moralis tractationibus distulit atque dimovit ; obscura insuper dilucidavit dubiaque declaravit, cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum directores inoffenso pede incedere possent* (1). » Porro quando agitur de expendendis auctorum,

(1) Præter multas alias commendationes, triplex habetur S. Sedis judicium circa opera S. Alphonsi. Primum latum est a S. Rituum Congr. die 14 maii 1802 in ordine ad beatificationem, ac declaratum « *nihil censura dignum fuisse repertum et procedi posse ad ulteriora* » quod probavit Pius VII die 18 ejusdem mensis. Alterum latum est a S. Pœnitentiaria die 5 julii 1831 : petierat Card. de Rohan-Chabot, Arch. Vesuntionensis 1) « *Utrum sacræ theologiæ professor opiniones quas in sua theologia morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio tuto sequi ac profiteri possit.* 2) *An sit inquietandus Confessarius qui omnes B. Alphonsi à Ligorio sequitur opiniones in praxi S. pœnitentiæ tribunalis hac sola ratione quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit.* » Monuerat autem Em. præsul : « *Confessarius de quo in dubio non legit opera B. Doctoris nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variæ nituntur opiniones : sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam*

præsertim antiquiorum, opinionibus attendatur oportet num post eorum ætatem inventa fortasse fuerint vetera documenta prius ab ipsis ignorata, vel datæ novæ a Sancta Sede definitiones aut declarationes : inde enim fieri potest ut quod antea obscurum adhuc erat et controversum postea decursu temporis clarum et liquidum evaserit. Nec aliquid decidit de auctoritate alicujus theologi ex eo quod una vel altera ipsius

esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam. » S. Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondendum censuit : « Ad 1) *Affirmative, quin tamen inde reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Ad 2) *Negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum Canonizationis.* » Tertium judicium latum est die 7 julii 1871 quando a S. P. Pio IX de consulto Cong. Rit. S. Alphonsus declaratus est universalis Ecclesiæ Doctor.

Ut horum documentorum verus sensus intelligatur, placet heic exscribere non pauca ex iis quæ sapienter monentur in opere periodico « Acta S. Sedis » vol. 1 et 6.

De primo et secundo judicio ita habet : « Huic iterato S. Sedis judicio, nonnulli videntur multo plus tribuere quam ferat judicium ipsum. Putare enim videntur S. Sedem judicasse veras omnes laudati angelici viri opiniones; vel etiam ex S. Sedis judicio videntur inferre quemlibet prudenter agere si cuivis opinioni S. Alphonsi se accommodet etiamsi cognoscat sive ex propria scientia, sive ex competenti auctoritate opinionem quam sequitur esse evidenter falsam. Quantum autem ejusmodi illationes a judicio S. Sedis distent, ex sequentibus animadversionibus erui posse videtur.

« Utrumque S. Sedis judicium latum non fuit super doctrina considerata *absolute propter seipsam*, sed super doctrina *relative* considerata *propter aliud*. Aliud est enim judicare super doctrina ad ejus dignoscendam et declarandam veritatem; aliud est judicare de doctrina quatenus ea non obstet ad aliquem peculiarem extrinsecum effectum. Si priori modo judicium a S. Sede latum esset non liceret catholico a sententiis S. Alphonsi recedere omnesque diremptæ existimari deberent innumeræ quæstiones quæ inter moralistas et juristas jugiter agitantur. Quinimo in ecclesiasticis quæstionibus, quæ apud publica tribunalia agitantur satis esset ad rem allegare S. Alphonsi auctoritatem et quælibet quæstio soluta dicenda foret; quæ, quantum a veritate sint aliena, unusquisque intelligit. Si altera vero ratione judicium latum sit, mensura quodammodo hujus judicii desumenda est ex indole finis ob quem judicium ipsum latum est.

opinio fuerit postmodum vel rejecta vel etiam damnata; errare enim humanum est; sic quoque SS. Patres constat in quibusdam materiis aliquando minus recta docuisse : negari nihilominus non potest eorum qui post rejectas vel damnatas opiniones scripsere majorem habendam esse rationem in illis quæ ad confixas propositiones spectant vel cum his sunt adfinia.

Porro primum S. Sedis judicium super laudati auctoris operibus latum est ad finem adnumerandi Alphonsum publice inter sanctos utpote virtutibus theologalibus et cardinalibus in gradu heroico præditum. Itaque in examen et ad trutinam opera revocata sunt ut inquireretur an aliquid in eisdem operibus scriptum a servo Dei esset quod actis canonizationis obstaret. Ad quem effectum non inquiritur de sententiarum veritate quæ inter catholicos disputantur vel disputari possunt, sed inquisitio instituitur, an aliquid auctor scripserit quod rectæ fidei et bonis moribus apponatur. (Hic appellatur ad generalia decreta Urbani VIII et ad auctoritatem Benedicti XIV de servorum Dei beat. lib. 2, cap. 28 § 2 et seqq.; deinde pergitur). « Hæc autem multum conferunt ad intelligendum quo sensu accipi debet judicium illud S. Sedis quod emittere solet post operum examen alicujus servi Dei ut procedi possit ad ulteriora. Hoc enim judicium nullimode respicit sententias quæ aliqua gaudent probabilitate, quæque inter auctores disputantur vel disputari possunt. Quod autem ex hoc judicio S. Sedis inferri potest (quod est quidem maximi momenti) illud est nempe unumquemque catholicum qui non valeat ulterius de veritate opinionum inquirere, posse prudenter sequi magistrum et doctorem illum qui nihil scripsit censura dignum quæ obstaret canonizationis actis, quique ob heroicas suas virtutes, judicio Ecclesiæ inter cælites publice adnumerari meritus est, cui proinde cum doctrina non defuit heroica prudentia et subjectio legi Dei et Ecclesiæ ejus. Neque alius videtur esse sensus alterius judicii quod tulit S. Pœnitentiariæ ad secundum quæsitum : cum enim in eo quæreretur *an sit inquietandus* etc. responsum est « *negative, habita ratione* etc. » Quibus verbis aperte indicavit S. Pœnitentiaria prudenter se gerere confessarium illum qui sequitur in praxi S. Alphonsi opiniones, ob solam rationem quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit, ita tamen ut hæc verba « *nihil censura dignum* » intelligantur non absolute sed de ea censura quæ, si adesset, obstitisset canonizationi ejusdem. Quilibet itaque, si grave aliquid non obstet (puta aliqua posterior authentica declaratio qua soluta sit aliqua quæstio vel ex scientiæ moralis profectu aliqua sententia suam amiserit probabilitatem) sese tuto

12. De usu practico et sensu populi Christiani, pauca dicenda habemus. Usui illi ac sensui, ad quos cæteroquin semper cum prudentia provocandum est, tunc præcipue vis inest quando cohærent cum suis legitimis et connaturalibus causis, nimirum libris ad instructionem fidelium cum approbatione Ecclesiæ editis, inter quos primo loco veniunt catechismi. Sensus practicus.

13. Ex præcedentibus liquet ad theologiam moralem etiam

accommodare potest doctrinæ S. Alphonsi, sibi videlicet doctrinam hujus docti ac sancti episcopi adscribens qui sanctitate præfulgens non minus scientia quam morali prudentia præstitit : ita tamen ut dicendi non sint imprudenter agere qui alias sententias sequantur (servata semper prædicta exceptione) quæ ab aliis probatis in Ecclesia auctoribus docentur. Quibus consona est responsio S. Pœnitentiariæ priori quæsito data. Cum enim quæreretur « *utrum S. Theol. prof.* etc. » responsum est « *affirmative, quin tamen inde* etc. » ex qua responsione, qua declaratum est S. Alphonsum esse *unum ex probatis auctoribus*, cujus opiniones qui sequitur, tuto agit, non recte aliquis inferret per particulam *tuto* in dubio expressam declaratas fuisse veras omnes laudati episcopi sententias et opiniones; quod dignoscitur ex altera responsionis parte, qua reprehendendi non sunt qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Nemo enim ignorat ipsos probatos in Ecclesia auctores, usuque receptos diversas et contrarias interdum tradere opiniones, quas utpote probabilitate gaudentes, nemo qui eas sequitur reprehensione est dignus. Pariter ex eadem particula *tuto* non bene quis inferret licere cuilibet S. Alphonsi opinionem sequi, quamvis cognoscat sive ex propria scientia sive ex competenti auctoritate, opinionem quam sequitur esse evidenter falsam nullaque amplius probabilitate gaudere. Namque S. Pœnitentiariæ responsio non innititur principio scientiæ quatenus scilicet quidquid docuerit S. Alphonsus verum sit, sed innititur aliis extrinsecis prudentialibus rationibus, ob quas, qui ejusdem sequitur sententias, prudenter ideoque tuto agit. Quæ rationes illæ sunt quas paulo ante indicavimus, quæque in defectu scientiæ subrogantur ; videlicet quivis prudenter ideoque tuto agit, si propriam sibi doctrinam faciat, usu in Ecclesia receptam, quam vir doctus et prudens, maxime si recens sit et sanctitate præfulgeat, docuit. Cum vero dictum prudentiæ principium subrogetur defectui scientiæ, exceptionem pati dicendum est, quoties evidenter nobis constet aliquam auctoris quem sequimur, sententiam, falsam esse nullaque probabilitate gaudere.

« Hæc omnia dicta intelligantur non ad detrahendum (quod absit) auctoritati tanti viri, cui per hæc quæ diximus nihil detrahimus ; sed ut justo

utiliter applicari posse ea quæ summus Pontifex Pius IX 21 decembris 1863 scripsit ad Archiepiscopum Monachiensem: « Persuadere nobis volumus noluisse (eos qui conventui Monachiensi interfuerant) obligationem qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur coarctare in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur... Namque etiamsi ageretur de illa subjectione, quæ fidei divinæ actu est præstanda, limitanda tamen non esset ad ea quæ expressis œcumenicorum conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Sedis Apostolicæ decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quæ ordinario totius ecclesiæ per orbem dispersæ magisterio tan-

pretio habeatur S. Sedis judicium : quidquid enim ultra veritatem protenditur, error est qui, quantum fieri possit, declinari debet. »

De tertio judicio hæc adnotat : 1) « Doctoris Ecclesiæ titulum illis luminariis ex universali veluti Ecclesiæ consensu, ab antiquis temporibus fuisse tributum qui sanctimonia vitæ refulgentes, suis scriptis Ecclesiam universam aliquomodo illustrarunt. 2) Non enim propter seipsos Doctores sunt appellati, sed propter Ecclesiam cui præclare inservierunt, sive in confutandis invalescentibus erroribus, sive in illustrandis Sacris Litteris,sive in explanando Revelationis deposito sive in dirigendis moribus. 3) Eminentiam ideoque doctrinæ (quæ in nonnullis Ecclesiæ doctoribus fuit vere angelica) non fuisse *absolute* consideratam ut doctores appellarentur, sed *relative* ad magnum aliquem effectum quem pro varia Ecclesiæ conditione præclaro ingenio, sanctimonia et doctrina sunt consecuti. 4) Quare inter Ecclesiæ doctores, si doctrina absolute considerata inter ipsos comparetur, gradus ita distinguuntur, quemadmodum in firmamento astra majora et minora ; qui tamen omnes pro rerum conditione universam illuminarunt Ecclesiam. 5) Hoc bonum proinde in Ecclesiam collatum esse præcipuum argumentum ad sanctum virum titulo Doctoris Ecclesiæ decorandum ; quod per se aperte significat eam doctrinæ eminentiam quam hac de causa quærit Ecclesia. 6) Inde pariter colliges frustra ejusmodi causas penes S. Sedem promoveri ad obtinendam formalem Doctoris declarationem nisi jam præcesserit aliquod Ecclesiæ suffragium quod ejusmodi reale bonum significaverit. 7) Hæc omnia abunde reperiri in S. Alphonso de Liguorio qui *sanctitati vitæ præstitit et suis copiosis scriptis, præsertim in re morali, adeo refulsit, ut extincto universim fere practico jansenismo totius propemodum Ecclesiæ suffragium sit promeritus, meritoque habendum Ecclesiæ doctorem prudentiæque moralis nostro ævo parentem.* »

quam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur *de illa subjectione qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur* qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri agnoscere debent, *sapientibus catholicis haud satis esse ut præfata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subjiciant tum decisionibus quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ, quanquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.* »

Humana ratio.

14. Quod demum attinet ad usum rationis in theologia, audiendus est S. Thom. (1). « Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinæ, eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est..... Locus qui fundatur super auctoritate divina est efficacissimus. Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana non quidem ad probandam fidem..... Sed ad manifestanda aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei. » Videlicet ratio humana veritates morales rite exponit, convenienter illustrat, contra impugnatores solide defendit, atque peculiariter etiam in usus practicos evolvit et explanat; ipsius etiam est singulas doctrinas aptis formulis determinare atque in ordinem redigere seu systema cognitionum moralium efformare.

(1) 1, q. 1, a. 8.

III.

THEOLOGIÆ MORALIS METHODUS.

Triplicis methodi expositio.

15. Methodum dicimus formam qua tractantur res morales; est autem methodus triplex: prima vocatur *positiva*, altera *speculativa* seu *scholastica*, tertia *casuistica*. In methodo positiva, theologus potissimum studet veritates morales ex fontibus theologiæ propriis, probare et confirmare, rectoque ordine exponere; in speculativa autem, veritates morales ex theologia positiva ceu jam probatas desumit, totusque in eo est ut eas principiis etiam philosophiæ illustret, intimos earum nexus internasque rationes declaret, atque per argumentationem legitimam ex eis conclusiones deducat; demum in casuistica methodo, potius satagit generalia morum principia ad casus particulares in vita occurrere solitos applicare, necnon quæstiones practicas juxta hæc principia rite discutere atque resolvere.

Unius cujusque merita.

16. Unicuique methodo sua insunt merita. Positivam omnes catholici adprobant atque laudant; scholasticam ab injustis vituperationibus sæpe defenderunt summi Pontifices, Pius VI contra Pistorienses in bulla « Auctorem fidei » n. 76 Gregorius XVI contra Georgium Hermes in brevi diei 26 septembris 1835, Pius IX contra Guntherianos in brevi diei 15 junii 1857 ac novissime in syllabo n. 13. De casuistica ita loquitur S. Alphonsus: « *Asserunt satis esse notitiam principiorum et sufficere ad theologiam moralem comparandam eos tantum libros pervolvere qui eruditionis specimen præ se ferentes in generalibus principiis totam hujus longæ artis seriem consistere putant, necessariis quæstionibus dubiisque prætermissis, celebriorum auctorum auctoritates elate et inepte despicientes: sed prorsus falluntur. Principia enim pauca sunt et nota*

unicuique vel primis rei moralis rudimentis imbuto. Maxima quippe hujus scientiæ difficultas in hoc consistit ut principia ad casus particulares bene applicentur et diverso modo, prout diversæ occurrunt circumstantiæ, ex quibus resolutionum pendet variatio. Hoc utique est in quo auctores nostri laborant ut ex principiis particulares resolutiones deducant. Et ideo versantur in pluribus dubiis enucleandis, tot voluminibus practicas quæstiones fuse pertractantibus, de quibus nec mentionem facere dignantur, undique declamando futile quiddam esse, hos pueriles casusculos agitare. Sed negare non possunt quotidie difficiles et novos casus accidere; ac propterea adeundi sunt auctores illi in quibus hi casus discussi inveniuntur; ipsi vero nihil facientes doctorum auctoritates, et omnino audacterque deferentes soli proprio judicio, istud unicum semetipsorum judicem constituunt (1). »

Una non separanda ab altera.

17. Ut tamen theologia habeatur completa, positiva, speculativa et casuistica methodus simul sunt adhibendæ et permiscendæ, quod et de facto præstiterunt magni magistri Suarez, Vasquez, Lugo, et necessarium videtur ut veritates morales non solum possint prudenter applicari, sed etiam pro opportunitate contra tot systemata morum sive hæretica sive rationalistica hodie excogitata, solide defendi, ethicæque christianæ præ quacumque alia, pulchritudo et profunditas ostendi. Porro finis iste obtinebitur etiamsi res cum debita brevitate tractentur, modo nonnulla observentur. Imprimis in parte *positiva*, recurrendum est ad fontes theologicos *sobrie* et *serio*; sobrie, ne textus congerantur, auctoritates allegentur rationes intrinsecæ adducantur ad ea confirmanda quæ a nemine negantur, quod intemperantis est ingenii, eruditionisque famam captantis; serio, ne res acta censeatur

(1) In diss. de usu moderato opinionis probabilis.

statim ac loca quædam scripturæ vel SS. Patrum quocumque modo in medium prolata fuerint. Deinde in *speculativa*, essentialia ab accidentalibus sunt distinguenda; non enim voces omnes ab antiquioribus usurpatæ sunt semper retinendæ, nec adoptandus idem disceptationis ordo, nec adhibendæ eorum formæ et argumentationes. Demum, si bene observentur quæ in præcedentibus de fontibus dicta sunt, in *casuistica* facile vitabuntur vitia in quæ nonnulli olim lapsi dicuntur.

Regula pro theologo.

18. Quum autem non raro contingat ut, omnibus etiam mediis sincere adhibitis, certitudinem obtinere, non valeamus, in theoria quidem et inquisitione veritatis audiendus est S. Bernardus docens: « *Distinguendum sane inter manifesta et dubia, nec illa scilicet adduci in dubium, nec ista temere affirmari* (1) » illudque observandum quod graviter et sapienter cum Innocentio XI, monuit Benedictus XIV « *ne videlicet tanquam definitum ab Ecclesia proponatur quod nondum definitum est, et ne illiberaliter traducantur propositiones super quibus S. Sedes nondum judicium protulit* » quo sane agendi modo « *turbæ in Ecclesia excitantur, dissidiæ inter doctores aut seruntur aut foventur et christianæ charitatis vincula persæpe abrumpuntur* (2) » in praxi autem et applicatione, sequenda regula S. Alphonsi quod « *nulla sit obligatio nisi de ea certo moraliter constet* » quod « *lex incerta certam non possit inducere obligationem* » quod « *hominis libertas, cum certa sit possideatque ante legis promulgationem, non nisi a lege certa ligetur* (3). » Verum de hoc alibi fusius.

(1) In cantica serm. 17.
(2) Const. *sollicita et provida.*
(3) Syst. mor. variis locis.

IV

THEOLOGIÆ MORALIS PARTITIO.

Divisio generalis

19. Duas theologia moralis complectitur partes, alteram *generalem* in qua de præambulis agitur, principiisque omni materiæ communibus, *specialem* alteram in qua singillatim tractantur quæstiones particulares : hæc autem rursus dividitur in duas alias quarum prior *leges sequendas* pro objecto habet, posterior *auxilia adhibenda* ad æternam vitam consequendam.

Theol. mor. fundamentalis.

20. Hanc theologiæ moralis partitionem non arbitrariam esse sed in rerum natura fundatam, patet vel ex superius data ejusdem definitione. Cum enim Theologia moralis sit scientia *legum* et *mediorum* quibus homo in suis *actionibus* dirigitur ad salutem, ante omnia consideretur oportet *quales* esse debeant *hominis actiones* ut sub dominio legis cadant eaque dirigi possint; dein quænam in *ipsa lege*, ut vim suam ad hominem dirigendum habeat, generatim conditiones exigantur; tum quomodo lex *ad actionem sit applicanda*, postremo quis sit *effectus* ex legis ad actionem applicatione consequens. Primum efficitur in tractatu de *actibus humanis*, alterum in tractatu de *legibus* quæ sunt regula humanarum actionum remota, tertium in tractatu de *conscientia* quæ est earumdem actionum regula proxima, quartum demum in tractatu de *moralitate*. Solent quidem theologi hos tractatus paulo aliter distribuere : agunt enim imprimis tum de actibus humanis in se spectatis, tum de generalibus moralitatis principiis; deinde de conscientia, postea de legibus, tandem de peccatis : hæc autem distributio nobis minus placet quia intrinseco rerum ordini satis conformis non videtur atque

idcirco expeditæ quæstionum expositioni non favet. Quidquid vero de hoc sit, evidens est his quatuor tractatibus constitui eam theologiæ moralis partem quam merito vocare possumus sive *generalem*, sive *fundamentalem*, siquidem in ea traduntur *generalia* principia, quibus tanquam *fundamento* resolutiones particulares quæcunque innituntur.

Prima pars theologiæ moralis specialis, decalogalis.

21. Priori theologiæ moralis specialis parti omnes eamdem assignant materiam; in ea tamen evolvenda diversa ratione procedunt; alii enim directe respicientes ipsas morum regulas sive leges quibus humanæ actiones diriguntur, successive percurrunt decem decalogi præcepta, præcipua præcepta Ecclesiæ, et demum illa quæ pertinent ad status particulares; alii vero directe potius respicientes speciem moralitalis seu classem virtutum ad quam reducuntur actiones præceptæ, agunt de tribus virtutibus theologalibus et de quatuor cardinalibus, nec non de aliis cum eisdem connexis. Posterior hæc procedendi ratio theoretice præferenda videtur ut magis accommodata ad scientiæ exigentiam; prior tamen majorem pro praxi præbet facilitatem quum in ea res theologice eodem modo discutiuntur quo applicantur tum in tradenda fidelibus catechesi, tum in excipiendis eorum confessionibus : quæ fortasse causa fuit cur multo communius adhibita fuerit præsertim ab illis auctoribus qui moralem separatim a dogmatica tractaverunt. Non pauci demum utraque via progressi sunt.

Secunda pars theolog. mor. specialis, sacramentalis.

22. De altera theologiæ moralis specialis parte nulla est difficultas, quum eamdem materiam eadem prorsus ratione omnes explicent, agentes videlicet de omnibus sacramentis simul quantum ad communia, et de septem successive sacramentis quantum ad ea quæ singulis sunt particularia. Porro tractatui de pœnitentia, propter materiæ affinitatem non raro adnectitur tractatus de indulgentiis. Et hæc dicta sint ut unico conspectu videamus non tantum totius moralis theolo-

giæ objectum et materiam, sed etiam mutuum inter omnes ejus partes habitum, earumque logicum nexum.

V.

THEOLOGIÆ MORALIS HISTORIA.

Tres epochæ.

23. Tres in historia thologiæ moralis apte distiguuntur epochæ: prima ab initio Ecclesiæ usque ad tempus quo introducta est scholastica; altera a primordiis scholæ usque ad concilium Tridentinum; tertia a concilio Tridentino ad nostram usque ætatem.

Epocha Patrum.

24. In prima epocha, veritates morales nondum sunt scientifice in corpus aliquod doctrinæ redactæ, sed separatim, absque ullo inter se nexu, explicantur sive in *apologiis contra ethnicos*, quod multa cum laude præstiterunt S. Justinus, Athenagoras, Tertulianus; sive in *instructionibus pro christianis*, cujusmodi sunt Clementis Alexandrini Pædagogus, Stromata, et aliud opus de recto divitiarum usu; S. Cypriani de lapsis, de oratione dominica, de habitu virginum, de opere et eleemosynis, de zelo et livore, de bono patientiæ; S. Gregorii Nysseni de perfecta christiani forma; S. Augustini liber de mendacio, liber contra mendacium, liber de Agone Christiano, liber de moribus Ecclesiæ catholicæ, Enchiridion ad Laurentium de fide, spe et charitate; Sive in *homiliis ad populum fidelem*, in quibus excelluerunt S. Joannes Chrysostomus, S. Basilius, S. Gregorius Magnus; sive in *admonitionibus specialibus ad clerum* quales sunt S. Joannis Chrysostomi libri sex de sacerdotio, S. Ambrosii de officiis, S. Gregorii Magni de cura pastorali; sive in *epistolis doctrinalibus*, sive demum in *explanationibus SS. litterarum*, prout sunt S. Ambrosii libri II de Cain et Abel, libri II de Abraham, libri II de Jacob et anima

beata, liber de Elia et Jejunio; S. Gregorii Magni Moralia in Job etc. Quamvis autem toto hoc tempore potissimum adhibita fuerit methodus positiva, speculativa tamen etiam exculta est, nec neglecta fuit casuistica, ut patet ex quæstionibus quas magno studio perpendunt scriptores ecclesiastici, v. g. an licitum sit in exercitu imperatorum gentilium militare, in persecutione fugere, injustum aggressorem occidere, in aliquo casu mentiri, nominatim utrum bona intentione mendacium sit admittendum, an mentiendum ne prodatur homicida vel innocens ad mortem quæsitus, ad evitandum stuprum, ad ædificandam religionem, ad succurrendum ægroto gravi morbo periclitanti etc. Huc etiam pertinent canones pœnitentiales SS. Patrum et conciliorum quos legere possumus apud Zachariam in citata dissertatione prolegomena.

Epocha Scholasticorum.

25. Integrum doctrinæ moralis systema epochæ secundæ debetur, sub qua veritates non solum theoreticæ sed etiam practicæ, ordine cohærente jam fuerunt traditæ. Hac porro ætate, præsupposita quasi parte positiva ex opere Petri Lombardi in quo *præcipuæ SS. Scripturæ sanctorumque Patrum sententiæ collectæ reperiebantur*, doctores toti erant in Ethica simul cum dogmatica speculative illustranda ope philosophiæ Aristotelicæ; qua in re, labore, diligentia et ingenio præ cæteris eminuerunt Alexander de Hales, B. Albertus magnus, S. Thomas, S. Bonaventura et Scotus. Ad casuisticam autem pertinent *summa de casibus pœnitentialibus* S. Raymundi de Pennafort; *speculum morale* Vincentii Bellovacensis; *summa major seu confessariorum* Joannis Friburgensis; Astensis *summa de casibus conscientiæ; summa casuum conscientiæ aurea et Monaldina dicta; Pupilla oculi* Joannis de Burgo; Joannis Charlierii de Gerson *opusculum tripartitum de præceptis decalogi, de confessione et de arte moriendi; consolatorium timoratæ conscientiæ, præceptorium et liber de contractibus mercatorum* Joannis Nider; S. Joannis Capistrani *speculum con-*

scientiæ ; summa theologica et summa confessionalis S. Antonini ; *summa Angelica*, etc.

26. Epocha tertia comprehendit tres periodos omnino distinguendas. Prima quæ a concilio Tridentino per spatium unius fere sæculi sese protendit usque ad Jansenismum, vere dici potest theologiæ moralis ætas aurea. Tunc enim, discussa penitus quæstione de probabilismo, systematice explicata fuerunt fundamentalia principia Ethicæ, quæ etiam tota accurate tradita non est solum in doctissimis commentariis in S. Thomam aut Magistrum, sed etiam separatim a dogmatica tum in summis et compendiis a Navarro, Toleto, Sa, Busenbaum, tum ampliori forma a Layman, Azor, Castropalao, Filiucio, Sayro, Bonacina, aliisque bene multis; de singulis præterea materiis editi sunt magni tractatus in quibus omnes quæstiones sub quocumque respectu positive speculative et practice resolvuntur, cujusmodi sunt, aliis omissis, opera L. Molinæ de jure et justitia, Thomæ Sanchez de matrimonio, Suarezii de legibus, de virtute religionis, de fide, spe et charitate; L. Lessii de jure et justitia ; J. De Lugo de fide, de justitia et jure, de sacramento Eucharistiæ, de Pœnitentia ; Æg. De Coninck de Sacramentis. In altera hujus epochæ periodo tristia valde experta est theologia moralis propter acerrimas controversias opera Jansenianorum excitatas. Sicut enim eorum dogma de vulneribus lapsæ naturæ, ac præsertim de ignorantia invincibili stare non potest cum fundamento ethicæ christianæ, ita consectaria quæ ex suis principiis isti hæretici in praxim deducebant, quæque illuc directe pertinebant ut jugum præceptorum redderetur importabile, et auxilium sacramentorum evaderet nullum, omnino adversantur regulis quibus doctores catholici fidelium mores dirigebant. « Porro ut suis ipsorum ad illud usque tempus inauditis placitis faciliorem viam sternerent, sententias passim in scholis receptas ceu morum corruptelas ; opinionum varietatem ceu artem versutiamque novas regulas in

Epochæ re centiorum.

Periodus pri ma.

Periodus se cunda

pravæ cujusvis cupiditatis gratiam procudendi, doctores demum ipsos quos in contemptum casuistas vocabant, traducere solebant ceu totidem cæcos duces qui christianam plebem per tenebricosum iter in imum barathrum detraherent. Quæ quidem cum incitatissimo stylo tum voce tum calamo prædicarentur, acerrimis ubique intermixtis declamationibus, atrocibusque conviciis, quæ ex vehementi puræ doctrinæ affectu et laxitatum implacabili odio exorta videri possent » mirum quot homines cæteroquin boni his artibus incaute in errorem abducti atque decepti fuerint (1). Interea tamen sanæ et antiquæ doctrinæ sui non defuerunt assertores ac propugnatores, iique egregii præsertim ex Societate Jesu quæ semper tum Jansenismo tum rigorismo fortiter adversa stetit : horum præcipui sunt G. Gobat, Pallavicinus, Ven. Paulus Segneri, J. Platel, Ant. Terillus, L. Abelly, Joannes De Cardenas, D. Viva, B. Francolinus, Cl. Lacroix, Sporer, Holzman, Reiffenstuel, Elbel, Reuter, Voit, Mazzota etc. Quamvis autem intumescentem doctrinæ rigorem penitus reprimere non valuerint, non parum tamen etiam in istis circumstantiis scientia moralis profecit tum ex ipsis controversiis quarum occasione plures sententiæ enucleatius propositæ fuerunt, nonnulli abusus vitati, majorque diligentia ac prudentia in quibusdam capitibus adhibita; tum ex decretis RR. Pontificum per illud tempus datis quibus vel omnino solutæ fuerunt quæstiones hucusque disputatæ vel saltem assignati limites ultra quos progredi fas non esset. Quum hæc ita se haberent, tandem nova periodus felicior incœpit cum S. Alphonso ; in his enim difficillimis rerum adjunctis, immensa D. O. M. misericordia, ortus est vir ille, eruditione juxta ac sanctitate conspicuus, qui « primo quidem rejectis scholæ in quam inciderat præjudiciis (2), contemptis deinde præpotentis

Periodus tertia.

(1) Ballerini in diss. de mor. syst. S. Alph.

(2) Syst. mor. n. 83. Cfr. Card. Villecourt, hist. S. Alph. lib. 6, cap. 5.

adversæ factionis clamoribus (1) ferreum jugum excutere et infringere ausus est ; ac doctrinas quas catholicæ scholæ veluti per manus transmiserant, magna saltem ex parte redintegrare, suumque doctoribus immerita infamia aspersis honorem restituere feliciter est aggressus (2). » Ejus autem cœptis constanter favit Sedes Apostolica, virisque doctis animos addidit ut « *majori usque alacritate operam in saluberrimis S. Alphonsi scriptis magis in dies promulgandis impenderent, quorum lectio non solum christianæ plebi, sed etiam ecclesiasticis viris, animarum præsertim curæ et regimini addictis maxime prodesse potest* (3). » Unde factum est ut auctores qui a triginta vel quadraginta annis libros de theologia morali ediderunt, S. Alphonsum vel exscripserint et in compendium redegerint, vel saltem præcipuum magistrum secuti fuerint, atque ita « *salutares sanctissimi ac doctissimi viri doctrinæ magis magisque propagentur, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animi imbuantur* (4). »

(1) Syst. mor. n. 87. Cfr. Card. Villecourt, l. c.

(2) Ballerini, citata diss.

(3) Cfr. Litteræ Pii IX ad P. Hugues versionis operum S. Alph. in linguam germanicam auctorem.

(4) Cfr. Breve Pii IX ad Petrum Scavini.

THEOLOGIA

MORALIS FUNDAMENTALIS.

LIBER I.

DE ACTU HUMANO.

PROÆMIUM

DE NOTIONE ACTUS HUMANI.

Hominis potentiæ.

27. Omissis iis quæ pertinent ad vitam vegetativam, tres in homine distinguntur potentiæ, *cognoscendi*, *appetendi* et *exequendi;* inter quas ille existit ordo ut potentia appetendi utatur tanquam instrumento potentia exequendi seu facultate motrice, et dirigatur a potentia cognoscendi, cujus tamen actus etiam vicissim imperat. Porro in potentia cognoscendi duplex est gradus, *sensus* et *intellectus*, cui duplici gradui in potentia cognoscendi duplex respondet gradus in potentia appetendi, videlicet *appetitus sensitivus* et *appetitus intellectivus*. Appetitus sensitivus homini communis est cum brutis, unoque vocabulo dici potest *spontaneitas;* appetitus vero intellectivus est homini omnino proprius et vocatur *voluntas*.

Libertas.

28. Voluntatis proprietas nobilissima est *libertas* ; hæc nimirum non est potentia seu facultas proprie dicta sed est alicujus potentiæ proprietas seu qualitas; proprietas autem est

solius voluntatis in qua formaliter residet, non aliarum potentiarum quæ extrinsece tantum dici possunt liberæ, videlicet prout in exercitio a libera voluntate dependent. Jam vero consistit libertas in eo quod, *positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit voluntas pro libitu velle aliquid vel ejus oppositum;* distinguitur autem in libertatem *contradictionis, contrarietatis* et *specificationis:* posse pro libitu velle aut nolle rem aliquam libertas est contradictionis, quum res et rei ipsius negatio opponantur contradictorie; posse pro libitu velle unum e duobus contrariis est libertas contrarietaris; denique posse pro libitu velle unum ex iis quæ opponuntur disparate, est libertas specificationis. Patet adesse aliquando posse libertatem contradictionis vel specificationis quin tamen adsit libertas contrarietatis; atque ideo minus accurate definiunt libertatem illi qui dicunt eam esse potentiam peccandi vel non peccandi (1). Porro humanam voluntatem in præsenti vitæ statu reipsa triplici illa gaudere libertate contradictionis, contrarietatis et specificationis tum in appetitione bonorum particularium, tum in mediorum ad illa bona electione, veritas est non solum rationis probata ex consensu humani generis, ex testimonio intimi sensus, et ex natura rei (2) sed etiam fidei quam tradunt SS. litteræ (3), docent SS. Patres (4), definiunt Concilia (5). Diximus autem: *In præsenti vitæ statu;* in statu enim futuræ vitæ perfectæque beatitatis animus liber esse non potest quoad amorem boni infiniti, nec quoad ea bona finita quæ necessario connectuntur cum amore boni infiniti. Diximus deinde: *In appetitione bonorum particularium* etc. aliter enim loquendum est de appetitione felicitatis in genere. Appetitio

Ejus notio.

Species.

Existentia et extentio.

(1) Cfr. S. Aug. opus imp. contra Jul. lib. 6, c. 10. S. Th. 1. q. 62 a 8 ad 3.
(2) S. Th. 1. 2. q. 13. a. 6 in O.
(3) Eccli. XV. 14; XXXI. 10. 11; Deut. XXX. 19; Jos XXIV. 15.
(4) Cfr. Bellarminus de gratia et libero arbitrio, lib. 5 c. 25. 26.
(5) Trid. Sess. 6. Can. 5.

hæc felicitatis duplex est : altera implicita, explicita altera ; prior libera non est, cum dari non possit ullus actus voluntatis qui non feratur in bonum in genere seu in felicitatem ; bonum enim est objectum adæquatum voluntatis ; quinimo hæc necessaria appetitio felicitatis in genere ratio est cur voluntas tendat in objecta particularia ; posterior « ex necessitate est quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum, non autem quantum ad exercitium actus quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine (1). » Verum hæc quæ tum ex psycologia tum ex theologia dogmatica cognita supponimus, sufficiat in præsenti innuisse.

Actus a libera voluntate procedentes soli sunt

29. Unaquæque potentia hominis suos exercet actus ; *illi tamen actus soli qui immediate vel mediate a libera voluntate procedunt, undequaque homini proprii sunt, iique soli moraliter sunt imputabiles, atque rationem habent meriti vel demeriti.* Hæc propositio tres partes habet. In prima statuitur *solos actus a libera voluntate procedentes esse undequaque homini proprios ;* ratio est quia illi actus soli undequaque sunt homini proprii qui procedunt ab homine in quantum est homo, scilicet in quantum homo agit formaliter ut distinctus a creaturis irrationalibus ; distinguitur autem homo a creaturis irrationalibus non solum per facultatum substantiam sed etiam per modum operandi « modus operandi ex determinatione ad unam partem toti naturæ communis est et dici potest naturalis, quia natura ad unum est determinata ; modus autem operandi libere rationalis et humanus est (2). » Proinde homo agit formaliter ut homo non præcise quotiescunque utitur facultatibus sibi propriis, sed quando suis facultatibus utitur modo operandi sibi proprio, videlicet libere. In altera propositionis parte statuitur *actus a libera voluntate procedentes eosque solos esse moraliter imputabiles ;* ratio est quia

Homini proprii

Moraliter imputabiles

(1) S. Th. de malo, q.6. art. unic. (2) Mald. in 1. 2. q. 1. a 1. disp. 3.

imputabilitas moralis ea dicitur habitudo actionis ad agens vi cujus actionis bonitas vel pravitas tribuitur agenti ut ejus perfectio vel imperfectio ; jam vero quando homo liber manet ad actus oppositos quorum alter est honestatis regulæ conformis, alter ab ea difformis, ipse libere volendo et ponendo actum, eum vult et ponit vel regulæ conformem vel ab ea difformem, ideoque ipse est qui actui suo illam conformitatem vel difformitatem confert : honestas ergo vel turpitudo quæ ex hac conformitate vel difformitate actui inest, tota in auctorem actus redundat, eique inhæret. E contra qui dum vult non potest non velle et dum agit non potest non agere, non magis laudari aut vituperari meretur ob actionem suam quam laudari quis aut vituperari meretur ob dotes vel defectus naturales, v. g. ob bonam vel malam indolem. Atqui nemo bonus aut malus moraliter reputatur unice ob indolem bonam vel pravam, siquidem hanc vel illam indolem habere ab ipso non pendeat ; ergo nec bonus nec malus reputari quis potest ob actiones necessario positas, quum ab ipso minime pendeat has vel illas actiones ponere « *Peccati reum tenere quemquam quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ. Quamobrem illæ animæ, quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus* (1). » Hinc Concilium Trid. (2) anathemate percussit eum qui « *dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere.* » S. Pius V ac Gregorius XIII damnarunt propositionem Baii 67 « *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* » Alexander vero VIII die 7 decemb. ann. 1690 sequentem thesim profligavit quæ est prima ex 31 « *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et*

(1) S. Aug. de duab. animabus, Cap. 12 n. 17. (2) Sess. 6. Can. 6.

demeritum, sufficit illa libertas qua voluntarium et liberum fuit in sua causa, peccato originali et libertate Adami peccantis. » In tertia demum parte statuitur *actus a libera voluntate procedentes, eosque solos rationem habere meriti vel demeriti;* ratio est quia meritum dicitur exigentia retributionis quæ actioni inest ob emolumentum quod alteri confert; demeritum vero exigentia retributionis quæ actioni inest ob detrimentum quod alteri confert. Prima autem totius meriti radix in eo posita est ut aliquid ex eis tribuendo quæ in dominatu habemus, quoddam nobis jus comparemus ad quidpiam de alienis accipiendum. « *Per actum proprium quis mereri non potest nisi sit dominus sui actus; sic enim suum actum quasi pretium pro præmio dare potest* (1). » Atqui actuum quos non vis electiva eliciat, sed necessitas quasi a nobis extorqueat, propriè domini non sumus, ac proinde frustra eos quasi pretium pro præmio offerremus. Et re quidem vera in SS. Scripturis actiones meritoriæ illi tantum electioni adscribuntur aut imputantur per quam homo dicitur et est dominus suarum actionum (2). Doctrina SS. Patrum legi potest apud Petavium (3); pauca in re evidenti nobis sufficiant. Scripserat S. Hieronymus « *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutem, nec ad vitium necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est;* » quæ verba postquam retulerit S. Aug., sic subjungit: « *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam* (4) »? Hinc Summi Pontifices Innocentius X et Alexander VII tertiam Jansenii propositionem proscripserunt « *ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* »

Meritorii aut demeritorii;

(1) S. Th. de verit., q. 29 a 6.

2) Deut. XXX. 19; Eccli. XXXI. 10; Matth. XIX. 17. 21; 1 Cor VII. 37 etc.

(3) De opific. sex dierum lib. III et IV.

(4) De nat. et grat. C. 45 n. 78.

Unde soli vocandi sunt humani.

30. Quapropter *soli iidem actus a libera voluntate procedentes theologice vocandi sunt humani*, cæteri non actus humani sed actus hominis dici debent. « *Actionum quæ ab homine aguntur illæ solæ proprie dicuntur* HUMANÆ *quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo; differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in quantum est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis in quantum est homo* (1). » Doctorem Angelicum secuti sunt auctores communiter ita ut pauci tantum scripserint actionem humanam illam esse quæ perfecte, rationabiliter et ab intrinseco procedat ex plena hominis voluntate, quamvis non libere (2).

Actus humani sunt

31. Ex præcedentibus intelligitur sensus variarum definitionum actus humani: « *actus a voluntate* (immediate vel mediate) *procedens cum rationis advertentia et libertate* » item « *actus cujus homo est dominus* » vel etiam « *actus qui*

(1) S. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. Cfr. l. q. 82 a 1 ad 3 et 1. 2. q. 18. a. 9.

(2) Ad quæstionem utrum amor beatificus in Patria sit actus humanus necne, respondere possumus distinguendo: amor beatificus non est actus proprie humanus, aut proprius hominis in quantum est homo *juxta modum operandi quem habet in hac vita*, sed potest dici actus humanus aut proprius hominis in quantum homo est *juxta modum operandi quem habet in altera vita*. Videlicet, sicut diversus est status hominis existentis in hac vita, et status hominis existentis in Patria, ita diversus operandi modus in utroque statu assignari debet, uterque proprius hominis quatenus homo est. Jamvero in præsenti nos non agimus de homine in quocumque statu, sed solum de homine in hac vita, et de actionibus quæ ab illo in via exercentur. Cfr. Salm. tract. 8 disp. II, dub. 1. n. 9 et seqq.

procedit a voluntate deliberata » denique « *actus qui procedit ab homine in quantum est homo*, etc. »

32. Porro actus humani sunt eliciti vel imperati; interni vel externi. *Eliciti* dicuntur quia voluntate immediate procedunt et in ipsa consummantur, cujusmodi sunt actus amoris, odii, desiderii; *imperati* autem dicuntur qui ex voluntatis imperio et motu immediate ponuntur ab aliis potentiis sive internis ut est actus fidei, meditatio, cogitatio; sive externis, ut est deambulatio, locutio etc. Advertere autem debemus a nonnullis distingui actus pure elicitos, actus simul imperatos et actus pure imperatos; pure eliciti sunt illi qui procedunt a voluntate nullo alio suo actu inclinata, simul imperati sunt illi qui procedunt a voluntate per alium actum ejus intenti, pure imperati sunt illi qui procedunt ab alia potentia ad agendum a voluntate applicata. Actus simul imperatos reduximus ad actus elicitos; alii illos reducunt ad actus imperatos (1). *Interni* sunt qui nullo modo prodeunt in actionem vel omissionem externam, ut amor simplex, desiderium inefficax etc. *Externi* seu mixti sunt qui ad externas potentias progrediuntur, aut aliquo sensibili signo exterius manifestantur. Hæc est autem inter utramque distinctionem relatio quod omnes actus eliciti sint interni, sed non omnes actus imperati sint externi: possunt enim actus imperati esse vel interni vel externi.

Eliciti

Imperati

Interni

Externi

33. Quum ex hucusque dictis pateat duo esse actuum humanorum elementa, voluntarium scilicet et liberum, de his magis in specie et fusius pro exigentia theologiæ moralis agemus; totam autem tractationem distribuemus in duo capita, quorum primum erit de requisitis ad voluntarium et liberum, eorumque speciebus, alterum vero de voluntarii et liberi impedimentis.

Partitio materiæ.

(1) Reuter, Theol. mor. de act. hum. c. 1, q. 2.

CAPUT PRIMUM.

DE REQUISITIS AD VOLUNTARIUM ET LIBERUM, EORUMQUE SPECIEBUS.

ARTICULUS I.

De voluntario.

§ I.

DE NOTIONE VOLUNTARII.

Voluntarii definitio.

34. Voluntarium denominatur a voluntate, quæ est appetitus rationalis; definiri ergo potest « *illud quod procedit ab appetitu rationali, seu lumine rationis directo.* » Dicimus autem *a*). « *Illud* » scilicet actio vel omissio vel effectus ex alterutra secutus. *b*). « *Quod procedit* » nempe quod immediate vel mediate originem habet ab appetitu tanquam a causa. Hinc differt voluntarium a *volito* quia etsi volitum sit voluntatis objectum non tamen necessario a voluntatis ipsius influxu pendet. Sic v. g. pluvia est volita ab agricola, non tamen dici potest eidem voluntaria, cum non sit in illius potestate; sic etiam, si alteri optes mortem, mors est ipsi a te volita, non tamen tibi voluntaria nisi ad eam inferendam concurras suadendo etc.; affectus vero quo mortem optas est tibi voluntarius, utpote procedens a voluntate tua. *c*). « *Ab appetitu.* » Vox appetitus aliquando potentiam significat, aliquando designat actum. Ut significat potentiam, appetitus proprie dictus definiri solet: facultas tendendi in bonum apprehensum; est scilicet propria animæ activitas atque energia qua animus a se tendit in bonum apprehensum, seu illud bonum appetit, unde ipsi no-

Differentia a Volito.

men appetitus. Aliis verbis appetitus recte dicitur principium intrinsecum motuum animi in bonum apprehensum. Ut vero designat actum, appetitus definiri potest : tendentia seu inclinatio animi in bonum ; hoc sensu loquimur de appetitibus inordinatis. Porro appetitum in definitione nostra spectari ut est causa actuum ac proinde ut est potentia, manifestum est. Particula ergo « *ab appetitu* » distinguit imprimis voluntarium a *violento* seu *coacto*, siquidem violentum seu coactum illud proprie appellatur quod procedit a principio extrinseco, ita ut ens sese habeat relate ad actum non causaliter, sed instrumentaliter et patiens potius quam agens dici debeat. Quare v. g. si ab extrinseco movearis, traharis, tu autem per intrinsecum animæ principium ad motionem, tractionem nihil conferas, non erit hæc motio tibi voluntaria. Deinde eadem particula indicat deesse voluntarii rationem actibus facultatis apprehensivæ per se consideratis : quamvis enim principium ex quo illi actus procedunt sit intrinsecum, est tamen ab appetitu diversum. Diximus : per se consideratis ; nam illi actus possunt imperari, atque hoc modo voluntarii erunt mediate *d*). « *Rationali, seu lumine rationis directo.* » Appetitus tendit in bonum ; bonum autem, ut sit objectum appetitus, ipsi proponi debet, seu apprehendatur necesse est ; « ignoti enim nulla cupido. » Porro apprehensio boni duplex haberi potest : altera imperfecta et materialis quæ per sensus habetur ; altera perfecta et rationalis quæ habetur per intellectum. Appetitus apprehensione materiali tantum directus vocatur spontaneitas atque actus ab ipso procedens dicitur *spontaneus ;* appetitus cognitione rationali directus vocatur voluntas atque actus ab ipso procedens est *voluntarius.*

Violento et coacto.

Spontaneo.

35. Duo igitur sunt de ratione voluntarii : *a)* ut sit a principio intrinseco, nempe appetitu qui in propositum objectum assurgat ac nitatur ; *b)* ut hic motus sit ex prævia intellectuali cognitione. Priori conditioni opponitur vis, posteriori opponi-

tur ignorantia; unde voluntarium a contrario quandoque definiunt : *quod neque vi, neque ignorantia fit.*

Involuntarii notio.

36. Involuntarium, licet latiori sensu dicatur quidquid non est voluntarium, proprie tamen de eo effertur erga quod voluntas *contrarie* sese habet. Quod si voluntas ad aliquid se habeat negative, adeo ut illud efficaciter nec prosequatur nec aversetur, id neque voluntarium proprie est nec involuntarium, sed melius dicitur *non voluntarium* (1).

Diversæ vocum acceptiones.

37. Tandem ne diversitas in modo loquendi idearum confusionem pariat, juverit sequentia advertere. *a)* Voluntas aliquando sumitur improprie pro appetitu sensitivo, quatenus in appetitu sensitivo « est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam ad voluntatem (2). » Hoc ergo sensu latissimo voluntarium generatim dicitur illud omne quod procedit ab appetitu vitali sive rationali, sive sensitivo (3). *b)* Quia modus agendi libere est proprius voluntati, et invenitur in omnibus actibus voluntatis quos homo cum plena rationis advertentia ponit in hac vita, ideo voluntarium a Patribus et Doctoribus sæpe ita accipitur ut idem sit ac liberum; videlicet nomen generis usurpatur ad designandam speciem (4). *c)* Præterea voluntarium aliquando dicitur quod præter ipsam voluntatem causam non habet utpote quia fit sine præcepto, sine obligatione, sine stipiendio etc.; exemplum habetur in 1 Petr. 5, 2 « neque turpis lucri gratia sed voluntarie (5). »

(1) S. Th. De malo, q. 3, a. 8. Suar. in 1, 2, tract. 2, disp. 2, s. 1.

(2) S. Thomas, 1, 2, q. 6, a. 2, ad 1.

(3) S. Thom. 1, 2, q. 6, a. 2; Vasquez in 1, 2, disp. 23; Salmanticenses in 1, 2, tract. 10, disp. 1, dub. 2, aliique non pauci.

(4) Lessius in 1. 2. q. 6. a. 2. n. 6.

(5) Malderus in 1, 2, disp. 26.

§ II.

DE VOLUNTARII SPECIEBUS.

38. Voluntarium est *perfectum* vel *imperfectum*. Voluntarium *perfectum* dicitur quod fit cum plena intellectus cognitione et pleno motu appetitus; *imperfectum* autem quod ex sub-obscura cognitione aut semipleno consensu procedit; qua in re multiplex gradus haberi potest. Advertendum autem est ab aliquibus ita distingui voluntarium in perfectum et imperfectum, ut *a)* perfectum idem sit ac voluntarium proprie dictum, de quo supra, imperfectum vero idem ac improprie dictum; vel etiam *b)* ut perfectum sit voluntarium liberum, imperfectum autem voluntarium non liberum; vel tandem *c)* ut perfectum sit voluntarium simpliciter, imperfectum vero, voluntarium secundum quid, de quo jam dicendum. Voluntarium perfectum imperfectum.

39. Voluntarium igitur est *simpliciter* vel *secundum quid*. Voluntarium *simpliciter* habetur quando, attentis omnibus circumstantiis, consensus datur, sed cum aliqua repugnantia; voluntarium *secundum quid* habetur quando voluntas aliquid vult consideratis tantum quibusdam circumstantiis, sed omnibus perpensis non vult. Hac in quæstione communiter proponitur exemplum mercatoris qui metu naufragii merces in mare projicit: illa mercium projectio est mercatori voluntaria simpliciter; earum autem conservatio est eidem voluntaria secundum quid. Inde apparet quod voluntarium simpliciter semper conjunctum habeat involuntarium secundum quid, et voluntarium secundum quid conjunctum habeat involuntarium simpliciter: utrumque ergo recte dici potest *mixtum*. Simpliciter. Secundum quid.

40. Voluntarium est *actuale*, *virtuale*, *habituale* et *interpretativum*. Voluntarium *actuale* dicitur quod hic et nunc elici- Actuale.

Virtuale. tur vel imperatur a voluntate. Voluntarium *virtuale* habetur quando aliquid fit vi actus voluntatis præteriti nondum revocati; adeoque ad voluntarium virtuale tria requiruntur: *a)* ut aliquando præcesserit volitio actualis; *b)* ut illa volitio non solum revocata non fuerit, sed *c)* adhuc maneat moraliter et influat in opus (1). Sic in viatore qui cupit « *optatam cursu contingere metam* » passus singuli quos movet ad illam sunt ipsi virtualiter voluntarii etiamsi ad singulos non attendat, imo de rebus omnino diversis cogitet. Pariter sacerdos qui in principio missæ intentionem habuit consecrandi, tempore autem consecrationis distractus est, valide consecrat, quia actus consecrandi est ipsi voluntarius virtualiter. Eadem ratione dum quis sacramenta confert, etiam non advertens id quod agit, voluntarie dicitur sacramenta ministrare, quia ea confert ex voluntate præcedente qua voluit officium suum præstare. Adverte tamen necessarium esse quod operans in ea permaneat animi dispositione, secundum quam operatio ejus sub arbitrii potestatem cadere possit. Unde si sacerdos v. g., domo egressus sacramenti conferendi causa postea in amentiam incidat et, in ea dispositione, verborum solemnem formulam proferat, non erit talis operatio virtua-

Habituale. liter voluntaria (2). Voluntarium *habituale* dicitur quando actus voluntatis qui præcessit retractatus quidem non est, sed tamen nullo modo influit in opus quod postea fit. Sic v. g., heri volui quod Missa hodierna applicaretur et prodesset Titio defuncto; si hodie, immemor talis specialis applicationis, missam celebro prout quotidie soleo, hæc, juxta plures, illi defuncto prodest vi intentionis habitualis, hoc est, voluntatis præteritæ non retractatæ quæ ideo dicitur habitualiter permanere, etsi non fuerit causa quod ego missam cele-

(1) Sporer, de act. hum. sect. 3. ass. 4. § 2. n. 21.
(2) Layman, de act. hum. c. 3. n. 4.

braverim (1). Voluntarium *interpretativum* dicitur quando nullus quidem interfuit consensus elicitus, adest hic tamen veluti inclusus ac delitescens in naturali animi inclinatione, ob convenientiam rei cum perspecto appetitu rationali, adeo ut objecto proposito, merito censeretur quis consensurus (2). Sic si ego quid tollam de facultatibus amici mei animo restituendi, probe sciens, si ipse adesset, commodaturum quod sumo, hæc acceptio dicetur amico meo voluntaria interpretative (3). Advertendum hic rursus est nomine voluntarii habitualis ab antiquis scholasticis aliquando intelligi illud voluntarium quod nunc dicitur virtuale (4) : ab aliis autem omnino improprie designari promptitudinem et facilitatem acquisitam ad actus aliquos edendos; ita si quis ex tali inclinatione absque ulla deliberatione et attentione materialiter

Interpretativum.

(1) Joan. de Lugo, De sacram., in genere. Disp. 8. n. 72.

(2) Ballerini, opusc. De act. hum. c. 2. 9.

(3) Quoad voluntarium *interpretativum* notanda sunt ea quæ scripsit Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 1, Sect. 4. n. 4. « Si quis recte consideret, hoc non est proprie voluntarium ; nam si quis omnino ignorans casu occidisset inimicum, ita dispositus ut si scivisset esse inimicum facilius occidisset, non propterea actio illa censeretur illi voluntaria ; quin potius Arist. vocavit ipsam non voluntariam et dici etiam potest non involuntaria. Unde hæc interpretatio potius deservit ut actio censeatur non esse contra voluntatem alterius v. g. amici, superioris, quam ut censeatur esse ab ejus voluntate, et ideo dico non esse voluntariam illi neque involuntariam, quod est observandum ad ferendum judicium in rebus moralibus quæ pendeant ex voluntate alterius, et interdum dici solet sufficere in eis voluntatem interpretativam.Sed oportet distinctione uti : nam si ad honestatem actus sufficit quod non sit alteri involuntarius, v. g.,quod non sit prohibitus a superiore, tunc satis erit voluntas interpretativa, si revera, moraliter loquendo, talis sit. Si autem necessaria est positiva voluntas, seu positivus influxus alterius procedens ex voluntate ejus, tunc satis non erit interpretativa voluntas prædicto modo explicata, quia revera nulla est, ut dixi ; ut in materia de confessione, si ad valorem actus necessaria est jurisdictio a superiore collata, non sufficit prædicta interpretatio sed necesse est ut aliquo modo constet de superioris voluntate. »

(4) Cfr. S. Th. 3 p. q. 64, a. 8 ad 3.

poneret ritum externum sacramenti, eum dicerent agere ex voluntate habituali, cujusmodi, ut patet, posset habere etiam somnambulus. Præterea nomine voluntarii interpretativi, a nonnullis designatur vel voluntarium in causa, vel voluntarium indirectum de quibus infra agemus.

Explicitum. 41. Voluntarium est *explicitum* vel *implicitum*. *Explicitum* dicitur quando aliquid intenditur in terminis seu conceptu proprio et distincto v. g. si baptizaturus dicat : volo baptizare.

Implicitum. *Implicitum* est quod intenditur in conceptu confuso seu in aliquo generali volito, v. g. si baptizaturus dicat : volo facere quod Christus instituit vel quod ecclesia his facit vel intendit, baptismus est implicite voluntarius.

Expressum. 42. Voluntarium est *expressum* vel *tacitum*. *Expressum* dicitur quod distincte verbis vel signis æquivalentibus significatur ;

Tacitum. *tacitum* vero dicitur quod absque expressione verborum vel signorum æquivalentium ex facto aliquo vel ex facti omissione colligitur. Huc pertinet regula juris 43 in 6 « *qui tacet consentire videtur.* » Quæ tamen regula universim et litteraliter vera non est quia taciturnitas secundum se neque consensum neque dissensum significat, nisi aliis adminiculis adjuvetur, sicuti optime traditur in regula 44 in 6 « *qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur* » siquidem taciturnitas medium quid est inter asseverationem ac negationem. Ideo auctores ex variis circumstantiis conjecturas tradere conantur quibus tacentis consensus vel dissensus cognosci possit secundum prudentis viri arbitrium. *a*) Tacens consentire videtur si agatur de ejus favore vel commodo, non item si agatur de ejus gravamine, incommodo, præjudicio : ita si, alio tibi quidpiam promittente vel donante, taceas, consentire censeberis ; at vero si quidpiam ab alio tibi donari vel promitti petas, isque taceat, non ideo censebitur consensisse. *b*) Tacens consentire videtur si contradicere debeat et possit; non item si contradicere non teneatur vel si contradicere non possit citra

periculum scandali, incommodi : sic reus in judicio ad objectum crimen jussus respondere, si taceat, fateri præsumitur ; item sedens in consilio, capitulo, si iniquæ constitutioni non reclamet, quando utiliter potest, censetur consentire ; pariter superior sciens aliquid fieri contra leges vel statuta, quod absque licentia sua fieri non posset, si taceat et toleret cum commode contradicere valeret, censetur tacite consentire vel licentiam dare. *c*) Tacens consentire censetur in plurium comparatione, videlicet, si quis ex duobus sibi objectis unum tantum neget, alterum tacite fateri censetur ; si unum tantum fateatur, alterum tacite censetur negare. *d*) Alios adde casus ex juris dispositione, v. g. filii tacentis in sponsalibus a parente contractis (1). Nihilominus, cum hæc vera tantum sint *secundum præsumptionem*, ideo diligenter considerandæ sunt circumstantiæ quæ tales esse possunt ut huic præsumptioni nullus locus sit (2).

43. Voluntarium est *absolutum* seu *efficax* et *relativum* seu *inefficax*. Fieri nimirum potest ut propter ignorantiam, errorem vel oblivionem in eodem subjecto circa eamdem materiam simul habeatur duplex volitio contraria : v. g. vult aliquis consecrare Eucharistiam sed non vult offerre sacrificium ; vult contrahere verum matrimonium sed non vult administrare et suscipere sacramentum etc. Ex hac duplici voluntate contraria, illa dicitur *absoluta* et *efficax* quæ explicite vel implicite continet revocationem alterius ; illa autem quæ sic explicite vel implicite revocatur, dicitur *relativa* et *inefficax* (3). Efficax. Inefficax.

(1) Ballerini in nota ad n. 722 vol. 2. De his fuse agit Azor instit.mor. lib. I C. 4 et 5.

(2) Layman lib. 1.tract. 2, c. 3 n. 3. Sporer, l. c. sect. 3. ass. 4. § 4 nº 27.

(3) Hanc quæstionem ita elucidat Joannes De Lugo, De sacramentis in genere, disp. 8, sect. 8, nº 120 et seqq. « Petes in quo consistat ille modus volendi magis unum quam aliud ; nam singulæ illæ voluntates

44. Voluntarium est *directum* vel *indirectum*. Voluntaruim
Directum. *directum* illud dicitur quod procedit a voluntate positive ope-
Indirectum. rante, v. g., locutio, lectio; *indirectum* vero dicitur quod eatenus est a voluntate quatenus agere omittit cum tamen agere possit. Unde ad voluntarium indirectum *potentia* quidem, non tamen *obligatio* requiritur faciendi id quod omittitur. Dico primo requiri potentiam agendi: nam voluntarium est illud quod pendet a voluntate; pendere autem a voluntate mea dici nequit quod in mea potestate non est. Hinc externa omissio necessaria v. g., in eo qui in carcere inclusus omittit sacrum die dominica non est voluntaria; et ideo sicubi lata est excommunicationis sententia in eos qui sacrum non audiunt die Paschæ, incarceratus illam non incurrit, quamvis ex prava dispositione eliceret hunc actum : *nolo sacrum audire;* vel : *non audirem sacrum etiamsi possem;* nam etsi hic actus sit ei voluntarius

secundum se videntur absolutæ, nec una respicit ullo modo ad objectum alterius, sed singulæ habentur seorsim et sine alterius memoria. Respondeo a posteriori colligi et explicari illam diversitatem per hoc quod si v. g., sciret Eucharistiam non posse separari a sacrificio, non excluderet sacrificium; per hoc enim apparet affectum diverso modo tendere ad Eucharistiam, ad exclusionem vero sacrificii solum quatenus putat posse sacrificium separari ab Eucharistia, atque adeo aliquo modo conditionate.... Re tamen ipsa est modus intrinsecus diversus tenens se ex parte ipsius actus voluntatis : nam altera volitio habet in se modum volendi magis universalem, altera magis limitatum et coarctatum quod potest multis exemplis declarari. Primo si hodie velis sacrum crastinum omnino applicari pro Petro, ita ut hæc ex nunc præferatur cuilibet ex oblivione hujus faciendæ; cras vero applices sacrum pro alio, non censebitur revocata applicatio hodierna, quia fuit magis universalis et revocatoria crastinæ..... Tertio si quis facit votum non vovendi nisi consulto confessario et ex nunc vult non vovere valide nisi ea conditione posita; postea si immemor hujus voluntatis voveat, votum non valet, nisi eo esset affectu, ut etiam si recordaretur vellet vovere... quia nimirum prior voluntas fuit magis universalis.... Consistit autem hæc major universalitas in reflexione quadam formali vel virtuali quam una voluntas habet supra alteram ad revocandam illam et non e contra, ut in adductis exemplis. »

et peccaminosus, ipsa tamen omissio non censetur voluntaria, cum non causetur ab illo actu sed aliunde : ergo ipsa quidem est volita, sed non voluntaria. Dico deinde non requiri *obligationem* ponendi id quod omittitur ; nam voluntarium est a principio intrinseco cum cognitione ; atqui, secluso præcepto, omissio potest esse ab intrinseco cum cognitione. Ergo etc. Et sane nemo dixerit eum non voluntarie omittere sacrum die feriali qui potest audire et scienter non facit, etiamsi non teneatur. Non igitur de quovis voluntario, sed de voluntario imputabili ad culpam intelligi debent verba S. Th. « Quia voluntas volendo et agendo potest impedire hoc quod est non velle et non agere, et aliquando debet, hoc quod est non velle et non agere imputatur ei quasi ab ipso existens (1). » Notandum denique est voluntarium directum et indirectum ab aliis dici voluntarium positivum et negativum ; nomine autem voluntarii directi et indirecti ab iisdem intelligi voluntarium in se et voluntarium in causa, de quo nunc agemus.

45. Voluntarium est *in se* vel *in causa*. Voluntarium *in se* dicitur quod voluntas in seipso intendit ; voluntarium *in causa* dicitur quod voluntas non quidem in se intendit, censetur tamen velle quia vult aliud ex quo istud sequitur (2). In se. In causa.

(1) 1, 2, q. 6, a. 3.

(2) Juverit hic nonnulla de causa efficiente breviter in memoriam revocare. Causa efficiens est id a quo aliquid fit. Præcipuæ ejus partitiones, quæ ad materiam nostram pertineant, sunt. 1° In causam *per se* et causam *per accidens* : causa per se alicujus effectus ea est quæ ex natura sua tendit ad illum effectum producendum : sic potus excessivus est causa per se ebrietatis ; causa vero per accidens alicujus effectus ea est quæ ex natura sua non tendit ad productionem hujus effectus, etsi occasione alicujus circumstantiæ omnino extrinsecæ ad effectum obtinendum conferre possit : sic ille qui pecuniam petit ab usurario est causa per accidens usuræ ; pariter qui sacramenta sibi conferri postulat a sacerdote indigno dicitur causa per accidens sacrilegii, etc. Ut patet, causa per accidens *sic intellecta* aliquo modo convenit cum *occasione* quæ definitur « id ad cujus præsentiam aliquid fit » et cum *conditione sine qua non*, quæ

Ad voluntarium in causa revocatur id quod positæ causæ accedit tanquam pars toti aut tanquam accessorium principali (1). Ex quibus definitionibus jam duo colligere possumus ad accuratam rerum intelligentiam non inutilia ; videlicet effectum causæ voluntarie positæ si directe intendatur non in causa sed in se voluntarium esse ; deinde « posse eumdem actum esse voluntarium in alio *causaliter* et tamen esse in se involuntarium *objective*, ut si quis actu directe omnino nolit hominem occidere, et tamen velit emittere sagittam, non ad-

definitur « id quod removet impedimentum obsistens productioni effectus. » Diximus autem « *sic intellecta* » nam hoc vocabulum adhuc sumitur alio sensu ad materiam nostram parum pertinente. (Vide Suarez Met. Disp. 17.) 2° In causam *physicam* et causam *moralem* : causa physica ea est quæ effectum sua ipsius actione attingit ac producit ; causa moralis ea dicitur quæ aliqua bonitate et dignitate adfert rationem causæ physicæ intelligenti ad effectum physice producendum : sic homicidium perpetrans est ejus causa physica, illud vero mandans, consulens est ejusdem causa moralis. Porro causa moralis *positiva* est vel *negativa* : positiva dicitur si quis actionem fieri mandet, si consentiat quum consensus est necessarius, si scienter participet de emolumentis quæ ex actione sequuntur, si recipiat actionis auctorem, si ejus instrumenta occultet, si consilium præbeat vel preces aut promissa adhibeat, si operantem laudet ; *negativa* est si quis non obstet quum sine gravi incommodo posset ac deberet agenti resistere, vetando aut impediendo ; si ab agendo alterum non dissuadeat, quum dissuadere potest ac debet, ac silentium positivæ approbationi æquivalet ; si non manifestat actionis auctorem, quum illum manifestare tenetur, ne v. g. damnetur innocens. Hi diversi modi quibus causa moralis potest in actionem influere, innuuntur vulgatis versiculis :

Jussio, consilium, consensus, palpo, receptans,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

3° In causam *immediatam* et *mediatam* : causa immediata est ea quæ effectum suum nulla intercedente alia causa producit ; causa mediata est quæ effectum suum non producit nisi alia causa interposita. Unde omnis causa moralis est mediata. 4° In causam *proximam* et *remotam* : causa proxima dicitur si habeat connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu ; remota autem dicitur, quæ ordinatur quidem et tendit ad effectum, vim tamen magnam non habet, seu in effectum non influit notabiliter, vel ex qua effectus non provenit ut plurimum.

(1) Sporer, l. c. ass. 3, § 4, n. 23.

hibita sufficienti diligentia ne hominem occidat; tunc enim homicidium, si fieri contingat, est in se involuntarium formaliter ratione prioris actus et tamen est voluntarium in alio ratione posterioris actus; et ratio est quia illi actus non sunt formaliter contrarii, et alioquin cum voluntas sit libera, quamvis nolit homicidium, potest non applicari actu ad exhibendam diligentiam necessariam ne sequatur homicidium; et ideo dixi illud esse involuntarium objective potius quam causaliter (1). » Porro quum doctrina de voluntario in causa tanti sit momenti in universa theologia morali, omissis interim iis quæ ad effectus imputabilitatem pertinent, utpote alibi commodius tractandis, sedulo nunc inquirendum est *quid requiratur ut effectus, ex aliqua causa voluntaria secutus, sit ponenti causam voluntarius?* Jam vero 1° *semper requiritur ut effectus sit aliquo modo cognitus* « quia sicut nihil est volitum quin præcognitum, ita nihil est voluntarium quin aliquo modo cadat sub cognitione operantis (2). » Aliis verbis idem sic explicatur: ut effectus censeatur ponenti causam voluntarius necessarium est quod agens aliqualiter animadvertat ex ea causa talem effectum extiturum vel existere facile posse, aut saltem confuso aliquo modo obligationem noscat animum ad id advertendi; quo sensu intelligendi sunt illi auctores qui dicunt sufficere ad voluntarium in causa ut effectus *potuerit et debuerit prævideri;* hoc enim verum non est nisi verba « *posse et debere* » juxta dicta explicentur; secus negandum esset suppositum, videlicet, posse prævideri effectum si de facto non prævideatur saltem in confuso aut non succurrat ulla cogitatio de obligatione advertendi; nam prima idea alicujus rei non est in hominis potestate. Quod si quæratur quandonam effectus possit et debeat sensu declarato prævideri, nulla regula

(1) Suarez, in. 1. 2, tr. 2, disp. 1. sect. 4. n. 12.
(2) Suarez, l. c. n. 5.

certa dari potest, conjecturæ tantum aliquæ tradi possunt ex communiter contingentibus deductæ; ita tunc effectus animadverti potuisse ac debuisse censetur, quando hic ex tali causa per se sequitur, vel ut in pluribus, aut etiam per accidens et ut in paucioribus si per experientiam quis id quoad se noverit. 2° *Si effectus ex causa voluntaria sequatur per se, nihil aliud, præter ejus prævisionem, requiritur ut ponenti causam censeatur voluntarius;* nam « talis effectus per se censetur constituere unum et ad eamdem speciem pertinere cum sua causa. Et hoc sensu verum habet quod dici solet, qui vult antecedens velle etiam consequens, sufficienti cognitione supposita; unde in hujusmodi voluntario præceptum solum ad hoc conferre potest, ut illud voluntarium sit turpe vel honestum; nam si effectus v. g. prohibitus sit, necesse est ut sit etiam prohibita causa ex qua per se et prævisa virtute illius, sequitur talis effectus (1). » Sic illi qui iter longum et asperum aggreditur voluntaria est defatigatio. 3° *Si autem effectus ex causa voluntaria sequatur per accidens, ut ponenti causam censeatur voluntarius, requiritur, præter ejus prævisionem, obligatio vitandi unum ne sequatur aliud.* Duo igitur dicimus : primum, seclusa obligatione, effectum ex aliqua causa per accidens secutum ponenti causam voluntarium non esse; alterum, data obligatione vitandi unum ne aliud sequatur, effectum ex aliqua causa etiam per accidens secutum ponenti causam voluntarium censeri. Ratio prioris est quia, seclusa obligatione, ille effectus nec physice, nec moraliter procedit a voluntate : non physice, quia cum causa per accidens ex natura sua ad suum effectum non ordinetur, ponens causam non influit physice in effectum, sed ille effectus physice procedit a propriis causis, v. g. submersio navis, sequens omissionem succurrendi physice causatur a vento et aquis; non moraliter,

(1) Suarez, l. c n 8.

quia seclusa obligatione illum effectum impediendi, nihil est in quod fundetur causalitas illius moralis : hinc illa submersio navis, si non teneris illam impedire, tibi proprie voluntaria non est, quamvis sit a te permissa. Ratio posterioris est quia, ob præceptum « causa et effectus ex illa secutus... moraliter censentur habere rationem unius objecti disconvenientis, seu evitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur voluntas alterius. Item addi potest quod, non existente præcepto, effectus qui omnino per accidens sequitur non pertinet ad voluntatem, ratione autem præcepti pertinet ad illam moraliter, quia tenetur vitare illud quoad possit, et ideo si non facit censetur moralis causa illius (1). » Ita si teneris impedire submersionem navis eo quod ejus cura tibi sit commissa, si non impedis v. g. gubernando eam, submersio navis est tibi voluntaria.

ARTICULUS II.

De libero.

46. Liberum ex primæva nominis impositione significat *id quod est sui juris et alteri non est subjectum;* unde generatim definiri potest libertas *immunitas a vinculis* seu *immunitas a servitute.* Quotuplex ergo servitus distinguitur, totuplex distinguenda est libertas. Jam vero, omissis iis quæ ad theologiam moralem minus pertinere videntur, servitus imprimis est extrinseca vis seu violentia, qua subjectum ad operationem cogitur invitum : immunitas ab hac servitute dicitur *libertas a coactione* et *libertas executionis;* servitus deinde est intrinseca necessitas ad unum ex ipsa conditione facultatis orta quæ proposito objecto ex se ad illud determi-

Varia nominis acceptio.

(1) Suarez, l. c. n 9.

natur : immunitas ab hac servitute vocatur *libertas indifferentiæ* et *libertas exercitii;* denique servitus est quævis lex et obligatio : immunitas ab hac servitute apte dici potest *libertas moralis*.

Agens liberum et actus liber.

47. Hæc triplex libertas spectari potest vel prout est *proprietas agentis*, vel prout consequenter est *qualitas actus;* sicut enim vario sensu agens dicitur liberum quatenus ipsi violentia non infertur, nec operandi necessitas inest, nec aliquid injungitur, ita liber dicitur actus qui non cogitur extrinsece, nec intrinsece determinatur, nec præcipitur. Quamvis autem eadem sit ratio libertatis in agente et in actu, diversus tamen est respectus; nos vero eam considerare nunc debemus non prout est proprietas agentis (1), sed formaliter prout est qualitas actus : quæstio enim est de actu libero et quidem non moraliter sed physice.

Vera actus liberi notio.

48. Porro immunitas a coactione necessaria quidem est ut actus sit voluntarius (2) non tamen sufficit ut proprie et theologice denominetur liber, quod patet ex damnatione plurium Baii propositionum, nominatim 39 « *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit* » 41 « *Is libertatis modus qui est a necessitate sub libertatis nomine non reperitur in scripturis* » 66 « *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* » Ad veram igitur actus libertatem requiritur præterea immunitas a necessitate intrinseca, quæ habetur quando *agens habitis omnibus ad agendum prærequisitis potest pro libitu actum ponere vel non ponere.* Dicimus autem « *habitis omnibus ad agendum prærequisitis* » quia si horum quidpiam desit actus omissio non libertati sed *agendi impotentiæ* tribuetur. Porro ea quæ ad agendum prærequiruntur sunt ipsa potentia seu voluntas, cognitio indifferenter proponens objectum, concursus Dei pa-

(1) Cfr. sup. n. 28.

(2) Cfr. sup. n. 34.

ratus et remotio omnis impedimenti per ipsum actum secundum inauferibilis. « Causa secunda libera existens, eademque viribus pro diversitate actuum naturalibus tantum vel etiam supernaturalibus instructa, et in libertatis suæ exercitio non impedita, necessario præsupponitur ut actus liber possit esse futurus (1). » Verbo, necessaria est potentia proxime expedita ad actum. Dicimus etiam « *potest pro libitu actum ponere vel non ponere* » quia si positis omnibus ad agendum prærequisitis agens non possit non agere, actus necessarius erit, non liber; unde oportet ut adsit facultas non agendi in sensu composito prærequisitorum; scilicet non exigitur quidem ad libertatem proprie dictam ut homo dum agit possit simul non agere, hoc enim implicat, sed requiritur ut homo dum agit possit, nulla ex conditionibus mutata, loco agendi non agere. Ex quibus intelligitur quænam necessitas libertati repugnet, et quænam eidem non repugnet. Necessitas enim alia est *antecedens*, alia *consequens;* prima habetur cum causa, positis omnibus ad agendum prærequisitis non potest non agere et ad agendum determinata est: ita ignis vehemens applicatus bene arido ligno non potest non adurere; altera autem habetur cum causa, positis omnibus ad agendum prærequisitis, pro libitu potest agere vel non agere, sed in hypothesi quod agat, non potest simul non agere: ita Deus liber quidem est in volendo mundi fine, sed in hypothesi quod voluerit mundum desinere, nequit simul velle mundum non desinere, et vice versa: igitur non necessitas consequens, sed sola necessitas antecedens libertati officit. Huc pertinet etiam distinctio necessitatis in *sensu composito* et necessitatis in *sensu diviso;* sed de hac agitur in tractatibus de Deo et de Gratia (2).

Necessitas libertati repugnans.

(1) Franzelin, de Deo Uno, th. 43, pag. 416. Cfr. Suarez, Met. disp. 19, sect. 4, n. 11.

(2) Cfr. Franzelin, de Deo, th. 43, pag. 419 et 44, pag. 440.

CAPUT II.

DE VOLUNTARII ET LIBERI IMPEDIMENTIS.

Conspectus generalis.

49. Duo ad voluntarium requiruntur *appetitus inclinatio* et *cognitio intellectus;* unde quidquid alterutrum aut tollit aut minuit, eo ipso tollit aut minuit voluntarium; jam vero appetitus inclinationem *violentia* et *metus*, intellectus vero cognitionem *ignorantia* et *concupiscentia* aut tollunt penitus aut minuunt. Porro causæ illæ quæ immediate rationem voluntarii tollunt vel minuunt, eo ipso mediate tollunt vel minuunt rationem liberi; quæ autem libertati actus voluntarii specialiter repugnant, jam fuerunt satis declarata, nec applicationem habent in theologia morali, quum in homine viatore qui agat sui compos, quoad ea quæ sunt ad finem, voluntas semper libera maneat. His igitur relictis, de violentia, metu, ignorantia et concupiscentia successive agemus.

ARTICULUS I.

De violentia.

Notio.

50. *Violentia* seu *vis* et *coactio* idem hic significant; antiquiores tamen ita vim et violentiam a coactione distinguunt ut illas proprie agnoscant etiam in inanimatis, hanc vero solum in animatis. Rursus violentia aliquando dicitur *physica*, aliquando *moralis* quæ sc. oritur ex metu, blanditiis, precibus importunis etc.: de priore tantum nunc agimus, de posteriore postea sermo erit ubi de metu. Porro violentia physica *abso-*

luta est vel *secundum quid*. Absoluta definitur *motio cujus principium est extra, in contrarium eo renitente qui patitur;* unde violentum est *id cujus principium est extra, renitente passo;* duo ergo ad violentiam et violentum requiruntur, primum ut principium movens sit extrinsecum, alterum ut voluntas resistat; fieri autem nequit ut resistentia interna sit sincera et efficax quin simul adsit resistentia externa quantum possibile sit; quandonam vero habeatur resistentia externa quantum sit possibile, determinari debet ex circumstantiis rei, personæ, loci etc. Dicitur deinde violentia secundum quid, cum *aut vis non ejusmodi est quæ contumaci resistentia frangi vel debilitari non possit, aut vim illatam, quæcumque demum sit, quis non patitur omnino invitus* (1).

Distinctio in violentiam absolutam

et violentiam secundum quid.

51. *Violentia cadere non potest in actus voluntatis elicitos, cadere tamen potest in actus imperatos.* Ratio prioris partis est quia violentum ex sua intrinseca ratione est a principio extrinseco et quidem contra impetum passi, atqui actus a voluntate elicitus est a principio intrinseco et secundum inclinationem ipsius appetitus, si quidem est actualis quædam inclinatio voluntatis in objectum; ergo impossibile est actum voluntatis elicitum esse violentum. Ad posterioris autem partis intelligentiam sequentia debent adverti. *a)* Quando affirmamus violentiam cadere in actus imperatos, profecto non significamus quod aliquis actus possit imperari a voluntate seu ab ejus pendere imperio et simul esse violentus voluntati; hoc enim implicat; nam si pendet a voluntatis imperio, jam non est ex vi extrinseca voluntati; sed significamus quod illi actus qui alias solent imperio voluntatis excitari in cæteris hominis potentiis, possint ab extrinseca causa excitari contra voluntatis renisum. *b)* Præterea illi actus dicuntur violenti tum *respectu voluntatis* quatenus cæteræ potentiæ

Non eliciti sed tantum imperati actus cogi possunt;

quo sensu,

(1) Ballerini, opusc. cit. n. 39.

moventur contra ejus inclinationem ; tum *respectu ipsarum potentiarum* quatenus istæ potentiæ moventur a principio quod non est ipsis connaturale ; non autem violenti dici possunt *respectu potentiarum a quibus immediate procedunt* ac si essent a principio extrinseco et contra earum inclinationem. *c)* Porro cæteræ potentiæ voluntati subsunt *quoad earum applicationem ad actum*, non *quoad earum operationem ;* nam si v. g. oculi nostri aperti sint, non pendet a voluntate nostra ut videamus, sed a voluntate nostra pendet ut oculos aperiamus ; pariter si veritatem aliquam consideremus non pendet a voluntate nostra ut intelligamus, sed a voluntate nostra pendet ut veritatem consideremus. Unde actus imperati, seu potius imperabiles dicuntur violenti in quantum nostræ potentiæ ad agendum vi externa applicantur, voluntate reluctante. *d)* Non solum externarum sed etiam internarum potentiarum actus cogi possunt ; externarum quidem potentiarum actus a causis etiam creatis cogi possunt *immediate* seu per directam applicationem ; internarum autem potentiarum actus a causis creatis solum cogi possunt *mediate*, seu per propositionem objecti. Quod ita explicavit Lessius (1). « At causæ creatæ non possunt id immediate, sed solum mediante alio ; quatenus offerunt objectum vel impediunt ne quid interveniat inter objectum et sensum ; nam etiam tunc sensus necessario operantur, etsi voluntas renitatur ; quia ipsorum operatio non subest arbitrio voluntatis nisi indirecte et remote, quatenus in potestate voluntatis est movere membra, ea applicando, avertendo, vel aliquid interponendo. »

quo modo.

52. *Violentia si fuerit absoluta voluntarium tollit, immo involuntarium causat.* « Ratio est quia violentia directe opponitur voluntario sicut et naturali... ; sicut ergo in rebus quæ cognitione carent, violentia facit aliquid esse contra naturam,

Voluntarium violentia absoluta tollit,

(1) In 1. 2. q. 6. art. 4, n. 32.

ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Quod autem est contra naturam dicitur esse innaturale, et similiter quod est contra voluntatem dicitur esse involuntarium. Unde violentia involuntarium causat (1).» *Si vero non absoluta fuerit violentia sed secundum quid, non prorsus voluntarium tollit, sed illud magis minusve minuit, prout major aut minor ipsa exstiterit, vel prouti magis aut minus voluntas illatæ vi acquiescit* (2). » Demum si quis organis nostris ad aliquam actionem utatur nobis non resistentibus, sed nec aliquid ad illam conferentibus, voluntaria quidem erit nobis illa *non resistentia*, ipsa tamen actio violenta proprie non erit, neque voluntaria aut involuntaria dici poterit; sed recte vocabitur non voluntaria et permissa ; volita nihilominus casu quo nobis placeat. Quod si eam impedire tenebamur, actio erit nobis voluntaria *in defectu resistentiæ.*

Violentia secundum quid minuit.

ARTICULUS II.

De metu.

§ I.

DE NOTIONE METUS EJUSQUE SPECIEBUS.

53. Metus est *trepidatio mentis ob aliquod malum instans vel futurum.* Quadruplici autem ex capite præcipue distingui potest: nimirum ratione *causæ* qua incutitur, ratione *modi* quo incutitur, ratione *finis* ob quem incutitur, tandem ratione *intensitatis* quam habet

Definitio et distinctio in

54. Ratione *causæ* qua incutitur, metus est *ab intrinseco* vel *ab extrinseco :* ab intrinseco ille dicitur qui provenit ex causa

intrinsecum et extrinsecum ;

(1) S. Th. 1. 2. q. 6. a. 5.

(2) Ballerini opusc. cit., n. 43.

interna, qualis est morbus, mentis imbecillitas etc.; ab extrinseco autem ille dicitur qui provenit ex causa externa; porro causa externa potest esse vel naturalis uti naufragium, incendium, ferarum incursus, vel libera ut homo ad necem te quærens; hinc duplex subdistinguitur metus ab extrinseco, prout causa externa naturalis est vel libera. Adverte tamen a multis appellari metum ab intrinseco, non solum illum qui provenit ex causa interna stricte dicta, sed illum etiam qui provenit ex causa quacunque naturali, ita ut isti nomine metus ab extrinseco intelligant eum tantum qui incutitur a causa libera.

justum et injustum,

55. Ratione *modi* quo incutitur a causa libera externa, metus est *justus* vel *injustus* prout incutiens inferendi hujusmodi metum jus habet vel non; generatim autem injustus est metus quando minæ fiunt personæ cui fieri non possunt, vel quando fiunt a persona quæ auctoritatem non habet illas faciendi vel sunt de malo quod inferre nefas est: ita injustus est metus qui incutitur a latrone; e contra justus est metus qui incutitur a principe quum mortem minatur quam potest legitime inferre.

illatum ad finem determinatum vel non,

56. Ratione *finis* ob quem incutitur, metus dicitur illatus vel *determinate ad aliquam rem certam obtinendam*, vel *indeterminate quacunque alia de causa*: exemplum prioris habetur quando latro minatur mortem nisi ei detur magna pecuniæ summa; exemplum vero posterioris habetur quando quis inimico, ipsum ad necem quærenti, certam pecuniæ summam offert ut se a periculo liberet.

gravem et levem.

57. Ratione *intensitatis* quam habet metus dicitur *gravis* vel *levis*. Gravitas autem metus pendet *a)* a gravitate mali quod imminet; hæc vero ipsa mali gravitas est absoluta vel relativa: malum absolute grave illud dicitur quod tale est in se spectatum et viro etiam constanti formidabile apparet, cujusmodi a doctoribus enumerantur mors, mutilatio, carcer durus, diuturnum exilium, cruciatus atrox, stuprum, privatio omnium bonorum vel partis notabilis, exhæredatio, amissio status, in-

famia sive juris sive facti, excommunicatio injusta, et alia multa arbitrio prudentis viri ponderanda; malum relative grave illud dicitur quod tale est solummodo respectu personæ cui imminet, attentis videlicet ætate, sexu, conditione, indole etc. Multa enim sunt quæ virum fortem et constantem non perturbant, graviter tamen perturbando seni, puero, mulieri apta sunt. Porro sive absolute sive relative tantum malum sit grave, gravis erit metus, si malum illud non solum nobis imminere videatur, sed etiam nostris, v. g., patri, matri, avo, uxori, filiis, fratri, sorori, etiam amico valde nobis conjuncto: quemadmodum enim eorum bona apprehendimus ut nostra, ita et eorum mala. Gravitas metus pendet *b)* a probabilitate mali; videlicet non sufficit vana mali suspicio; sed requiritur exspectatio mali certa, aut saltem rationabilis ac prudens. Unde inferunt doctores, si metus inferatur a causa externa libera, oportere ut metum incutiens possit minas suas executioni mandare.

Timor reverentialis.

58. Huc spectat timor reverentialis, formido nempe offensos habendi eos qui ex suametipsorum conditione timendi ac colendi aliis sunt; ut parentes relate ad filios, tutores relate ad pupillos, princeps relate ad subditos, episcopus relate ad clericos, prælatus relate ad suos religiosos, maritus relate ad uxorem, verbo omnes qui jure aliquo præsunt. Hic timor reverentialis et ipse tum gravis, tum levis esse poterit. Ad quod discernendum juverit attendere præsertim tum ad indolem personæ quæ auctoritatem habet, tum ad caracterem personæ quæ sub ejus potestate constituta est, tum ad relationes quæ inter ipsas intercedere debent (1).

(1) Sporer, tr. 1. cap. 2, sect. 4, n. 48.

§ II.

DE INFLUXU METUS IN VOLUNTARIUM.

Agere cum metu et agere ex metu.

59. Prænotandum est aliud esse *agere cum metu*, aliud *agere ex metu*. « Agere cum metu dicit meram concomitantiam; unde quod ita fit, licet sit voluntarium, tamen illud voluntarium non oritur ex metu sed potius opponitur et vincit ipsum metum, quod est signum magnæ voluntatis..... At vero fieri ex metu significat quod metus ipse inducit ad volendum seu ad faciendum aliquid et tunc metus est causa talis voluntarii (1). »

Metus causat voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid.

60. Jam vero *quæ fiunt ex metu, per se et ordinarie, voluntaria sunt simpliciter, involuntaria autem secundum quid.* Etenim illud quod per se consideratum et præcisum a circumstantiis malum videtur ac displicet, omnibus tamen perpensis scienter et deliberate admittitur ad vitandum malum majus, voluntarium simpliciter dicitur et involuntarium secundum quid; atqui ea quæ ex metu fiunt, ordinarie per se considerata et præcisa a circumstantiis displicent, attentis nihilominus omnibus adjunctis admittuntur majoris mali vitandi gratia; ergo etc. Hoc adhuc clarius evadet si spectetur triplex actus voluntatis ejus qui metu naufragii merces in mare projicit; in eo enim habetur primo, amor mercium quas conservare cuperet; secundo, timor magis efficax mortis; unde tertio, resolutio amittendi merces quas amat quia earum amissio reputatur medium hic et nunc necessarium ad mortem fugiendam (2).

(1) Suarez, in 1, 2, tr. 2, disp. 3, s. 1, n. 6.

(2) S. Thomas, 1. 2. q. 6 a. 6, ait ea quæ ex metu operamur *simpliciter esse voluntaria et involuntaria secundum quid;* e contra 2. 2. q. 142 a. 3 in 0, docet eadem ex metu facta *non esse simpliciter voluntaria, sed mixta;* et in eodem loco ad 3 affirmat ea quæ ex timiditate peraguntur

61. Diximus autem « per se » quia si metus penitus mentis judicium perturbet et impediat, actio nullatenus erit voluntaria, quod tamen non frequenter contingit. Diximus etiam « ordinarie » propter duplicem exceptionem : prima habetur quando simul cum metu concurrunt aliæ causæ ad agendum impellentes ; tunc enim actio grata potius quam molesta esse potest, in quo tamen casu non semper constat quid actus habeat ex metu, quid aliunde. Altera vero exceptio habetur quando metus non solum inducit ad aliquid volendum non obstante affectu permanente in contrarium, sed ipsum illum affectum omnino expellit; actio enim minime tunc erit involuntaria, siquidem deficiat causa producens involuntarietatem; porro hoc accidit quotiescumque efficaciter quis dolet de peccato commisso ob timorem inferni, et ex eo motivo legem Dei observare proponit (1). Talis enim scit infernum non vitari si remaneat affectus ad peccatum; unde metus inferni, si sit efficax, non tantum impedit actum malum, sed etiam aufert omnem affectum ad talem actum; non secus ac si affectus quem retinet mercator ad suas merces seu involuntarium quod sentit ad illarum projectionem, esset causa naufragii, metus

Duplex exceptio.

secundum quid voluntaria esse non simpliciter. Diversus iste modus loquendi haud difficulter componetur, si quædam advertantur. Vox « simpliciter » sumi potest vel *ex parte objecti voliti* seu operationis quam voluntas eligit, vel *ex parte operantis* seu eligentis ipsius. Priori modo idem est « simpliciter » ac « præcise et nude objectum considerando » et sic recte dicitur opus ex metu factum simpliciter non esse voluntarium, quia ut sic abstrahitur ab omni alia utilitate aut necessitate. Posteriori modo dicitur simpliciter voluntarium quod de facto est volitum per actum absolutum et efficacem voluntatis; in quo adhuc oportet advertere hujusmodi « simpliciter » interdum excludere omnem mixtionem involuntarii, et hoc modo usus est hac voce S. Th. 2. 2. q. 142 a. 3 in 0; interdum vero dici simpliciter voluntarium quod est absolute et efficaciter volitum per actum in suo genere perfectum, etiamsi habeat conjunctam seu admixtam imperfectam velleitatem contrariam. Suarez l. c. n. 2.

(1) Conc. Trid. sess. 14. cap. 4 et can. 5.

naufragii induceret ipsum non tantum ad projiciendas merces, sed etiam ad deponendum affectum ad illas, consequenter ad tollendum involuntarium in earum projectione. Unde breviter dici potest quæ fiunt ex metu non esse involuntaria secundum quid, quando istud involuntarium est fundamentum inductivum seu causa mali quod timetur (1).

Triplex modus agendi ex metu.

62. Ex quibus colligitur posse tripliciter aliquid ex metu fieri : imprimis *ita ut metus non sit causa adæquata movens voluntatem ad operandum, sed sit vel causa partialis tantum vel se habeat solum per modum conditionis;* deinde *ita ut metus sit causa totalis et adæquata movens voluntatem ad operandum sed tamen relinquens in eadem voluntate affectum repugnantem actui ad quem movet metus;* tandem *ita ut metus sit causa adæquata movens voluntatem ad operandum et nullum in eadem voluntate relinquens affectum aliquomodo repugnantem.* Quam diversus autem pro singula illa diversa hypothesi sit metus influxus in actionis voluntarium, satis etiam explicatum est (2).

ARTICULUS III.

De ignorantia.

§ I.

DE NOTIONE IGNORANTIÆ.

Ignorantiæ definitio.

63. Ignorantia proprie dicta est *privatio scientiæ cujus aliquis est capax pro tempore et statu.* Ea autem quæ homines ignorant sunt duplicis speciei : aliqua enim tenetur quis scire;

(1) Cfr. Billuart, de act. hum. diss. I, art. 7.

(2) Cfr. Præpositus in 1. 2. q. 6. a. 6. et de matrim. q. 3. dub. 9; Sanchez, de matrim. lib. 4. disp. 1-11.

quædam vero sunt quæ, licet quis scire possit, non tamen scire tenetur; in primo casu ignorantia vocari potest *positiva*, in altero *privativa*. « Ignorantia importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire. Horum autem quædam aliquis scire tenetur, illa scilicet sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere: unde omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei et universalia juris præcepta, singuli autem ea quæ ad eorum statum vel officium spectant. Quædam vero sunt quæ, etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata geometriæ et contingentia particularia nisi in casu (1). »

Differentia a nescientia,

64. Differt autem ignorantia proprie dicta imprimis a *nescientia* quæ simplicem carentiam scientiæ importat: « unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas, secundum quem modum Dion. in Angelis nescientiam ponit (2). » Differt deinde ab *errore* cujus est approbare falsa pro veris; videlicet error importat actum intellectus, quo positive judicamus rem aliter se habere quam revera se habet; ignorantia vero non importat tale judicium, sed tantum privationem quamdam cognitionis per modum habitus in intellectu permanentem : unde licet error semper habeat ignorantiam conjunctam, potest ignorantia esse sine errore. Differt tandem ab *inadvertentia* quæ non opponitur scientiæ et cognitioni, sed solum privat actuali advertentia seu memoria, et vocari solet ignorantia actualis, inconsideratio seu oblivio. Cæterum quæ de ignorantia dicemus accommodanda erunt ad inadvertentiam. « Bene, ait Suarez, ignorantiam non differre ab inadvertentia seu oblivione actuali quoad excusandum a culpa. Distinguuntur enim eo quod ignorantia habitum importet, inadvertentia tantum actum. . . . Tandem monuerim inadvertentiam seu oblivionem actualem frequentius absque culpa

errore,

inadvertentia.

(1) S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. (2) S. Th., ibid.

contingere quam ignorantiam habitualem. Quod illam prævenire non tam facile in nostra potestate sit, nec teneamur semper extraordinaria remedia adhibere ad illam præcavendam. Hanc autem semel addiscendo possumus pro omnibus actionibus toto vitæ decursu occurrentibus expellere (1). »

§ II.

DE SPECIEBUS IGNORANTIÆ.

Generalis distinctio.

65. Ignorantia, prout eam consideramus in theologia morali, tripliciter distingui potest : primum, ratione *causæ* seu *voluntatis a qua procedit*, distinguitur in ignorantiam *vincibilem*, *voluntariam*, *culpabilem* et ignorantiam *invincibilem*, *involuntariam*, *inculpabilem ;* deinde, ratione *effectus* seu *actus qui ex ea vel cum ea fit*, distinguitur in ignorantiam *antecedentem* et ignorantiam *concomitantem ;* postremo, ratione *objecti seu rei ignoratæ* distinguitur in ignorantiam *juris* et ignorantiam *facti.*

I.

DE IGNORANTIA VINCIBILI ET INVINCIBILI.

Ignorantia invincibilis et vincibilis physice.

66. Ut hanc distinctionem rite intelligamus advertendum est voces illas « vincibilis, invincibilis » posse « late sumi ut significent absolutam et physicam potestatem et impotentiam hominis ad expellendam aliquam ignorantiam cujuscumque rei sit : et hoc modo solum illa ignorantia poterit dici proprie invincibilis quæ humano modo expelli non potest, qualis vix reperitur nisi in amentibus vel aliis hominibus qui non possunt ratione uti, aut de his rebus seu factis quæ loco aut tem-

(1) Sanchez, Præcepta Decal. lib. 1, c. 16, n. 8 et 40.

pore a nobis distant vel similibus (1). » Non spectamus ignorantiam tali sensu vincibilem vel invincibilem, sed agimus de ignorantia vincibili et invincibili *moraliter*. Ea autem ignorantia sic dicitur invincibilis quæ *morali diligentia* depelli non potuit, sive quia de re quapiam investiganda nulla cogitatio subiit, sive quia obortum forte dubium, utut diligentia adhibita, disjici non potuit. Ad illam porro diligentiam moralem non requiritur ut omnia media possibilia adhibeantur, quod onus esset importabile ; sed quidam sufficit diligentiæ modus, morali judicio definiendus, atque humanæ conditioni accommodatus, quem nimirum homines prudentes et in rebus suis adhibere et ab aliis exigere rationabiliter pro rei gravitate et pro conditione personarum solent (2). Proinde vincibilis ignorantia dicitur si hujus moralis diligentiæ ope tolli potuit (3). Ex quibus perspicuum est duplici ex capite fieri posse ut ignorantia sit moraliter invincibilis, nimirum vel quia non cogitavit quis de veritate quærenda, vel quia si cogitavit quidem, diligentiamque adhibuit, ad veritatem tamen non pervenit (4). vel moraliter.

(1) Suarez, in 1. 2. tr. 2, disp. 4, s. 1. n. 16.

(2) « Qualis vero diligentia adhibenda sit.... ut deinceps ignorantia et inadvertentia... manentia censeantur invincibilia non potest certa regula præscribi, sed id prudentis arbitrio remittendum est, qui eam esse sufficientem censebit quam communiter prudentes adhibent proportionatam juxta præcepti, officii et personæ qualitatem..... Unde si vir indoctus sit, viros doctos et carentes morali suspicione male consulendi ex malitia aut ex negligentia consulere debet. Si autem vir doctus sit, debet studium sufficiens adhibere ut vel sic ignorantiam culpabilem evadat... Et aliqui excusabuntur consulendo aliquem, alii tamen illum consulendo non excusabuntur, ut vetula vel rusticus consulendo parochum excusantur, et tamen sæpe vir urbanus non excusaretur. » Sanchez, de præcep. decal. lib.1, c. 16, n. 36.

(3) Ballerini, opusc. cit. n. 18-21.

(4) In hac quæstione non pigeat viros magnos audire : Suarez, in 1. 2. tract. 2, disp. 4, s. 1, n. 19 : « Et ideo dicendum cum communi sententia ignorantiam invincibilem illam esse in qua homo voluntarie nihil facere

Ignorantia involuntaria et voluntaria :

67. Jam ex dictis liquet ignorantiam invincibilem esse *involuntariam* seu potius *non esse voluntariam*, vincibilem vero esse *voluntariam*. Potest autem ignorantia vincibilis esse voluntaria vel *in se* vel *in causa*, et quidem in causa dupliciter, videlicet *per non applicationem mediorum ad scientiam acquirendam*, vel *per non remotionem impedimentorum quæ scientia acquisita uti non sinunt*. Porro *a)* Ignorantia in se

affectata,

voluntaria dicitur *affectata;* est ergo ignorantia affectata illa in quam actus voluntatis fertur. Imo « licet non semper quis velit directe ignorare, si tamen directe velit non facere diligentiam quam putat esse necessariam, hoc satis ad ignoran-

omittit eorum quæ potest et debet facere ad illam expellendam, et nihilominus eam expellere non potest... Sed quod ad potestatem attinet, intelligendum est non solum *de potestate remota sed aliquo modo proxima*, id est, *quod juxta capacitatem hominis, et consideratis circumstantiis et notitia quam habet, possit se applicare ad illam diligentiam faciendam, quia licet illa diligentia in se sit possibilis, tamen si in mentem hominis nunquam venit de illa cogitare aut de aliqua re quæ moraliter posset ad illam excitare, vel certe si eodem modo nunquam intellexit illud esse medium accommodatum ad scientiam acquirendam, non potest dici talis diligentia moraliter esse in hominis potestate.* Atque eodem modo circa obligationem oportet advertere *non satis esse hominem teneri ad aliquid faciendum, quod si faceret, non ignoraret, sed oportet ut teneatur id facere ad scientiam acquirendam.* Nam alia obligatio est quasi extrinseca et per accidens : atque eodem modo necessarium est, ut homo non excusetur a tali obligatione propter aliquam aliam causam rationabilem ; nam quoad rem moralem perinde est excusari et non teneri. » Sanchez, in præcepta decal. lib. 1, c. 16, n. 24 : « Deducitur primo esse sano modo intelligenda jura ac doctores dum æquiparant *scire* et *debere scire*, passimque dicunt esse indirecte voluntariam ignorantiam et inadvertentiam, cum quis vel *scivit, advertitve,* aut *debebat scire* et *advertere*. Hæc enim intelligenda sunt quando adfuit aliqua actualis plena et sufficiens ad mortale advertentia ad malitiam objecti, ejusve periculum, seu dubium et scrupulus saltem... Quia dum hæc actualis advertentia non adfuit, non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam et inconsiderationem, aut non est plene ita ut ad mortale sufficiat. At ea advertentia existente, tenetur et potest intellectus deliberare et voluntas diligentiam adhibere ad sciendum, et proinde si non adhibeat, imputabitur culpæ. »

tiam affectatam. Oportet autem, ut existimo, ut talis voluntas non inquirendi scientiam, non oriatur ex alia priori ignorantia non affectata, sed tantum indirecte voluntaria; tota siquidem ignorantia subsequens per primam radicem est mensuranda; ut si quis directe nolit in aliquo negotio diligentiam facere ad inquirendam veritatem, quia putat se in illa re esse sufficienter instructum, illa non esset ignorantia affectata, si hæc alia tantum esset indirecte voluntaria, et etiam illa non esset culpabilis, si hæc esset involuntaria (1). » Ignorantia affectata frequentius invenitur in addictis rebus carnalibus, iniquis contractibus, vel certæ opinioni erroneæ etc., a qua divelli non cupiunt. *b)* Ignorantia in causa voluntaria proveniens ex non applicatione mediorum ad scientiam acquirendam dicitur ignorantia *negligentiæ;* hæc autem varie distinguitur: nam si negligentia sit summa, ita ut nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium ponatur, ignorantia dicitur *crassa,* seu *supina* (quæ a quibusdam gravior statuitur quam crassa); si vero negligentia sit communis, ita ut diligentia aliqua adhibeatur, non tamen sufficiens, ignorantia dicitur *simpliciter vincibilis;* demum si negligentia sit omnino levis, ignorantia dici poterit *stricte vincibilis.* Utcumque autem, pro varia negligentiæ mensura, plures paucioresve ignorantiæ gradus atque appellationes statuere arrideat, hoc ratum habeatur, nempe: levem moraliter esse posse negligentiam, etsi de re gravi agatur (2). Tandem *c)* ignorantia in causa voluntaria proveniens ex non remotione impedimentorum, a S. Thoma dicitur voluntaria *per accidens*, atque ita describitur: « Tertio dicitur aliqua ignorantia voluntaria per accidens ex eo scilicet quod aliquis directe vel indirecte vult aliquid ad quod sequitur ipsum ignorare. Directe quidem sicut ap-

supina et crassa,

simpliciter vincibilis,

stricte vincibilis;

voluntariaper accidens.

(1) Suarez, in 1, 2. tract. 2. disp. 4, s. 1, n. 13.

(2) Ball. opusc. cit. n. 20 et 21.

paret in ebrio qui vult superflue vinum potare per quod privatur rationis usu; indirecte autem cum aliquis negligit repellere insurgentes passionis motus qui percrescentes ligant rationis usum in particulari eligibili (1). »

Ignorantia inculpabilis et culpabilis,

68. Distinctio ignorantiæ in vincibilem et invincibilem per se non coincidit cum alia distinctione in *culpabilem* et *inculpabilem*. Nam ut ignorantia sit vincibilis, requiritur simpliciter quod sit voluntaria; ut autem sit culpabilis requiritur præterea quod sit prohibita seu privans scientia præcepta. « Solum oportet advertere duobus modis posse hominem teneri ad aliquid sciendum: primo modo absolute et per se, prout fideles tenentur scire res fidei, et tunc ita est ignorantia culpabilis ut constituat propriam speciem peccati, de qua agitur in materia de fide. Secundo modo potest homo teneri ad aliquid cognoscendum solum in ordine ad actionem, si eam operari vult, et tunc ignorantia non constituit propriam speciem peccati, sed est actionis circumstantia, cum qua unum peccatum constituit (2). » Quamvis autem hæc sit inter ignorantiam vincibilem et invincibilem, atque culpabilem et inculpabilem differentia, proprie tamen ad materiam moralem nihil refert ignorantia rei nullo modo præceptæ, quia illa nihil confert ad bonitatem vel malitiam actionis, et ideo semper agimus de ignorantia quæ per se opponitur præcepto. Porro ignorantia potest esse culpabilis graviter vel leviter; gravitas autem culpæ in ignorantia oritur tum ex gravitate rei circa quam versatur ignorantia, tum ex gravitate negligentiæ et ignaviæ in scientia comparanda. Disputant vero auctores utrum quæcunque ignorantia graviter culpabilis sit crassa aut supina, an vero dari possit ignorantia graviter culpabilis quæ non sit crassa vel supina: de qua controversia legantur pro

graviter vel leviter.

(1) De malo, a. 8 et 1. 2. q. 19. a. 6.
(2) Cfr. Suarez, l. c. n. 11.

utraque parte Suarez (1) et Sanchez (2). Tandem advertendum est aliud esse ignorantiam esse culpabilem, aliud esse per culpam contractam. Fieri enim potest « ut causa ignorantiæ fuerit aliquod peccatum et tamen ipsa ignorantia sit invincibilis : quando nimirum non habet per se connexionem cum tali culpa, quoad obligationem sciendi, sed per accidens id contingit, id est, *quando obligatio vitandæ illius culpæ non procedit ex obligatione sciendi talis præcepti.* Tunc quamvis causa culpabilis sit, ignorantia tamen erit inculpabilis. Ut si casu promulgaretur lex aliqua in templo die festo, et quisquam culpabiliter sacrum omisit, cui si interesset, illam audiret, ignorantia ejus legis in hoc erit inculpabilis : etsi causam illi dederit mortalis omissio sacri. Quia obligatio sacri audiendi, nec totaliter, nec partialiter nascitur ex obligatione novæ legis sciendæ : et cum talis nil penitus de ea lege promulganda nosset, non potuit moraliter ea intentione legis audiendæ templum adire : imo, etsi obligatio vitandæ illius culpæ esset ex obligatione sciendi præcepti, adhuc stat, ut ignorantia ex illa culpa procedens sit invincibilis : quando, scilicet, eam culpam admittens nullatenus ad sciendi præcepti obligationem advertit, nec dubitatio aliqua illius obligationis occurrit, ut sic diligentiam adhiberet (3). »

Ignorantia per culpam contracta.

II.

DE IGNORANTIA ANTECEDENTE ET CONCOMITANTE.

69. Ignorantia *antecedens* illa dicitur quæ est causa actionis, causa nempe privativa seu removens prohibens, quatenus si ignorantia non adesset, sed scientia opposita, opus non poneretur. Ignorantia *concomitans* illa dicitur quæ nullatenus est

Ignorantia antecedens et concomitans :

(1) De censuris, disp. 4, sect. 10, n. 10.
(2) De præc. decal., lib. 1. c. 16 n. 7.
(3) Sanchez, l. c. n. 31. Cfr. Suarez, in 1. 2, disp. 4, sect. 1, n. 12.

causa actionis, quia si adesset scientia opus æqualiter, imo forte facilius et promptius poneretur.

utraque vincibilis vel invincibilis.

70. Hæc distinctio cadere potest in membra præcedentis; videlicet utraque ignorantia tum antecedens, tum concomitans potest esse vincibilis vel invincibilis, voluntaria vel involuntaria, culpabilis vel inculpabilis. Si ergo ignorantia invincililis cum non paucis auctoribus vocatur antecedens respectu voluntatis, quia nimirum antecedit voluntatem ignorandi, et ignorantia vincibilis vocatur consequens respectu voluntatis, quia consequitur voluntatem ignorandi, ignorantia antecedens respectu effectus seu actus poterit esse antecedens vel consequens respectu voluntatis; et pariter ignorantia concomitans respectu effectus seu actus poterit esse antecedens vel consequens respectu voluntatis. Nulla autem datur ignorantia consequens respectu effectus seu actus, quia ignorantia quæ consequeretur ex aliquo opere ut effectus non potest influere in illum actum ex quo ipsa sequitur. Unde opere posito non restat aliqua ignorantia quæ sit operis effectus præter eam quæ est consequens respectu voluntatis (1).

(1) Hinc intelligitur quomodo duabus distinctionibus modo explicatis æquivaleat trimembris illa distinctio quæ apud S. Th. et ex ipso apud alios passim legitur, nimirum in ignorantiam *antecedentem, concomitantem* et *consequentem.* » Ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis. Uno modo concomitanter, alio modo consequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur..... Et talis ignorantia non facit involuntarium sed facit non voluntarium. Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem in quantum ipsa ignorantia est voluntaria..... Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria..... non potest causare simpliciter involuntarium, causat tamen secundum quid involuntarium, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset, scientia præsente. Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, et tamen est causa volendi quod alias non vellet... et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.» 1. 2. q. 6 a 8 in o. Jam ex toto contextu patet a doctore angelico comparationem

III.

DE IGNORANTIA JURIS ET FACTI.

71. Ignorantia juris habetur quando aut ignoratur generatim lex seu præceptum, aut etiam non constat, num casus quispiam generali aliqua lege comprehendatur; et quidem juris ignorantia subdividi solet prout versatur vel circa jus *naturale*, vel circa *positivum divinum* aut *humanum*, et hoc ipsum vel *ecclesiasticum* vel *civile* etc. Facti vero ignorantia habetur quando ignoratur non quidem rei prout apprehenditur, habitus ad legem, sed rei in se spectatæ circumstantia aliqua aut etiam substantia seu natura (1). Ita v. g. si quis contractum ineat cum minore, cum amente etc., ignorans cum hujusmodi se non posse contractum inire, est ignorantia juris; si vero cum hujusmodi contrahat ignorans solum se contrahere cum minore, amente etc. est ignorantia facti. Pariter si nesciat sacrum esse audiendum die dominica est ignorantia juris; si vero nesciat hodie esse diem dominicam est ignorantia facti. Sunt qui duplici huic ignorantiæ speciei tertiam addunt sc. pœnæ, quæ habetur quando nescit quis crimini cuipiam *peculiarem* aliquam pœnam esse de jure adnexam : verum talis ignorantia commode reducitur ad ignorantiam juris.

Ignorantia juris,

facti,

pœnæ.

fieri ad *voluntatem absolute sive ignorandi sive operandi;* et ignorantiam antecedentem vocari quæ omnem omnino antecedit voluntatem tum ignorandi, tum operandi (« quando non est voluntaria et tamen est causa volendi quod alias non vellet »); ignorantiam consequentem vocari quæ consequitur aliquam voluntatem ignorandi (... « in quantum ipsa est voluntaria. »); concomitantem vero dici quæ comitatur aliquam voluntatem, saltem operandi (... « quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur... »). Ex quo ulterius videre est in hac trimembri distinctione ignorantiam antecedentem non eodem modo ad concomitantem se habere ac ad consequentem. Nam a concomitante contradistinguitur per comparationem ad actionem veluti ad effectum, et sic nulla est ignorantia consequens; a consequente autem per comparationem ad voluntatem veluti ad causam et sic nulla est ignorantia concomitans.

(1) Ballerini, opusc. cit. n. 22.

72. Hæc ignorantiæ distinctio cadere potest in membra præcedentium; nimirum ignorantia tum juris tum facti potest esse antecedens vel concomitans, vincibilis vel invincibilis. Quæstio autem specialis quousque dari possit ignorantia invincibilis non solum juris positivi sed etiam juris naturalis, ad præsentem materiam non pertinet et alibi opportunius tractabitur.

§ III.

DE INFLUXU IGNORANTIÆ IN VOLUNTARIUM.

Ignorantia omnis impedit ne actus sit voluntarius in se;

73. *Omnis ignorantia efficit ut actus ex ea vel cum ea positus non sit voluntarius in se.* Ratio est quia voluntas non potest ferri in incognitum: ergo ignorantia necessario efficit ut id quod ignoratum est, ut sic, non possit esse in se volitum; hoc autem requiritur ad voluntarium in se. « Solum posset aliquis dubitare de ignorantia affectata; nam hæc non videtur excludere hoc voluntarium directum (in se); cum enim aliquis vult ignorare prohibitionem superioris ut liberius operetur, tunc directe vult sic operari et tamen operatur ex ignorantia affectata. Respondetur aut ibi non esse voluntarium directum, aut eo modo quo est non esse ex ignorantia ulla sed supponere cognitionem; ille enim non vult absolute efficere illam operationem quatenus continet transgressionem præcepti, quia revera non scit esse tale præceptum, nec hujusmodi transgressionem.... Qui ergo ita vult ignorare, directe solum vult operationem illam cujus prohibitionem ignorare vult; et ad summum vult etiam se exponere periculo transgrediendi legem, seu sic operari etiamsi contingat id esse prohibitum, et respectu hujus voluntarii directi (in se) non habet ignorantiam; nam satis cognoscit esse possibile et contingens illud esse prohibitum (1). »

(1) Suarez, in 1 2, tr. 2. disp. 4, s. 2. n. 9.

74. *Ignorantia invincibilis, sive antecedens, sive concomitans, sive juris sive facti, tollit omne voluntarium in actu qui ex ea procedit vel cum ea ponitur.* Ratio cur juris vel facti ignorantia invincibilis antecedens tollat voluntarium, est quia id quod fit ex ignorantia invincibili non est voluntarium in se, ut jam probavimus ; nec est voluntarium in sua causa sc. ignorantia, cum et ipsa supponatur involuntaria : ergo nullo modo est voluntarium. Præterea invincibilis ignorantia juris naturalis ac divini (atque a fortiori juris humani et facti) excusat a peccato, ergo tollit voluntarium ; nam in præsenti eatenus deesse potest ratio peccati, quatenus deest ratio voluntarii : probatur antecedens quoad jus naturale ex damnatione propositionis 2 inter 31 ab Alexandro VIII proscriptas « *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali;* » quoad jus vero positivum divinum, ex damnatione propositionis Baii 68 : « *infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* » Ratio deinde cur juris vel facti ignorantia invincibilis concomitans voluntarium tollat, est quia tunc actio non est voluntaria in se, cum sit ignorata, neque in causa : non quidem in ignorantia cum hæc involuntaria supponatur et aliunde non sit actionis causa ; nec etiam in negligentia vel imprudentia, cum omnes cautiones ad effectum præcavendum fuerint adhibitæ (1). Bene autem advertendum est id intelligendum esse de actione in se spectata, non vero de malo desiderio, si quod aut habitu aut actu agenti inerat, neque de pravo affectu quo opus ignoranter subsecutum probetur (2). Neque doctrinæ modo expositæ obstat nota regula « *ignorantia facti non juris excusat* » nam in ea regula non agitur de excusatione in foro conscientiæ in ordine ad culpam, sed de

invincibilis tollit voluntarium ;

(1) Lessius, in 12, q. 6, a. 8, dub. 4, n. 53. (2) Ballerini, opusc. cit. n. 27.

excusatione in foro externo in ordine ad pœnam subeundam, detrimentum patiendum, emolumenti jacturam faciendam (1). Notari hic potest communiter post S. Thomam dici quod ignorantia antecedens causet involuntarium, concomitans vero faciat non voluntarium; hæc autem differentia intelligenda est de affectu non actuali sed habituali, seu potius interpretativo: nam quando ignorantia est antecedens, quia homo est ita affectus ut, si sciret, non ageret, Censetur actio non solum privative involuntaria seu non voluntaria, sed etiam quodammodo positive involuntaria, quia præsumitur illa voluntas habitualiter habere affectum contrarium, cujus signum est tristitia postea subsecuta, adveniente scientia; quando vero ignorantia est concomitans, nullum involuntarium admiscetur, quia voluntas non habet affectum contrarium, et libentius forte esset actura si scientia adesset, cujus signum est gaudium postea subsecutum, adveniente scientia (2).

vincibilis non tollit,

75. *Ignorantia vincibilis sive juris sive facti, sive antecedens sive concomitans, non tollit voluntarium in actu qui ex ea procedit vel cum ea ponitur.* Ratio propositionis quoad juris vel facti ignorantiam antecedentem, est quia illa ignorantia est causa actus seu effectus, ut ex definitione constat; ergo si ipsa est voluntaria etiam effectus erit voluntarius, dummodo verificentur conditiones ad voluntarium in causa requisitæ. Quoad juris vero vel facti ignorantiam concomitantem, rem sic explicat Suarez: « Ille (agens cum ignorantia) tenetur expellere illam ignorantiam, ad evitandum actum, et voluntarie hoc facere omittit; ergo voluntarie etiam operatur saltem indirecte (in causa). Quare nihil refert quod hæc ignorantia non sit causa actus, et quod si adesset scientia actus nihilominus fieret: tum quia quamvis demus illum actum non esse voluntarium in ignorantia tanquam in causa, erit tamen illa

(1) Reiffenstuel, tract. de reg. juris, in 6, cap. 2, ad reg. 13.
(2) Suarez, l. c. n. 17.

ignorantia conditio sufficiens ut ille actus sit voluntarius indirecte (in causa) quatenus homo potest illum vitare et non facit. Tum etiam quia ille effectus est voluntarius in alio actu directe (in se) voluntario, ut v. g. occisio hominis in venatione ; ignorantia autem voluntaria, quamvis sit concomitans, est ratio seu conditio ut prior ille actus (venandi) imprudenter seu incaute fiat, et consequenter ut in illo censeatur volitus effectus inde secutus(1).» Notemus ignorantiam vincibilem antecedentem causare involuntarium secundum quid saltem habitualiter non vero ignorantiam vincibilem concomitantem; ratio prioris est quia ille qui ex tali ignorantia operatur ita est animo affectus ut si scientiam haberet non ageret; ergo saltem ex parte involuntarie agit, cujus signum est quod statim ac sciverit doleat; ratio posterioris partis est quia quod solum cum ignorantia fit, non displicet; ejus causa enim non est ignorantia, cum etiamsi non adfuisset ignorantia, res æque acta esset. Advertendum demum est quod, « cum ignorantia habeatur ut causa sequentis actus, et hic ideo voluntarius existat, quia voluntaria est ipsa causa, consequatur hujusmodi effectum non posse esse magis voluntarium quam sit ipsa ignorantia; unde si illa sit tantum imperfecte voluntaria, v. g. ex levi negligentia quæ ad peccatum mortale non sufficit, etiam effectus erit imperfecte voluntarius et excusabitur a culpa mortali (2). » Proinde generatim dici potest: quo major fuerit ignorantia vel magis voluntaria, eo cæteris paribus, reddit magis vel minus actum voluntarium. Unde ignorantia affectata, magis voluntarium facit, quam crassa, et hæc magis quam simpliciter vincibilis.

76. *Quamvis ignorantia vincibilis voluntarium non tollat, illud tamen minuit.* Etenim illa ignorantia vincibilis voluntaria sed minuit,

(1) L. c. n. 19. Cfr. Lessius, l. c. n. 54.
(2) Baller. opusc. cit. n. 31.

est in se vel in causa. Jam vero *a)* ignorantia in causa quocumque demum modo voluntaria « puta cum aliquis non vult laborare in studio ex quo sequitur eum esse ignorantem, vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate ex quo sequitur inebriari eum et discretione carere, diminuit voluntarium et per consequens peccatum : « *cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, dici non potest, quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens : unde ibi est minor contemptus, et per consequens est minus peccatum* (1). » *b)* Circa ignorantiam autem volutariam in se seu affectatam, videtur esse inter auctores controversia, aliis affirmantibus (2), negantibus aliis (3) propter illam voluntarium minui. Quæ res ut apte solvatur, advertendum est ad diversa motiva ex quibus ignorantia affectata potest procedere. Quadruplici enim ex capite præcipue contingit ut quis velit aliquid ignorare. Primo quidem *ne subire debeat studii laborem.* Deinde, *ne retrahatur a peccato :* tunc ignorantia oritur ex cupiditate aliquid agendi conjuncta cum voluntate non faciendi id quod constat esse peccatum : ut si dubites aliquid ab ecclesia definitum esse,

(1) S. Thom. 1. 2. q. 76, a. 4.

(2) Ita v. g. S. Bonaventura. « Notandum est quod *omnis* ignorantia aliquo modo excusat peccatum ; et ratio hujus est *quia minuit de ratione voluntarii : minuit etiam de ratione contemptus : cæteris enim paribus* magis contemnit *qui peccat ex industria quam qui peccat ignoranter.* Et iterum : *cum voluntarium includat in se cognitionem, quod privat cognitionem, privat de ratione voluntarii : quia ergo peccatum mensuratur secundum qualitatem libidinis et contemptus, et ignorantia diminuit de ratione horum, generaliter verum est quod omnis ignorantia, in quantum hujusmodi excusat peccatum :* et si tanta sit quod privet omnino rationem voluntarii et rationem contemptus, excusat a toto : si vero non omnino privat, a tanto ; concedendæ igitur sunt rationes ostendentes quod ignorantia excusat peccatum » in 2 dist. 22. art. 2, q. 3.

(3) Sic S. Thomas l. c. « Contingit quandoque quod talis ignorantia directe et per se est voluntaria : sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid ut liberius peccet, et talis ignorantia videtur *augere voluntarium* et peccatum; *ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod quis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi.* »

nolis tamen inquirere, ne cognita illa Ecclesiæ definitione, a tuis opinionibus cogaris recedere. Tertio, *ut liberius peccet :* talis paratus est actionem ponere, etiamsi contingat illam esse contra leges et præcepta ; tamen ne sentiat conscientiæ remorsus, vult leges illas et præcepta ignorare. Tandem *quia leges et præcepta contemnit atque auctoritatem a qua eduntur despicit*, cujusmodi sunt rationalistæ illi qui nihil curant quid Ecclesia doceat, quidve præcipiat. Ex his patet ignorantiam primo et secundo modo affectatam antecedentem, tertio autem et quarto modo potius concomitantem esse dicendam. Quibus præmissis generatim statuimus *ignorantiam etiam affectatam, qua talem, minuere voluntarium quocunque ex capite oriatur.* Ratio autem illa est quam urget S. Bonaventura, scilicet : illud quod procedit ex ignorantia etiam affectata vel cum ea ponitur, non est voluntarium in se sed tantum est voluntarium in causa ; atqui quod est tantummodo voluntarium in causa minus voluntarium est quam si in se intenderetur ; ergo ignorantia etiam affectata, qua talis, minuit voluntarium. Et sane difficultas esse non potest de ignorantia affectata primo sensu, quam reipsa affectatam dicendam esse non pauci theologi negant. Neque difficultas esse potest de ignorantia affectata secundo sensu ; nam ignorantia illa non procedit ex intentione voluntatis ad peccatum quatenus peccatum est ; sed procedit ex intentione voluntatis ad actum qui peccatum quidem est, quem tamen vellet non esse peccatum, siquidem ut eum actum ponat vult ignorare rationem peccati quæ in ipso reperitur. Idem fere dici potest de ignorantia affectata tertio sensu ; nam ut generatim ait Joannes De Lugo « pejus est violare præceptum notum quam nolle illud cognoscere ut sine remorsu violetur : *plus enim reverentiæ et timoris ostenditur in secundo casu quam in primo.* » Quantum denique ad ignorantiam affectatam quarto sensu, apprime distingui debet ipsa ignorantia ab inordinata animi

etiam affectata.

dispositione ex qua illa ignorantia procedit: repugnat ut ignorantia *qua talis*, non reddat actum minus voluntarium quam si scienter poneretur : habitualis tamen animi dispositio ex qua procedit ignorantia continet specialem malitiam, ratione cujus transgressio legis magis peccaminosa est ; atque ita aliquo modo dici potest quod ignorantia affectata augeat peccatum, dummodo ratum habeatur *illud quod reipsa peccatum transgressionis auget non esse ignorantiam qua talem, sed ignorantiæ causam.* Ita Lessius, qui postquam multis probaverat *aliquam* ignorantiam affectatam *augere* voluntarium et peccatum, sibi objicit auctoritatem S. Bonaventuræ : « divus Bonaventura dicit generaliter verum esse omnem ignorantiam in quantum hujusmodi excusare peccatum, ergo etiam hæc excusabit et proinde minuet voluntarium. » Respondet autem « *excusat qua parte est ignorantia quia occultat conditionem operis, sed accusat et auget ratione causæ suæ* (1). »

Inadvertentia.

77. Ea quæ hucusque de ignorantia exposita sunt applicari debent inadvertentiæ; verum ne res præpostere intelligatur apprime distinguendum est inter *inadvertentiam naturalem* et *inconsiderationem actu voluntariam.* De inadvertentia naturali bene procedunt ea quæ diximus circa ignorantiam invincibilem « quia non est in potestate hominis facere ut omnia quæ habitu scit aut memoria retinet, sibi actu offerantur : quando ergo objectum considerandum nullo modo offertur, neque in se formaliter, neque in aliquo alio quod possit excitare cognitionem ejus, tunc oblivio est naturalis et involuntaria (2). » At inconsideratio actu voluntaria a peccato non excusat : imo vix fieri potest ut sine tali inconsideratione peccatum committatur; aliis verbis moraliter loquendo semper

(1) In 1. 2. q. 6. a. 8, dub. 3. Cfr. Suarez, in 1. 2. tr. 2, disp. 4, sect. 2. n. 24. 25; Præpositus in 1. 2. q.6. a. 8, dub. 2; Azor, inst. mor. lib. 1, cap. 14; De Lugo, de pœnit. disp. 16, n. 183. Sporer, l. c. ass. 5, n. 37.

(2) Suarez, in 1. 2, tract. 2, disp. 4, sect. 3, n. 7.

in omni peccato occurrit aliqua inconsideratio practica vel pravitatis objecti vel actus (1). Unde breviter dicere possumus: ut quis actualiter peccet non requiritur advertentia ad malitiam *formalis*, *reflexa*, *perceptibilis*; sed sufficit *virtualis*, *implicita* et *imperceptibilis* (2).

ARTICULUS IV.

De Concupiscentia.

§ I.

DE NOTIONE CONCUPISCENTIÆ EJUSQUE SPECIEBUS.

78. Vox « concupiscentia » tum in SS. litteris tum apud scriptores ecclesiasticos vario sensu usurpatur: ea enim designatur aliquando *ipsa potentia* scilicet facultas concupiscendi seu appetitus sensitivus; aliquando autem *defectus aliquis habitualis*, nimirum privatio integritatis originalis, sive deordinatio virium hominis, qua fit ut appetitus non amplius subjiciatur rationi, nec corpus animæ (3); aliquando demum *actus*, et quidem rursus multipliciter: nam concupiscentia dicitur vel *quivis actus appetitus sensitivi*, vel magis stricte *actus appetitus sensitivi quatenus iste appetitus est concupiscibilis et fertur in delectabilia*, in oppositione ad actum appetitus sensitivi quatenus est irascibilis et fertur in ardua; vel adhuc strictius *actus appetitus sensitivi indeliberatus formaliter quatenus est rationem præveniens, ipsi reluctans et nos ad pec-* Concupiscentiæ notio.

(1) Suarez, in 1. 2. tract. 5. disp. 5. sect. 1, n. 12.
(2) Suarez, in 1. 2. tract. 2, disp. 4, s. 3 n. 14.
(3) Cfr. S Th. comp. theol. c. 172.

catum alliciens, quo sensu a S. Aug. sæpe vocatur « libido (1). » Porro concupiscentia, prout de ea nunc agimus, est quævis passio, et definiri potest « *quilibet motus appetitus sensitivi prosequentis bonum sensibile vel fugientis malum sensibile per sensus et imaginationem apprehensum.* »

Distinctio in antecedentem

79. Concupiscentia autem sic sumpta distinguitur in *antecedentem* et *consequentem*. Antecedens concupiscentia ea dicitur quæ ordine causalitatis præcedit consensum voluntatis, et illam suo modo trahit ut consentiat; aliis verbis concupiscentia antecedens dicitur quæ ex sola apprehensione objecti delectabilis vel contrarii, absque ulla deliberatione intellectus vel consensu voluntatis exsurgit vel durat in parte sensitiva; ut dum quis ex fortuito aspectu rei turpis, sentit se moveri ad delectationem carnalem, vel ex præsentia inimici sentit se moveri ad vindictam etc.

et consequentem.

Consequens vero concupiscentia ea dicitur quæ ordine causalitatis sequitur actum voluntatis, quod quidem fieri potest dupliciter, nimirum per *redundantiam*, quando ex eo quod voluntas intense moveatur in aliquid, correspondens aliqua passio excitatur in appetitu inferiori, vel *per directam excitationem*, quando quis studiose appetitum inferiorem excitat atque acuit ad promptiorem et intensiorem operationem, prout solent facere illi qui volunt vindictam de injuria sumere vel pœnam exigere etc. Quo sensu Arist. pulchre dixit « viri fortis esse non quidem agere ex ira, sed excitare in se iram, » et S. Aug. « Cum rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere (2)? »

(1) Cfr. de civit. Dei, lib. 14, c. 15, n. 2.
(2) De civit. Dei, lib. 14, c. 9, n. 3.

§ II.

DE INFLUXU CONCUPISCENTIÆ IN VOLUNTARIUM.

Voluntarium concupiscentia antecedens tollit vel minuit ;

80. *Concupiscentia antecedens semper minuit, aliquando tollit voluntarium.* Ratio est quia causæ quæ minuunt vel tollunt judicium rationis, minuunt vel tollunt voluntarium; atqui concupiscentia antecedens semper minuit judicium rationis, aliquando vero illud totaliter aufert; ergo concupiscentia antecedens vel minuit vel etiam tollit voluntarium. Minor explicatur verbis S. Thomæ « impeditur enim judicium et apprehensio rationis propter vehementem et inordinatam apprehensionem imaginationis, et judicium virtutis æstimativæ (1). » Videlicet, cum concupiscentia voluntatem fortiter impellat ad agendum, eo ipso impedit ne intellectus attendat ad varias circumstantias objecti, et ne perfecte deliberare possit utrum actus sit ponendus nec ne. Rursus « dicendum quod si concupiscentia totaliter rationem auferret, sicut contingit in illis qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod concupiscentia voluntarium tolleret (2). » Potest nimirum vehementissima passio concupiscentiæ adeo intellectum perturbare, et sola objecti concupiti consideratione occupatum excæcare, ut non possit omnino deliberare, perpendere vel apprehendere, rationes in oppositum.

non consequens.

81. *Concupiscentia consequens formaliter et proprie loquendo neque auget, neque minuit voluntarium.* Ratio est quia concupiscentia consequens, qua talis, comparatur ad voluntatem ut effectus ad causam ; ergo, qua talis, non potest augere vel minuere illam, siquidem effectus, ut effectus, nihil causet in suum principium. Proinde concupiscentia consequens potius

(1) 1, 2, q. 73, a. 6; q. 77, a. 1. (2) 1. 2. q. 6. a. 7 ad 3.

est signum majoris vel minoris voluntatis, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum. Adverti autem potest concupiscentiam consequentem respectu voluntatis posse esse antecedentem respectu alterius voluntatis, seu respectu actus vel effectus in se non intenti a voluntate, sed vi passionis causati: in hoc casu applicanda sunt principia de voluntario in causa.

APPENDIX

De consuetudine.

Consuetudinis notio.

82. Ex principiis positis definienda est etiam quæstio de *consuetudine*. Consuetudo de qua in præsenti agitur est operandi facilitas et promptitudo iteratis actibus comparata; distinguitur autem in *bonam* et *malam*, prout actiones ad quas incitat honestæ sunt vel pravæ. Porro quæ pertinent ad consuetudinem bonam hic præterimus, unice solliciti in tradendis generalibus principiis de consuetudine mala, quæ in theologia morali maxime usu veniunt.

Distinctio in bonam vel malam;

voluntariam vel involuntariam.

83 Consuetudo mala *voluntaria* est vel *involuntaria*. Voluntaria est, quando quis actus frequentavit cum prævisione consuetudinis contrahendæ, eamque efficaci proposito nondum retractavit; vel quando consuetudinem etiam inadvertenter acquisitam animadvertens, eam tollere non curat. Involuntaria consuetudo est, quando quis actus frequentavit sine prævisione consuetudinis acquirendæ, eamque jam acquisitam advertens auferre conatur, debitamque ad hoc diligentiam adhibet; vel quando consuetudinem, etiam voluntarie contractam, efficaci jam proposito retractavit et debitum ad eam deponendam conatum adhibet.

Influxus in voluntarium.

84. Consuetudo mala voluntaria, *vel aufert omnem advertentiam in actibus ex ea positis, vel sufficientem adhuc advertentiam relinquit.* In priori casu consuetudo tollit *voluntarium in se*, atque actiones ex ea procedentes malæ erunt non in se sed *solum in causa*, videlicet: in frequentatione actuum cum prævisione consuetudinis contrahendæ, quod quidem fere nunquam contingit, vel saltem et sæpius in negligentia qua quis consuetudinem malam antea acquisitam auferre non curat. In posteriori casu consuetudo *non tollit* voluntarium in se, sed illud *minuit*, quia minuit advertentiam et deliberationem: unde ex hac parte minorem reatum habet qui ex consuetudine peccat, licet alium reatum contraxerit in positione vel non ablatione causæ scilicet consuetudinis. Quod si consuetudo sit involuntaria omnino æquiparari debet concupiscentiæ antecedenti (1).

(1) Cfr. Sanchez, de præc. decal. lib. 3. c. 5.; Sporer, theol. mor., tr. 1. c. 7. s. 2. Layman, lib. I, tr. 2. c. 3. n. 6. Ballerini, nota ad. n. 300, Gury.

LIBER II.

DE LEGE.

PROÆMIUM.

DE GENERALI NOTIONE LEGIS.

85. Lex, quæcumque sit vocis etymologia, universaliter dici potest *norma et regula operandi*. Porro regula operandi habetur tum pro agente physico, tum pro agente libero; pro agente autem libero regula rursus duplex est: per alteram enim dirigitur ad pulchrum efficiendum, utile acquirendum, commodum obtinendum; per alteram vero obligatur ad bonum et sanctum præstandum. Jam vero a nobis in præsenti hæc ultima tantum consideranda est, quæ dicitur *lex moralis* et communiter post S. Thomam definitur « *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata* (1). » In qua definitione multa breviter comprehenduntur; quæ singillatim in sequentibus sunt explicanda ut legis notio habeatur plena et accurata.

Definitio legis.

86. Dicitur itaque 1° « *ordinatio.* » Lex enim jubet, præscribit, obligat et in eo differt a consilio quod dirigit tantum et suadet. Est itaque *obligatio* de essentia legis. Jam vero nomine obligationis intelligitur *moralis necessitas liberum arbitrium adstringens ad actionem aliquam ponendam vel omittendam.* Distinguitur autem obligatio in *activam* et *pas-*

Distinctio legis a consilio ratione obligationis;

(1) 1. 2, q. 90. a. 4 in 0.

sivam : activa est vis necessitatem moralem subjectis imponens; passiva est ipsa necessitas moralis obediendi in subjectis existens; prior est immediata causa posterioris. Rursus obligatio passiva considerari potest vel *in actu primo*, ut aiunt, vel *in actu secundo :* in actu primo est ipsum voluntati impositum vinculum morale in se spectatum; in actu secundo est idem morale vinculum ab obligato cognitum. Obligatio tum activa tum passiva in actu primo recte nuncupatur *objectiva ;* passiva autem in actu secundo merito vocatur *subjectiva.* Porro cum obligatio sit vinculum morale quo voluntas adstringitur, liquet ad ejus existentiam, præter voluntatem quæ ligatur exigi causam superiorem quæ ligat, siquidem liberum arbitrium seipsum ligare non valet.

87. Dicitur 2° « *Rationis.* » Voluntas enim superioris qui legem fert debet in jubendo a ratione dirigi, ac proinde lex ipsa rectæ rationi conformis sit oportet; erit autem rectæ rationi conformis, si justa sit, utilis, ac moraliter possibilis. De his veræ legis qualitatibus, plura deinceps dicemus ubi de lege positiva humana; interim manifestum est duplicem in legis conceptu involvi actum legislatoris, alterum intellectus quo judicat de agendis, alterum voluntatis quo obligat ut fiant; atque hæc est ratio propter quam in scripturis leges indiscriminatim sive *judicia*, sive *voluntates* nuncupantur.

88. Dicitur 3° « *Ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis.* » Quibus verbis indicantur *subjectum, auctor* et *finis* legis, ac simul significatur in quibusnam lex differat a *præcepto* proprie dicto. *a)* Subjectum cui lex imponitur non est persona singularis, sed est communitas qua talis : e contra subjectum præcepti potest esse persona singularis. *b)* Auctor legis ille est qui curam habet communitatis; ad legem nimirum condendam non sufficit potestas œconomica vel dominativa qualem habent maritus in uxorem, pater in filios, dominus in servum, herus in familiam, quæ suffi-

a præcepto, ratione

subjecti,

auctoris,

cit ad præceptum imponendum sed requiritur potestas politica, publica, gubernativa, quæ nomine *jurisdictionis* designatur. *c)* Finis legis est bonum communitatis qua talis; finis præcepti est bonum privatorum; videlicet quando conditur lex, directe et primario spectatur bonum commune: ex quo indirecte et secundario bonum privatorum oritur; quando autem datur præceptum, directe et primario spectatur bonum privatorum quatenus sunt homines singillatim sumpti, ex quo indirecte et secundario dimanat bonum communitatis. Hinc *d)* intelligitur præterea quare lex debeat esse *stabilitatis* et de se perpetua: cum enim feratur pro communitate quæ, ut talis, non moritur, atque originem habeat ab auctoritate politica quæ, utpote societati essentialis non mutatur quamvis personæ in quibus residet sibi succedant, sequitur nec per mortem aut secessum ferentis, nec per mortem illorum qui communitatem componebant quando constituta est, legem cessare, sed ipsam transire ad posteros et permanere, nisi ejus materia fiat inutilis vel impossibilis aut superioris auctoritate expresse vel tacite abrogetur: e contra præceptum, quia datur personæ privatæ ad bonum privatum auctoritate æconomica, transitorum est. *e)* Demum quum lex feratur pro communitate qua tali, si communitas illa sit localis, lex non obligat extra ejus territorium; præceptum autem, quia datur personæ, eam ubique comitatur, *atque ossibus hæret*, quocumque discesserit.

finis,

stabilitatis,

extensionis.

Promulgatio.

89. Dicitur 4° « *Promulgata.* » Promulgatio sumitur duplici sensu, activo scilicet et passivo: promulgatio active sumpta est *signum quo voluntas superioris qui obligat cognoscibilis redditur subditis qui obligantur*, passive autem sumpta promulgatio nihil aliud est quam *ipsa legis divulgatio et notitia:* prior sensus est omnino proprius, posterior est improprius. Porro promulgatio active sumpta necessaria est ut lex vim possit obtinere, seu ut sit vera lex; nequit enim superior ra-

tionabiliter velle ut subditi ad aliquid teneantur, nisi hanc suam voluntatem ipsis manifestet; aliis verbis hæc promulgatio requiritur ut existat obligatio objectiva, promulgatio autem passive sumpta necessaria est ut habeatur obligatio subjectiva. Ad vitandas æquivocationes nos in decursu tractationis, nomine promulgationis semper intelligemus promulgationem activam; promulgationem vero passivam designabimus nomine cognitionis, notitiæ.

Partitio materiæ.

90. Plurimæ hic assignari solent legum species, quas nunc recensere omittimus, sola præ oculis habita distinctione legis in *naturalem* et *positivam*; hæc enim distinctio, utpote maximi momenti et omnino adæquata, partitionem assignabit tractatui nostro, in quo tota materia evolvetur duplici capite quorum prius erit de lege naturali, posterius vero de lege positiva.

CAPUT PRIMUM

DE LEGE AETERNA ET NATURALI.

ARTICULUS I.

De legis æternæ et naturalis notione.

Ordo naturalis hominis ad Deum.

91. *Est aliquis ordo naturalis hominis ad Deum, ad seipsum et ad proximum.* Dicimus primo *hominis ad Deum;* nam Deus est creator, gubernator, dominus supremus, verbo ens infinitum a quo omnia in omnibus pendent; homo autem est creatura, servus, ens finitum quoad omnia pendens ab ente infinito: unde inter Deum et hominem adsunt relationes

creaturæ ad creatorem, servi ad dominum etc.; illæ autem relationes sunt essentiales, siquidem oriuntur ex rerum essentiis, ex eo scilicet quod Deus sit Deus et homo sit homo. Dicimus secundo *hominis ad seipsum* ; nam homo constat duplici parte quarum una sc. anima superior est, altera sc. corpus inferior; unde inter animam et corpus adsunt relationes eæque essentiales quæ nimirum enascuntur ex ipsa hominis constitutione. Dicimus tertio *hominis ad proximum;* nam homo factus est socialis, destinatus scilicet ad formandam triplicem societatem conjugalem, domesticam, politicam: unde inter virum et mulierem, inter parentes et filios, inter inferiores et superiores, atque inter ipsos inferiores, sunt relationes et quidem essentiales provenientes ex eo quod unus sit vir et altera mulier, unus prælatus et alter subditus etc., verbo ex eo quod homines eamdem naturam habeant, differant tamen sexu et conditione.

ad seipsum,

ad proximum.

Qui ordo est norma operandi.

92. *Homo operans juxta hunc ordinem naturalem agit secundum suam naturam suamque perfectionem ac proinde merito dicitur agere convenienter, recte, bene:* ut v. g. si divinæ sapientiæ et veracitati fidem præstet; benignitati, misericordiæ, omnipotentiæ spem ac fiduciam; summæ bonitati amorem; sanctitati cultum; supremæ auctoritati obedientiam; munificentiæ gratitudinem; item si appetitum subjiciat rationi, vires inferiores superioribus; si proximum amet, revereatur parentes, obediat superioribus, sit sincerus et fidelis omnibus, misericors erga egentes, aliasque virtutes ad ordinatam societatem pertinentes exerceat. Quapropter actiones humanæ conformes his relationibus essentialibus hominis ad Deum, ad seipsum et ad proximum vocari debent actiones convenientes, honestæ, rectæ et intrinsece bonæ quia earum bonitas oritur ex ipsa ordinis exigentia et rei natura, non vero solum ex conformitate cum mandato libero; actiones vero quæ eisdem relationibus conformes non sunt, appellari debent disconvenientes, inhone-

stæ, pravæ, turpes, et intrinsece malæ; quales sunt infidelitas, blasphemia, idolatria, quia repugnant recto ordini erga Deum; odium proximi, læsio famæ, inobedientia, quia repugnant recto ordini erga proximum; gula, luxuria, avaritia, quia repugnant recto ordini quem creatura rationalis debet servare erga seipsam. Unde ordo naturalis, seu quod idem est, relationes illæ essentiales sunt regula moralitatis fundamentalis, et radicalis, seu norma discriminans actiones bonas a pravis. Quum autem rerum essentiæ, ac proinde essentiales relationes quæ inter diversa entia existunt, pendeant ab essentia divina quatenus est possibilium fons et origo, dicendum est regulam supremam moralitatis in Deo tandem suum fundamentum habere

Hunc ordinem Deus servari jubet

93. *Exstat divinum mandatum illudque necessarium, ordinem hunc naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Omnes gentes in hoc mandato agnoscendo semper convenerunt; ratio autem a priori est quia Deus, utpote ordinis naturalis causa non solum efficiens sed etiam exemplaris, non potest, quin seipsum neget, non ordinare creaturas juxta propriam cujusque perfectionem et finem, seu juxta essentiales cujusque relationes. Jam vero creaturas rationales *liberas* Deus aliter ordinare nequit quam imponendo eis obligationem moralem, id est, præcipiendo et mandando.

ac propterea prohibet actiones ipsi contrarias, actiones vero eidem conformes necessarias præcipit.

94. *Mandatum divinum ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, eo ipso prohibet omnes actiones quæ sunt huic ordini contrariæ, scilicet inhonestas et turpes; actiones vero eidem ordini conformes, non omnes præcipit, sed eas duntaxat quæ necessariæ sunt ad ordinis conservationem, et quarum omissio turpis est;* atque ideo est idem mandatum regula moralitatis suprema formalis, imperans seu inducens moralem necessitatem. Hæc conclusio ex præcedenti sequitur, et eodem argumento probatur. Deus enim sanctissimus est, atque odio necessario habet inhonestas actiones et omissiones; jam vero qui sanctissimus est et odio necessario

prosequitur turpes actiones et omissiones non potest non eas interdicere illis quorum ipse causa efficiens est atque exemplaris, et finis absolute ultimus.

Quod Dei mandatum sub diverso respectu vocatur lex naturalis

95. *Mandatum divinum ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, merito dicitur sub diverso respectu lex naturalis et lex æterna.* Merito dici potest *lex naturalis* quia præcipit ordinationem naturalem, quia promulgatur per naturale rationis lumen, quia integræ humanæ naturæ imponitur, quia denique a Deo fertur ut auctore naturæ. Merito

et lex æterna.

etiam dici potest *lex æterna*, quia necessario imponitur et præcipit ordinem dimanantem ex æternis rerum essentiis. Unde lex æterna est ipsissima lex naturalis ; at dicitur naturalis quatenus in ipsa considerantur relationes essentiales ut sunt existentes in rerum natura ; dicitur æterna quatenus considerantur essentiæ metaphysicæ necessario existentes in mente Dei, et in divino decreto sub hypothesi creationis (1).

Hinc vera legis naturalis definitio.

96. Definiri ergo potest lex naturalis : « *Mandatum divinum, necessarium, lumine naturali manifestatum, rectum ordinem conservari jubens, perturbari vetans, ac proinde præcipiens ea quæ ad dictum ordinem servandum sunt necessaria ;* » vel etiam « *ordinatio divina, æterna, necessaria qua Deus præcipiendo intrinsece bona et prohibendo intrinsece mala dirigit hominem ad finem suum ultimum* » vel demum « *lex quæ naturæ rationali indita et necessario imposita est a Deo ut auctore naturæ, præcipiens ea quæ ordini naturali consentanea sunt.* »

Ejus elementorum expositio.

97. Itaque *Auctor* legis naturalis est *Deus ;* subjectum est *creatura naturalis ; præco* est *lumen rationis ; objectum seu materia*, quatenus lex est prohibens, sunt *actiones intrinsece malæ*, quatenus vero præcipiens, *sunt actiones intrinsece bonæ ; principium cognoscendi* immediatum est *recta constitu-*

(1) Cfr. Caretti, phil. mor., n. 180-182.

tio naturæ rationalis qua homo se rite habeat ad Deum, seipsum et proximum, mediatum autem sunt *infinita sanctitas, bonitas, sapientia, providentia, aliæque perfectiones divinæ; formula generalis* quæ omnia legis naturalis puncta continet et a qua omnia derivari possunt, est *serva ordinem;* hæc autem formula æquivalet duabus aliis: *fac bonum, vita malum.*

Aliarum definitionum explicatio.

98. Ex his patet quomodo sint interpretandæ aliæ legis naturalis definitiones. *a)* Nonnulli dixerunt legem naturalem esse *naturam rationalem:* hoc autem falsissimum est si ita intelligatur ut ultima ratio obligationis sit convenientia actuum cum natura rationali seu dignitas humanæ naturæ, prout volunt Kantiani; nam per cognitionem obligationis homo non intelligit suam dignitatem quæ imperet, sed suam dependentiam ab aliquo superiore cui teneatur subesse et obedire; est tamen verum si intelligatur ita ut natura rationalis seu ordo ex relationibus essentialibus exurgens sit fundamentum, norma discriminans, principium cognitionis, voluntas vero divina hunc ordinem servari jubens perturbari vetans sit vera ratio legis. *b)* Alii dixerunt legem naturalem esse vel *ipsum lumen rationis* vel *dictamen rectæ rationis;* verum nec lumen rationis, nec dictamen rectæ rationis est causa imperans, sed lumen rationis est medium quo voluntas imperans cognosci potest, et dictamen rectæ rationis est signum divinæ voluntatis præcipientis aut vetantis; videlicet lumen rationis seu dictamen rectæ rationis obligat *ut quo* tanquam instrumentum et signum quo Deus suam voluntatem proponit; minime autem obligat *ut quod* et per se, cum ipsum non sit nobis superius. Hinc si complecti simul velimus voluntatem divinam, et signum illam manifestans, dicemus legem naturalem esse: « *judicium intellectus de voluntate Dei ut supremi naturam gubernantis mala vetantis et bona præcipientis* » vel cum S. Thoma «*participationem legis æternæ in rationali creatura.*»

ARTICULUS II.

De promulgatione et cognitione legis naturalis.

Promulgatio legis naturalis per lumen rationis

99. Quamvis promulgatio sit conditio essentialis ut lex vim suam obtineat, diversimode tamen fieri potest pro diversa indole ipsius legis. Porro legem naturalem Deus promulgat *a*) *per lumen rationis unicuique homini inditum*, qui promulgationis modus est absolute sufficiens. Nam lex naturalis non pendet a voluntate libera superioris, sed ex rerum essentiis et ex divinis perfectionibus necessario oritur; jam vero quando creatura lumine rationis prædita ad ejusdem rationis usum pervenit, potest absque nimia difficultate cognoscere tum Deum, tum essentiales rerum relationes, atque exinde intelligere valet quod Deus necessario velit ordinem naturalem servari; hæc autem Dei voluntas est lex naturalis. Quo sensu S. Augustinus ait (1): « *Quis scripsit in cordibus hominum legem naturalem, nisi Deus?* » Et S. Thomas (2) « *promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* » Eamdem legem naturalem Deus promulgavit *b*) *per supernaturalem revelationem*, qui promulgationis modus est moraliter necessarius ut lex naturalis integre, facile, absque dubitatione et errore ab omnibus sit cognoscibilis. « Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via

et per revelationem.

(1) De Serm. Domini in Monte, lib. 2, c. 9, n. 32.
(2) 1. 2. q. 90, a. 4 ad 1.

seipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio. Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est... (1). »

Illius cognitio quoad prima principia,

100. Quantum ad cognitionem legis naturalis, hæc teneri possunt. *a) Lex naturalis relate ad prima principia et ad propinquiores deductiones unicuique rationis usum habenti satis perspecta est.* Probatur propositio primum ex doctrina S. Pauli (2). « *Cum enim gentes quæ legem*, mosaicam, positivam *non habent, naturaliter*, ex solo naturali lumine rationis, *ea quæ legis sunt*, rem ipsam quæ a lege mosaica præcipitur, *faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, sensu explicato, *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum* etc. (3). » Probatur deinde propositio ex constanti doctrina SS. Patrum qui asserunt, « *naturalem legem communiter omnibus hominibus inesse* (4); » « *Nos originaliter scire quod bonum sit continentia, et malum sit fornicatio* (5); « *hominem factum esse sufficientem ad veritatis electionem, et vitii fugam* (6). » « *Dei legem haberi communem in publico mundi, in naturalibus tabulis ad quas et Apostolus solet provocare..... ut cum ad Romanos natura facere dicens nationes ea quæ sunt*

(1) Conc. Vaticanum, Const. *Dei Filius*, cap. 2. Cfr. S. Th. Cont. gent. lib. 1. c. 4; 2. 2. q. 2 a. 4. (2) Rom. 2. 14—16.

(3) Cfr. Franzelin, de Deo Uno th. 3-6; Jungmann, de Deo n. 13, 14, ubi ampla et omnino accurata legitur hujus loci interpretatio dogmatica.

(4) Origenes, in Rom. lib. 2, n. 7, 8, 9.

(5) S. Chrysostomus, hom. 12, n. 3. (6) id. hom. 5, in Rom.

legis, et legem naturalem suggerit, et naturam legalem (1); » « *legem naturalem eam esse quæ non aliqua lectione percipitur, sed ex profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, et humanis hauritur ingeniis* (2); et alia multa hujusmodi in quibus lex naturalis dicitur *inserta, indita in mente, inscripta in corde.* Ubi obiter notandum est his locutionibus non significari morales notiones esse insitas innatasque, adeo ut quum objectum singulare exhibetur, desinant latitare atque in actum prodeant; sed unice significari quod ab ipsa origine facultas maximam habeat dispositionem ad hujusmodi notiones efformandas, adeo ut intellectus, statim ac singulare objectum exhibetur, abstractione eas notiones atque inde spontanea analysi principia efformet. Hunc et non alium esse sensum SS. Patrum in locis allegatis evidentissime demonstratur ex generali eorum theoria humanæ cognitionis et ex contextibus in quibus locutiones illæ leguntur (3); hanc etiam esse mentem doctoris Angelici patet ex multis locis (4), ubi aperte docet morales notiones *non proprie* sed *quodammodo* insitas esse, immo non ipsas notiones in se esse insitas, sed naturalem dispositionem ad principia moralia facile intelligenda.

quoad remotiores conclusiones.

b) Quamvis ergo haberi non possit ignorantia invincibilis circa prima legis naturalis principia et proximiores deductiones, haberi tamen potest circa remotiores conclusiones, eaque « ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare non est cujuslibet sed sapientum... (5) » Id autem cum sæpe alias, tum potissimum evenire solet, quando ita concurrunt plura præcepta, ut ad utramlibet oppositorum partem obligari agens

(1) Tert. de coron. milit., c. 6.
(2) S. Ambrosius, de fuga sæc. c. 3. n. 15.
(3) Cfr. Franzelin, op. cit. thes. 7.
(4) 1, q. 79, a 12; q. 84, a 3; de mente a. 6.
(5) S. Thomas, 1, 2, q. 100. a. 1.

videatur (1). Non inutile erit hic exscribere ea quæ sapientissime docuit Sanchez (2): « Non potest dari ignorantia invincibilis circa prima juris naturæ principia, qualia sunt : bonum esse faciendum, malum vitandum, quod tibi non vis, alteri ne feceris; quia cum adeo sint perspicua, et veluti naturæ ac luminis rationis claritati insita, nemo est ratione utens qui nequeat ad ipsa cognoscenda moveri... Inter hæc etiam merito numerantur illa decalogi præcepta quæ ex hujusmodi principiis nullo negotio a quovis homine deduci possunt, ut esse Deum colendum, honorandos parentes... De reliquis decalogi præceptis... placet quod docet Vasquez nimirum, quando nulla circumstantia vestiuntur quæ a culpa excusare videatur, possunt diu ignorari, non tamen toto vitæ curriculo ; quippe sunt ita naturæ consentanea ut non possit non semel vel iterum animum pulsare fæditas et turpitudo peccati. At aliqua circumstantia apparenter excusante vestita possunt toto vitæ curriculo invincibiliter ignorari; ut furtum licere ad erogandam eleemosynam, vel perjurium ad propriam vel alienam vitam tuendam..... Et similiter, ait Azor, hodie multos rusticos invincibiliter ignorare peccatum esse mentiri propter aliquod maximum bonum. Cui ego addo reperiri multos invincibiliter ignorantes esse peccatum perjurium ob vitam aut honorem propria vel aliena tuenda, et similiter pollutionem esse peccatum; quod maxime in pueris contingit. » Ita etiam Suarez (3): « Mea sententia breviter est prima principia ignorari non posse ullomodo nedum invincibiliter; præcepta vero particularia quæ vel per se nota sunt, vel facillime ex per se notis colliguntur, ignorari quidem posse, non tamen sine culpa, saltem per longum tempus, quia et facillima diligentia cognosci possunt, et natura ipsa et conscientia ita pulsat in

(1) Ballerini, opusc. cit. n. 26.

(2) De præc. decal. lib. 1. c. 16 n. 33.

(3) De leg. lib. 2. c. 8. n. 7.

actibus eorum, ut non permittat inculpabiliter ignorari, et hujusmodi sunt præcepta decalogi et similia, et hoc satis significavit Paulus ad Rom.; nam de transgressionibus horum præceptorum loquebatur quando de gentibus dicebat datas esse in reprobum sensum propter peccata sua..... alia vero præcepta quæ majori indigent discursu ignorari possunt invincibiliter, præsertim a plebe... »

101. Ex his quæ breviter in hoc articulo delibavimus patet quomodo circa cognitionem legis naturalis plus minusve sive per excessum sive per defectum erraverint rationalistæ, traditionalistæ, patroni idearum innatarum, jansèniani, rigoristæ.

ARTICULUS III.

De legis naturalis immutabilitate.

Variæ legis naturalis proprietates.

102. Præter *necessitatem* et *perspicuitatem* de quibus jam satis dictum est, aliæ sunt legis naturalis proprietates, videlicet *universalitas*, *unitas*, *immutabilitas :* universalitas, quia lex naturalis obligat omnes illos qui habent naturam rationalem; unitas, quia una est in omnibus et ubique; immutabilitas, quia eadem semper manet. De universalitate et unitate legis naturalis non est hic fusius loquendum, quum res sit per se evidens; diligentius autem tractandum est de ejus immutabilitate, siquidem accurate cognovisse in quo hæc proprietas consistat et quomodo sit intelligenda, maximopere juvat resolutionem plurium quæstionum quæ in decursu theologiæ moralis solent agitari.

103. Præsupponendum itaque est propriam legis mutationem dupliciter fieri posse; ab intrinseco scilicet et ab extrinseco : ab intrinseco quidem, quum lex quæ prius ratio-

nabilis erat et ad commune bonum utilis, postea irrationabilis et noxia evadit propter novas supervenientes circumstantias; ab extrinseco autem, quum potestas superior quæ boni communis curam habet vel in lege derogat vel eam totaliter abrogat, vel subditos ab ipsa dispensat. Jam vero *nullo ex his modis lex naturalis mutari potest.* Imprimis mutari nequit ab intrinseco : nam lege naturali præcipiuntur quæ ex essentialibus hominis relationibus necessario dimanant et vetantur quæ iisdem essentialibus relationibus sunt omnino opposita; atqui essentiales hominis relationes immutabiles sunt ut rerum essentiæ; ergo. Neque mutari potest ab extrinseco : honestas enim actionum quas lex naturalis præcipit, et inhonestas actionum quas vetat, sunt intrinsece ac metaphysice necessariæ, ac proinde insunt actionibus independenter a divina voluntate; idcirco supra diximus Deum *necessario* præcepisse quæ sunt juxta naturalem ordinem ac *necessario* prohibuisse quæ huic ordini adversantur. Atqui in his quæ metaphysice necessaria sunt repugnat exceptionem ullam fieri. Repugnat ergo esse aliquando conveniens naturæ et ordini non oppositum quod vi naturalis legis est naturæ contrarium et inordinatum; ac proinde si Deus aliquando probaret quod lex naturalis vetat, probaret aliquid quod inhonestum est et irrationabile, quod omnino absurdum est.

Legi naturali competit omnimoda immutabilitas.

104. Hæc quidem difficultatem non patiuntur; ad vitandas tamen æquivocationes juverit nonnulla advertere. Imprimis igitur, *ab eo quod est de jure naturali proprie dicto, quod scilicet lex naturalis absolute et positive præcipit vel prohibet, distinguendum est illud quod est de jure naturali improprie dicto, quod nimirum lex naturalis non absolute et positive præcipit vel prohibet velut necessarium ad ordinis conservationem, sed ad quod inclinat tanquam ad magis perfectum, aut a quo refugit tanquam a minus perfecto :* in hujusmodi, ut patet, natura fundamentum præbet legi po-

Attamen mutatio aliqua fieri potest : in iis quæ sunt de jure naturali improprie dicto;

sitivæ constituendæ, potius quam legem ipsa immediate inducat (1).

in facultatibus a jure naturali relictis;

105. Deinde, *ab eo quod est de jure naturali negative seu concessive et permissive, distinguendum est illud quod est de jure naturali positive.* « Negative, dicitur quod jus naturale non prohibet, sed admittit, quamvis neque illud positive præcipiat: quando vero aliquid præcipit dicitur id esse positive de jure naturali, et quando prohibet, dicitur esse positive contra jus naturale (2). » Aliis verbis, confundi non potest præceptum legis naturalis proprie dictum cum facultate a lege naturali relicta: hæc facultas tolli potest quin lex naturalis mutata censeri debeat, quia lex naturalis concedit quidem ut res ita fieri possit, non tamen præcipit ut ita fiat; sic v. g. de lege naturali valida est fidejussio mulieris, validum matrimonium sine testibus, validum testamentum sine solemnitate, etc., quæ tamen omnia vi legum positivarum invalida esse possunt. Optime Suarez (3): « exemplum de testamentis vel contractibus solum probat jus humanum posse aliquid addere juri naturali, quod verum est. Neque inde sequitur aliquid contra positivum præceptum juris naturæ; quia jus naturale non præcipit v. g. ut matrimonium sine tot testibus factum valeat, sed in hoc negative se habet, non exigendo testes. Unde fit ut quamdiu jus positivum illos non postulaverit, matrimonium sine illis valeat ex vi juris naturalis; postquam autem jus positivum talem conditionem postulabat ad valorem contractus, jus naturale illi non repugnat, sed potius suo modo ad illius juris observationem obligat, et sic de aliis formis humano jure inventis dicendum est. »

in obligatio-

106. Præterea *distinguendum est inter obligationes juris*

(1) Cfr. Perrone, de matrim. Christ. lib. 3, s. 1, c. 1. a. 2; s. 2. c. 1, a. 1; Taparelli, droit naturel, lib. 7, c. 2, n. 1526; c. 3, n. 1529.

(2) Suarez, de leg. lib. 2, c. 14 n. 14. (3) L. c. n. 19.

naturalis quæ liberum actum humanæ voluntatis supponunt v. g. votum, juramentum, et obligationes quæ talem actum non supponunt : obligationes primi generis cessare possunt, si nimirum earum fundamentum legitime tollatur ; lex tamen naturalis in hoc casu minime mutatur, sed tantum deficit materia circa quam versatur. Rem bene explicant Wirceburgenses : « Quamvis Papa dispensare possit in voto et juramento, tamen dispensare non potest in lege naturali, cum facere non possit ut stante voto aut juramento non detur obligatio naturalis, quod requiritur ut dicatur dispensare in lege naturali; Pontifex ergo tantum vi jurisdictionis quam ut Christi vicarius habet in voluntates hominum quoad sacra sibi subjectas, rescindit et retractat actum voluntatis, quo quis vovit aut juravit, fere sicut Pater vi potestatis dominativæ irritat vota et juramenta filii vel impuberis cujus voluntas est subjecta patri, vel puberis in patria potestate constituti cujus non quidem voluntas, actiones tamen quæ rem familiarem et curam patris attingunt, patri subjiciuntur ; in his quippe casibus non mutatur lex naturalis, quæ nunquam exigit obligationem voti quod edidit talis filius dissentiente patre, sed ipsum votum vel juramentum cessat, sicut quando ejus materia fit impossibilis, vel non amplius est de bono meliore (1). » Optime rursus Suarez : « ... Constat... cum auferetur votum non fieri dispensationem in lege naturali, sed auferri materiam ejus; eodemque modo et non alio potest Deus auferre obligationem voti : nec enim facere potest ut votum integrum maneat, et quod lex naturalis non obliget ad implendum illud ; potest ergo Deus auferre votum, et ita subtrahere obligationem legis naturalis absque dispensatione. Imo hic addo (quamvis forte ad modum loquendi pertineat) quod licet Pontifex auferendo votum, dicatur proprie dispensare in illo,

nibus quæ factum hominis supponunt;

(1) De leg. n. 25.

si tamen Deus per se illud remittat, non tam posse dici dispensare in illo quam irritare illud; et ratio est quia Deus remittit debitum suum tanquam proprius dominus illius, et ideo donat vel irritat, non vero dispensat; sicut quando unus homo remittit alteri promissionem sibi factam, non dispensat, sed irritat illam (1). »Cur autem tolli possit materia, lex autem mutari nequeat, præclare explicat idem Doctor Eximius (2): « In his enim obligationibus quæ pendent ex consensu vel pacto humano, frequens esse potest illa necessitas dispensandi et ideo consentaneum est divinæ Providentiæ ut illam potestatem reliquerit in Ecclesia..... Item materia talis obligationis de se est mutabilis et variabilis, et humana voluntas sæpe imprudenter consentit in obligationem aliquam, et ideo materia illa apta erat ad potestatem dispensandi. At vero quando lex naturalis obligat ex vi solius rationis in materia independente a priori consensu humano, non solum esse nonpotest necessitas dispensationis, sed etiam illi repugnat, nam si res sit prohibita ratione naturali est intrinsece mala. »

in ipsa lege naturali prout solet imperfecte verbis exprimi.

107. Demum, quantum ad illa quæ positive sunt de jure naturali, et quidem independenter ab omni actu libero humanæ voluntatis adhuc distinguendum est inter legem *prout in se est* et legem *prout a nobis verbis exprimitur*: prout in se est, lex mutari nequit; prout a nobis exprimitur, multas patitur exceptiones. Præceptum videlicet supponit materiam omnibus suis notis vestitam; quod si una ex his notis desit jam præceptum non urget quia non habetur amplius casus pro quo datum est, nos vero omnes has notas formulis non complectimur, sed regulas aliquas generales breviter solemus ponere, illaque omnia quæ cum his regulis non quadrant, consideramus tanquam legis exceptiones. Sumo exemplum furti: furtum quidem est a lege naturali prohibitum; at furtum dicitur

(1) De legib. lib. 2, c. 15, n. 27. (2) Ibid. c. 14, n. 25.

albatio rei alienæ invito rationabiliter domino; fac ergo quod res desinat esse possessoris, vel quod possessor iste irrationabiliter sit invitus, licite potero ego rem illam auferre, quia deerit tunc in illa ablatione nota constituens furtum, qualiter prohibetur jure naturali. Atque ita Deus, quamvis permittere verum furtum nequeat, concedere tamen potuit Israelitis ut substantias Egyptiorum secum asportarent; si quidem, vi supremi sui in omnes res dominii potuit de illis substantiis pro suo beneplacito disponere, easque ab Egyptiis transferre in Israelitas, quo supposito, isti rem alienam non abstulerunt. Eodem modo, potest extrema necessitate laborans rem alienam sumere ubicumque eam invenerit, quoniam in hoc casu dominus vel invitus non erit vel invitus erit irrationabiliter. Sit aliud exemplum homicidii : homicidium est prohibitum lege naturali ; sed ut homicidium habeatur, plura sunt necessaria, scil. : ut occidatur homo, ut occidatur privata auctoritate, ut occidatur per modum aggressionis, non per modum cautæ defensionis. Quod si aliquid ex his desit, interfectio hominis non erit verum homicidium, ac proinde licita esse poterit. Ita quamvis Deus non modo præcipere, verum nec permittere homicidium queat, poterat tamen Abrahamo præcipere ut immolaret filium suum Isaac ; quoniam vi supremi sui in omnes creaturas dominii, Isaaco vitam auferre poterat sive quovis alio modo sive per Abrahami ministerium ; quo casu, interfectio Isaaci peracta non fuisset auctoritate privata, ac proinde verum homicidium non fuisset. Licet pariter injustum aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ: tunc enim abest altera homicidii nota. Similia generatim animadverti possunt circa illas actiones quæ jure naturali prohibentur quia afferunt nocumentum aliquod sive temporale sive spirituale, prouti sunt : lectio libri hæretici, aspectus rei turpis, conversatio familiaris cum personis alterius sexus etc. In his obscuritas sæpius provenit ex eo quod conditiones requisi-

tas ad malitiam actus exprimere sermone non solemus, aut illas verbis tantum generalioribus indicamus; dicimus, v. g. : *non licet sine justa causa occidere, usurpare bona proximi, ejus defectus divulgare;* vel simpliciter: *non licet occidere, usurpare bona alterius, ejus defectus divulgare.* Quid sit imperfecti in illis loquendi formulis, nemo non videt. Prima est quidem verissima, illud omne exhibet quod vetat lex naturalis, illudque solum; sed verba, quibus limites prohibitionis indicantur, sunt ita generalia et vaga ut totam relinquant difficultatem in assignandis casibus particularibus, pro quibus prohibitio non existit. Secunda autem formula, ne generaliter quidem indicat limites intra quos prohibitio est continenda ut vera sit. Unde necesse est ut ille qui usus est hac formula, emendet postea quod generalius dixit, variasque apponat exceptiones suæ propositioni. Dum igitur investigat et exponit causas quæ licitam reddunt actionem, *exceptiones adjicit suæ formulæ, non legi ; emendat legem qualiter eam humano modo expressit, non legem, qualis in se existit.* Unde explicationes, exceptiones hujusmodi nihil nocent intrinsecæ malitiæ actionis de qua agitur, sed illam intra justos limites determinant (1). Huc reipsa pertinent casus in quibus concurrunt duo

(1) « Considerandam est legem naturalem, cum per se non sit scripta in tabulis vel membranis, sed in mentibus non semper dictari in mente illis verbis generalibus vel indefinitis quibus a nobis ore profertur vel scribitur Ut v. g. lex de reddendo deposito, quatenus naturalis non ita simpliciter et absolute in mente judicatur, sed cum limitatione et circumspectione : dictat enim ratio reddendum esse depositum *jure et rationalibiter* petenti, vel nisi ratio defensionis justæ vel reipublicæ vel propria vel innocentis obstet. Communiter autem solet illa lex his tantum verbis exprimi : « reddendum est depositum » quia cætera subintelliguntur, nec in forma legis humano modo positæ omnia declarari possunt..... alia vero sunt (præcepta) quæ ex parte materiæ mutationes recipere possunt, et ideo limitationem vel quasi-exceptionem admittunt : unde sæpe loquimur de his præceptis ac si essent proposita per absoluta verba, sub quibus patiuntur exceptionem, quia non satis declarant ipsum præcep-

præcepta quæ simul impleri non possunt: tunc præferri debet præceptum superius, et inferius dicitur cessare; verum proprie non cessat istud præceptum sed potius concurrente præcepto superiori, habetur casus pro quo præceptum inferius nunquam latum fuit. Sic, v. g., lex naturalis quæ prohibet uniones inter personas consanguineas intelligenda est cum limitatione : *in cursu rerum ordinario* (1).

tum naturale prout in se est. Sic enim præceptum in se spectatum nullam exceptionem patitur, quia ratio ipsa naturalis dictat hoc debere fieri tali vel tali modo, et non aliter ; vel, concurrentibus talibus circumstantiis et non absque illis. Imo interdum mutatis circumstantiis, non solum non obligat naturale præceptum ad faciendum aliquid, v. g. ad reddendum depositum, sed etiam obligat ad non faciendum. Et ita facile declaratur exemplum de deposito : nam licet in hoc casu reddendum non sit, non propterea naturale præceptum mutatur : nam a principio non fuit positum pro illo casu, sed pro aliis, quos recta ratio dictat ; sicut qui non implet promissionem, quia res notabiliter mutatæ sunt, non mutatur ipse, nec lex fidelitatis servandæ mutatur, sed mutata est materia : tamen a principio illa mutatio fuit virtute excepta per conditionem in ipsa promissione subintellectam, et ita non est vera vel intrinseca mutatio, sed apparens et per extrinsecam denominationem. Idem ergo est de deposito, etiamsi deposito adjungatur promissio reddendi illud..... idemque est cum proportione de præcepto naturali servandi secretum : nam secretum est quasi depositum, quod custodiendum datur, et accipitur sub promissione servandi sine damno et injuria tertii : nam hæc conditio necessario subintelligitur, ut promissio licita sit..... Denique idem est de quinto præcepto decalogi « non occides » quod, ut naturale sit, includit plures conditiones, sc. non occides propria auctoritate et aggrediendo etc..... » Suarez, de legibus lib. 2 c. 13 n. 6.

(1) Hanc limitationem præclare explicat Taparelli op. cit. lib. 7. c. 2. n. 1543. « Supposons une seule famille tout à fait isolée dans le monde : la famille d'Adam, par exemple. Le droit qu'a cette famille à sa propagation, surpasse de beaucoup et pour plusieurs raisons les inconvénients qui peuvent résulter des alliances entre frères et sœurs; la cause d'empêchement ne se trouve donc plus ici, et ces unions qui dans une société développée seraient contraires à la nature, lui sont conformes dans le cas particulier qui nous occupe..... On le voit, le changement ici ne s'effectue pas dans le droit, dans la loi naturelle, mais dans les faits qui sont pour ainsi dire la matière du droit, et auxquels la loi naturelle doit être appliquée. »

CAPUT II.

DE LEGE POSITIVA.

Legis positivæ notio;

108. « Sciendum est, illam legem vocari positivam quæ non est innata cum natura vel gratia, sed ultra illas ab aliquo principio externo habente potestatem posita est: inde enim positiva dicta est quasi addita naturali legi, non ex illa necessario manans; unde ab aliquibus jus positum vocatur (1)... » Definiri ergo potest lex positiva « *regula rationabilis agendi, ad bonum communitatis, ipsius membris, obligatorio modo, libere proposita ab eo in quo ejusdem potestas residet* » vel « *propositio alicujus medii sive positivi sive negativi, obligatorio modo ab eo facta in quo societatis potestas residet, ad ipsius societatis finem sive immediate sive mediate assequendum sine perturbatione ordinis superioris.* »

convenientia cum lege naturali;

discrepantia a lege naturali;

109. Ex his intelligitur quæ sit inter legem naturalem et positivam convenientia, discrepantia, et dependentia. 1° *Convenientia* est in eo quod tum lex naturalis, tum lex positiva habeant essentiales legis proprietates supra descriptas. 2° *Discrepantia* est multiplex: *a) ratione legislatoris,* qui in lege naturali necessario est auctor naturæ, id est, Deus; in positiva autem esse potest vel Deus, ut in lege testamenti veteris et novi, vel Ecclesia, vel civilis potestatis subjectum; *b) ratione originis et indolis:* nam lex naturalis fertur necessario, est universalis et immutabilis; e contra lex positiva fertur libere, est mutabilis, et potest esse ac fere semper est specialis; *c) ratione modi promulgationis;* nam lex positiva essentialiter requirit liberum aliquod signum quo superioris voluntas subdito innotescat, lex autem naturalis id absolute non postulat; *d) ratione*

(1) Suarez, de leg., lib. 1, c. 3, n. 13.

materiæ; nam lex naturalis immediate solum ea præcipit quæ ita intrinsece bona sunt ut eorum omissio sit turpis, et ea solum prohibet quæ intrinsece turpia sunt; e converso lex positiva immediate potest extendi etiam ad ea præcipienda quæ ita bona sunt, ut omissio non sit turpis intrinsece, et ad ea prohibenda quæ intrinsece turpia non sunt. Dicimus *extendi* ut significemus ipsum objectum legis naturalis posse simul esse objectum legis positivæ: hinc superior societatis specialis quædam præcipere vel prohibere potest quæ ab ipsa naturali lege præcipiuntur vel prohibentur, puta cultum divinitatis aut blasphemias. 3° *Dependentia* in eo est *a)* quod lex positiva conformari debeat ad legem naturalem tanquam ad suam normam et mensuram, ita ut superior nihil præcipere possit quod lex naturalis prohibeat, nihil prohibere quod lex naturalis præcipiat, eaque tantum vel præcipere vel prohibere valeat quæ ipsa lex naturalis præcipit aut prohibet vel circa quæ lex naturalis se negative habet; dependentia in eo est *b)* quod lex positiva vim suam obligandi obtineat ex lege naturali: ideo enim tenemur facere illud quod superiores præcipiunt quia lex naturalis dictat obediendum esse superiori legitime præcipienti.

dependentia a lege naturali.

110. Hisce breviter præmissis singillatim in sequentibus inquiremus, imprimis quænam requirantur ut lex constituatur; deinde quænam sit legis jam constitutæ vis; tertio quomodo lex sit intelligenda et adimplenda; postremo quænam sint causæ sive a lege excusantes, sive a lege eximentes, sive legem tollentes.

SECTIO PRIMA.

DE REQUISITIS AD LEGIS CONSTITUTIONEM.

Conspectus generalis.

111. Tria ad veræ legis constitutionem necessaria sunt: auctoritas ex parte illius qui præcipit, aptitudo ex parte rei quæ lege precipitur et manifestatio voluntatis præcipiendi; quæ postquam successive explicaverimus, breviter inquiremus utrum præterea exigatur legis acceptatio ex parte illorum pro quibus fertur.

ARTICULUS I.

De auctore legis positivæ.

Legem ferre potest qui præest societati perfectæ;

112. Societas est multitudo hominum ea ratione coeuntium ut collatis viribus, media sibi comparent ad certum communemque finem assequendum. Quatuor igitur sunt elementa cujuslibet societatis: multitudo hominum, moralis eorum conjunctio, finis ad quem conspirant, media ad finem assequendum. Porro societas est perfecta vel imperfecta: perfecta dicitur quæ est in se completa adeoque media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet; secus vocatur imperfecta. Jam vero de natura societatis perfectæ est ut possit leges ferre; nam « competit tali societati jus exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum; atqui ad finem consequendum *pro humani intellectus diversitate*, et *voluntatis inconstantia*, *indomitoque cupiditatum æstu* in qualibet agentium multitudine necessaria est potestas aliqua, quæ habeat jus designandi media, atque omnes ad eadem

adhibenda obligandi: qua in re potestas legifera consistit; ergo potestas legifera societati perfectæ certissime competit (1). » Hujusmodi vero potestas legifera quæ societati perfectæ competit, residere debet in illo qui curam societatis habet, sive demum sit persona singularis, sive cœtus et personarum collectio.

cujusmodi sunt Ecclesia et societas civilis.

113. Ut nihil dicamus de communitate universali quam constituit genus humanum, sub Deo supremo legislatore, duæ distinguuntur societates principaliores: altera spiritualis, scilicet Ecclesia, altera temporalis, sc. regnum, imperium, respublica; utraque hæc societas est perfecta. Ergo in utraque, adest potestas legifera, residens in illis qui harum societatum curam habent.

In Ecclesia potestatem legiferam diverso gradu habet Summus Pontifex,

114. Et quidem in Ecclesia leges illi ferre possunt, quibus voluntate Christi immediata vel mediata concessa est potestas publica regendi fideles (2). Hujusmodi sunt: *a*) Summus Pontifex pro toto orbe christiano: « credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est,

(1) Tarquini, Juris ecclesiastici publici institutiones, n. 6. 7. 15.
(2) Cfr. Tarquini, op. cit. lib. 2.

immediatam esse : erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest (1). » *b)* Concilia œcumenica pro tota Ecclesia, provincialia pro provincia, diœcesana pro diœcæsi ; *c)* Episcopi pro suis subditis ac consequenter capitulum cathedrale sede vacante : « tantum autem abest ut hæc Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni : meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (2). » *d)* Abbates et prælati exempti pro suo territorio ubi quasi episcopalem exercent jurisdictionem ; ordines etiam religiosi in capitulo generali vi jurisdictionis a Pontifice concessæ. *e)* Quod demum attinet ad auctoritatem cardinalium in ecclesiis sui tituli, legatorum pontificiorum et nuntiorum in loco suæ legationis, vicariorum apostolicorum in suo districtu, non potest assignari regula generalis. In statu autem civili quinam legislativa auctoritate gaudeat, an unus vel

concilia,

episcopi,

abbates et prælati exempti.

(1) Conc. Vat. const. *Past. ætern.* c. 3.
(2) Conc. Vat. l. c.

plures etc. determinari debet ex ejus forma et constitutione.

Lex lata a non habente potestatem.

115. Advertendum autem est legem ab illo latam cui auctoritas non est, vim ligandi non habere, adeoque veram legem dici non posse, nisi accedat consensus legĭtimi superioris ; ut autem ille consensus præbeatur sæpe postulat bonum publicum, ad vitanda scilicet gravissima mala quæ secus orirentur; non enim diu societas sine legibus et sine supremo ordinante stare potest. Huc pertinent ea quæ scripsit Zallinger (1): « quia rex ejectus rempublicam administrare nequit, ideo subditi qui se invasori subjecerunt, ubi is in quieta fuerit possessione eidem tenentur obedire, non quidem ex invasoris jure quod nullum est, sed ob universale bonum, ex quo ille etiam qui jus imperandi habet, velle non potest ut populus intereat, potius quam invasori se submittat (2). »

Consuetudo potest inducere obligationem.

116. Ubi de auctore legis agitur, silentio præteriri nequit *consuetudo* quæ active et causaliter sumpta, prout in præsenti spectatur, consistit in diuturno usu populi et actibus longo tempore frequentatis a communitate vel majore ejus parte; usu enim illo, si debitæ adsint conditiones, introduci potest regula obligatoria quæ effective vocatur etiam consuetudo seu jus consuetudinarium. Porro ut obligatoria regula sic introducatur, necessarius est usus communitatis diuturnus, liber, publicus, rationabilis et pro lege susceptus, consentiente illo qui ejusdem communitatis curam gerit. Dicitur itaque *a)* « *usus* » quo vocabulo indicatur requiri actus frequentes, constantes, uniformes ; quia ex actibus non frequentatis vel non continuatis uniformiter, non intelligitur quid populus servari velit; quanta autem debeat esse hæc frequentia generali regula non potest determinari, sed in dubio res est relinquenda arbitrio viri prudentis. Dicitur *b)* « *usus communi-*

(1) Jus naturæ publicum, l. 3.
(2) Cfr. Scavini, de legibus, n. 212 et nota R.

tatis ; » nulla enim persona privata efficere potest ut per suos actus introducatur universalis regula agendi quæ vim legis habeat; debet ergo illa regula agendi ortum habere a communitate et quidem perfecta, quæ scilicet sit capax legislativæ potestatis pro seipsa vel saltem sufficiens sit ut vera lex ipsi imponi queat. Dicitur *c)* « *usus diuturnus, liber, publicus;* » videlicet debent actus exerceri per longum tempus sine interruptione, seu per decennium juxta sententiam valde receptam; debent exerceri libere, id est, sine vi aut metu, sine errore aut ignorantia : præsumi enim non potest populus velle jus stabilire per actus quos repugnans ponit, vel per actus quos ponit ex falsa persuasione quod ad illos teneatur; debent exerceri publice, quia ex actibus clam atque in occulto positis consensus populi discerni nequit. Dicitur *d)* « *usus rationabilis et pro lege susceptus;* » oportet nimirum ut usus versetur circa rem justam, honestam, utilem, et præterea servetur cum animo inducendi obligationem ; usus enim per se, sine illa intentione, nullum videtur parere jus. Dicitur *e)* « *consentiente illo qui ejusdem communitatis curam gerit;* » hujusmodi consensus duplex distinguitur, generalis et specialis : consensus generalis, qui etiam legalis et juridicus dicitur, ille est qui datus est per legem sive per jus ipsum, quatenus superior omnes usus legitime præscriptos et rationabiles admittit, atque per eos obligationem oriri determinat ; consensus vero specialis seu personalis ille est qui pro hoc vel illo usu datur, quatenus eum superior in specie expresse vel tacite admittit. Jam vero ad jus consuetudinarium introducendum requiri aliquem superioris consensum facile convenit inter auctores, siquidem nemo legem ferre obligationemque constituere valet, nisi qui aliis auctoritate præeminet; non requiritur tamen consensus specialis sive expressus, sive tacitus, sed generalis sufficit, dummodo in casu particulari superior non resistat. Habebitur itaque vera lex per morem populi introducta, quotiescumque verificantur

conditiones modo explicatæ ; quum autem ex earum directa consideratione non raro difficillime tantum res definiri queat, ad conjecturas recurrendum est v. g. si consuetudo sit rei gravis et difficilis et tamen communiter servetur a populo ; si superior reprehendat vel puniat violatores ; si materia talis sit quæ multum conferat bono Reipublicæ etc. Notandum denique est usu populi obligationem non solum introduci posse, sed etiam et sæpius abrogari et interpretari; de quibus tamen effectibus postea dicendi occasio erit.

ARTICULUS II.

De objecto legis positivæ.

Legislator potest præcipere in ordine suo.

117. Societas perfecta jus habet ad illa quæ necessaria sunt ad finem suum assequendum; leges sunt tot media quibus societas bonum suum attingit ; media autem debent esse conformia et proportionata fini ; ergo ad determinandum quid in singula societate præcipi possit, attendere oportet ad ejusdem societatis naturam et finem; ac proinde legislatores semper se continere debent in ordine proprio; quod si faciant, lex dicitur esse justa ex parte auctoris. Hoc principium egregie explicat S. Thomas (1) ubi quærit utrum subditi teneantur suis superioribus in omnibus obedire: «... Secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur sed tantum Deo, quia omnes homines natura sua sunt pares, ut in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem; unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate

(1) 2. 2. q. 105, art. 5.

servanda, aut aliquo alio hujusmodi, sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum et rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire *secundum rationem superioritatis*, sicut miles duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum, servus domino in his quæ pertinent ad servilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ et curam domesticam et sic de aliis. »

utilia,

118. Porro legislator potest in ordine suo exigere obligatorio modo illa omnia et sola quæ sunt *utilia* sc. apta et necessaria ad obtinendum proprium finem communitatis cui præest. Leges enim non feruntur ad merum exercitium virtutis et obedientiæ : nam libertas est hujusmodi bonum cui, absque gravi causa, vinculum injici nequit.

dummodo sint honesta,

119. Inter utilia autem ea sola superior imponere potest quæ sunt *honesta tum ex se, tum ex ratione qua exiguntur;* imprimis honesta esse debent ex se; atque ita nihil lege positiva statui potest quod sit contra legem naturalem, nihil lege humana quod sit contra legem divinam, nihil lege civili quod sit contra legem ecclesiasticam, nihil lege episcopali quod sit contra legem pontificiam, verbo nihil lege inferioris quod sit contra legem superioris; deinde debent esse honesta ex ratione qua imponuntur; videlicet in distributione onerum servanda est æqualitas proportionis; læditur autem hæc æqualitas quando absque causa lex quibusdam fertur non aliis, vel quando nulla ratio habetur virium et facultatum, ita ut æque graventur v. g. pauperes et divites.

licet alias jam injuncta.

120. Lex positiva potest idipsum præcipere et prohibere quod lex naturalis præcipit et prohibet, item lex humana idipsum quod lex naturalis vel divina positiva, v. g. adulteria, homicidia; ratio est quia nihil impedit aliquem pluribus titulis et causis obligari ad idem præstandum vel omittendum. Advertendum autem est illud quod lege naturali aut divina præceptum est absolute et secundum substantiam, interdum

lege humana determinari ad certum tempus, modum etc, v. g. lege evangelica præcipitur susceptio sacramenti pœnitentiæ et Eucharistiæ, lege autem ecclesiastica determinatur ut illud semel in anno, istud quovis paschali tempore suscipiatur; item beneficiati jure naturali et divino obligantur ad orandum pro fidelibus, ecclesia vero præscribit certam orandi formam, tempus etc. Præterea multa potest lex humana præcipere vel vetare vel etiam irritare quæ, nec lege naturali, nec positiva divina præcepta vel vetita sunt; ratio est quia potestas legislativa hominibus concessa est ut statuant ea quæ ad bonum commune necessaria vel utilia sunt; multa autem utilia, quinimo multa necessaria sunt, quæ nec per legem naturalem, nec per legem positivam divinam statuta sunt.

Omnium virtutum actus præcipere potest;

121. Lege humana possunt præcipi non solum opera justitiæ sed etiam aliarum virtutum; ratio est quia legislator potest ejusmodi actiones præcipere quæ sunt utiles bono communi, aut prohibere si earum omissio communitati expedire videatur. Atqui non sola opera justitiæ, sed etiam actus aliarum virtutum non raro expediunt bono communi. Ergo.

non tamen omnes cujuscumque virtutis actus,

122. Lege humana præcipi non possunt *omnes* actus cujuscumque virtutis, nec prohiberi *omnia vitia*, sed tantum graviora; ratio ex S. Thoma est quia « lex humana ponitur multitudini hominum in qua major pars est hominum non perfectorum virtute, et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere et præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non possit (1). »

nec nimis difficiles.

123. Per se et ordinarie lege humana præcipi non possunt *actus nimis difficiles*; ratio est quia lex humana debet esse

(1) 1, 2, q. 96, a. 2.

utilis bono communi; talis autem non esset si præciperet actus valde difficiles toti communitati vel saltem majori ejus parti; nam lex hujusmodi a paucis observaretur ac proinde potius esset in ruinam quam in ædificationem. Hoc sibi volunt theologi quando asserunt legem debere esse moraliter possibilem, id est, non nimis gravem, onerosam generalitati membrorum communitatis: hinc oportet ut legislator rationem habeat naturæ et fragilitatis humanæ, necnon honestæ consuetudinis patriæ; uno verbo curare debet ut personis, tempori et loco lex conveniat. Quum autem fieri possit ut lex multis quidem conveniens sit, nonnullis tamen, propter specialia adjuncta, reddatur onerosa, idcirco pro his facta est superiori facultas dispensandi. Diximus *per se*, nam facta hypothesi voluntaria subditis, res difficiles lege humana præcipi possunt; sic Ecclesia præcipit castitatem iis qui sacros ordines suscipere volunt. Diximus etiam *ordinarie*, quia in casu quo id exigit bonum commune aut legis violatio cederet in contemptum Dei, religionis, etc., lex humana observari debet etiam cum periculo vitæ, tum quia bonum commune prævalet privato, tum quia in quavis communitate perfecta est potestas ad ejus conservationem; sic potest episcopus tempore pestis obligare confessarios et magistratus publicus medicos ut maneant in civitate, hos ut animabus, illos ut corporibus consulant; dux potest obligare milites ad servandam stationem, ad irruendum in hostem etc.

Præcipi vel prohiberi possunt actus externi, etiam occulti;

124. Objectum legis esse possunt actus externi etiamsi occulti remaneant; bonum enim commune, quod est finis legis non raro postulat ut hujusmodi actus vel præcipiantur vel prohibeantur. Sed quæstio est, utrum actus interni præcipi vel prohiberi possint non solum lege positiva divina, de quo nemo dubitat, sed etiam lege positiva humana. Ad cujus quæstionis solutionem advertendum est, actum internum quatuor modis spectari posse in ordine ad actum externum: imprimis videli-

cet, ut est essentialiter conjunctus cum actu externo tanquam ejus forma, quatenus nempe interior actus voluntatis requiritur ad reddendum actum externum humanum; deinde, ut est necessario conjunctus cum actu externo non qũidem ad reddendum illum actum externum humanum, sed ad constituendam moralem substantiam ejusdem actus externi: qua ratione intentio baptizandi exigitur ut per infusionem aquæ et verborum prolationem conferatur baptismus, quamvis non requiratur ad hoc ut ipsa infusio aquæ et verborum prolatio sint actus humani; tertio, ut est cum actu externo conjunctus accidentaliter et disparate, prout in ordine ad missæ celebrationem se habet intentio illam applicandi ad talem vel talem finem; demum, ut est prorsus internus, qualis est v. g. oratio mere mentalis. Jam vero actus internus essentialiter conjunctus cum actu externo tanquam ejus forma, præcipi potest auctoritate humana tam civili quam ecclesiastica: lege enim humana ordinarie non præcipitur nec prohibetur nisi actus humanus; ad actum autem humanum requiritur interior voluntas tanquam causa ejus formalis; ergo hoc sensu actus mixti sunt certissime materia legis humanæ. Neque difficultas esse potest quoad actum internum cum externo conjunctum ad moralem ejus substantiam constituendam: nam potestate humana præcipi vel prohiberi potest id omne quod ad rectam gubernationem reipublicæ necessarium est; atqui tali modo necessarii sunt actus per se requisiti ad substantiam saltem moralem actus externi; plurimi enim refert reipublicæ, ut contractus v. g. matrimonii celebrentur valide et ut sacramenta valide administrentur; sine intentione autem contrahendi aut absolvendi vel etiam sine dolore interno, neque matrimonium neque sacramentum pœnitentiæ valeret; ergo dicendum quod potestate humana hujusmodi actus interni possint præcipi vel prohiberi. Disputant autem auctores, utrum actus internus per accidens con-

item interni cum externo conjuncti essentialiter,

aut moraliter·

junctus cum actu externo præcipi valeat humana lege, v. g. intentio impetrandi pluviam vel serenitatem per jejunium. Hujusmodi actus « de facto non cadere sub ecclesiasticam legem et forte cadere non posse sub humanum præceptum » docet Suarez (1), quam sententiam secutus est Layman, sed cum aliquo temperamento : « non poterit tamen facile legislator aut prælatus sub peccato obligare subditos ad habendam intentionem, aliamve internam dispositionem accidentalem, seu non pertinentem ad substantiam moralem operis præcepti v. g. ut orationes Deo offerantur ad particularem aliquam intentionem .... prælatis tamen regularibus paulo major potestas in suos competit ratione voti religiosi obediendi Prælato in omnibus quæ secundum regulam et ordinis consuetudinem præcipiuntur (2). » Oppositum tamen non minus probabiliter tenent Elbel (3) Reiffenstuel (4) et alii non pauci. Cæterum solutio hujus puncti pendet a solutione sequentis : res enim quoad substantiam identica est, atque eadem sunt argumenta eædemque difficultates. Quod igitur spectat ad actus mere internos, imprimis certum videtur, legislatorem civilem illos non posse præcipere vel prohibere : ratio est quia sine ejusmodi actibus finis reipublicæ, nempe exterior hujus pax ac prosperitas, sufficienter obtinetur ; an vero illos præcipere vel prohibere possit Ecclesia, valde, ut diximus, controvertitur. Communius theologi negant cum S. Thoma (5) Suarez (6) Benedicto XIV (7) ; non pauci tamen nec infimæ notæ doctores affirmant : priorum argumenta, si verum fateri velimus, non incommode solvi possunt (8); posteriores innituntur huic magni ponderis rationi, quod potestas illa quam Christus Dominus (9) Petro

vel etiam conjuncti accidentaliter, auctoritate sc. ecclesiastica ;

immo probabiliter ipsi actus pure interni.

(1) De legib. lib. 4, c. 13, n. 14.
(2) Lib. 1, tr. 4, c. 4, n. 13.
(3) De legib. n. 334.
(4) De legib. q. 5, disp. 1, n. 48.
(5) 1. 2. q. 91, a. 4 ; q. 100, a. 9.
(6) De legib. lib. 4, c. 12.
(7) De Synodo diœces. lib. VIII, c. 32.
(8) Cfr. Ballerini, in nota b. ad n. 89, tom 1.
(9) Matth. 16, 19.

ejusque successoribus concessit dicendo : quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, sit generaliter et sine restrictione ad actus externos, concessa, adeoque debeat generaliter intelligi et consequenter extendi quantum rationabiliter fieri potest; atqui rationabiliter potest extendi ad actus mere internos; quia finis legislatoris ecclesiastici non sistit præcise in externa gubernatione reipublicæ christianæ, sed ulterius vel maxime tendit ad animarum salutem procurandam (1).

Actus præteriti sub nova lege præcipiente nunquam cadere possunt ;

125. Quoad quæstionem utrum materia legis humanæ esse possit actus præteritus, exponemus theoriam Suarezii (2). Distinguit Doctor Eximius leges mere præcipientes vel probibentes a legibus pœnalibus et irritantibus. Porro repugnat imprimis ut lex mere præcipiens vel prohibens pro objecto habeat actus jam præteritos : lex enim ponitur ut regula actuum humanorum; actus autem præteriti jam regulæ novæ incapaces sunt (3).

rarissime sub lege pœnali

Si autem sermo sit de lege pœnali, utrum quoad effectum suum possit extendi ad actus præteritos, imprimis videndum est an actus præteritus fuerit antea prohibitus vel non ; et si prohibitus fuerit, ulterius inspiciendum est, an ipsi, nec ne, indicta sit pœna : si non fuerit antea prohibitus non potest per posteriorem legem juste puniri (4); si autem antea jam prohibitus fuerit

(1) Elbel. n. 333. (2) De legib. lib. 3. cap. 14.

(3) « Obligatio locum non habet in actibus præteritis, quatenus præteriti sunt, ut per se... constat et ideo quoad hunc effectum non potest legislator, etiam si maxime cupiat, extendere novam legem ad actus præteritos, quia si illi facti sunt sine culpa non poterunt reddi culpabiles propter legem postea latam » l. c. n. 9.

(4) « Non est actus dignus pœna nisi quatenus per illum violatur aliquod jus ; per actum autem præteritum non violatur jus posterius conditum ; ergo ut possit per posteriorem legem juste puniri, necesse est, ut supponatur fuisse contra aliquod jus antiquum. Hoc autem intelligendum est de propria pœna... nam si sola sit irregularitas vel inhabilitas, potest ex præterito actu imponi, etiam sine culpa ejus cui imponitur..... Exempla sunt..... in concilio Tridentino sess. 23. cap. 6, de reformat. ubi

sed sine indictione pœnæ determinatæ, poterit lex juste punire præcedens delictum designando pœnam a judice inferendam; rarissime vero vel nunquam poterit punire pœna ipso jure imposita (1); demum si fueritantea sub determinata pœna prohibitus, vix potest illa pœna per posteriorem legem augeri, nisi forte a supremo principe propter aliquam urgentem causam (2). Relate vero ad leges actum irritantes, videndum est utrum actus semel factus ex natura sua vel ex Christi institutione
vel irritante. sit necne indissolubilis; si omnino indissolubilis sit, non potest lex posterior hujusmodi actum præteritum pro objecto habere; si autem non sit ita indissolubilis, videndum est an omnino firmus sit, quia scilicet peractus juxta omnes leges tunc vigentes; an vero licet validus, sit aliquo modo infirmus, quia ex aliqua parte contra legem factus: in primo casu actus semel factus, moraliter loquendo, non potest per subsequentem legem irritari, nisi forte in pœnam alicujus delicti, vel propter tantam necessitatem boni communis ut ad subveniendum illi possit quis suis bonis privari, quia per talem actum est jus acquisitum de se firmum et stabile; in altero casu poterit facilius per subsequentem legem irritari: nam talis irritatio

disponit de ordinatis in minoribus et comprehendit eos qui ante illam legem erant ordinati » l. c. n. 9.

(1) « Oportet autem.... observare duobus modis posse legem punire præcedens delictum. Primo, pœna ipso jure imposita et hoc rarissime vel nunquam fit, quia esset nimis rigorosum; unde censuræ (quæ maxime solent ipso jure imponi) nunquam imponuntur propter præteritum delictum ut sic.... Alio modo designat lex pœnam inferendam a judice et hoc facilius fieri potest, etiam in ordine ad delicta jam commissa, quando non habebant certam pœnam taxatam, nam tunc futura erat arbitraria, et hoc arbitrium potest lex definire » l. c. n. 10.

(2) « Si autem prius erat pœna imposita per priores leges, vix potest augeri per posteriorem legem in ordine ad delicta jam commissa, quia illa jam induxerunt proprium reatum pœnæ. Nihilominus propter aliquam urgentem causam boni communis existimo id fieri posse a supremo principe, quia nunquam sibi abstulit hujusmodi potestatem » l. c. n. 10.

tunc est justa pœna, et ideo ex rationabili causa potest per legem ferri (1).

ARTICULUS III.

De promulgatione legis positivæ.

Promulgatio;

126. De essentia legis esse vidimus ut superior velit inferioribus quidpiam præcipere, seu eos ad aliquid obligare; non potest autem superior rationabiliter velle inferiores obligare, nisi hanc suam voluntatem ipsis reddat cognoscibilem; cognoscibilis vero efficitur per promulgationem; ergo promulgatio necessaria est ad hoc ut regula aliqua præscripta sit *ordinatio rationis*, atque ideo merito dicuntur « *leges tunc institui cum promulgantur* (2). »

qualis exigatur jure naturali;

127. Porro quum lex detur *societati*, atque ad ejus bonum, oportet ut eidem *societati* innotescere possit; ac proinde non sufficit denuntiatio privata seu privatim facta, sed requiritur publica et authentica; publica quidem, ut omnia societatis membra moraliter et humano modo legis cognitionem valeant acquirere; authentica autem, ut non possit dubitari eam ab illo prodiisse in quo societatis potestas residet (3).Cœterum forma promulgationis, dummodo sit apta, jure naturali non determinatur, sed pendet ab arbitrio superioris.

(1) Principium de non extensione legis ad actus præteritos receptum est in codice civili nostro tit. prælim. a. 2. « La loi ne dispose que pour l'avenir : elle n'a point d'effet rétroactif. » Quam dispositionem sic intellegit Mourlon in opere *Répétitions écrites sur le Code Napoléon :* « Les lois nouvelles, à moins d'une disposition écrite, ne règlent que les faits accomplis depuis leur promulgation : les faits antérieurs échappent à leur empire. » Fatetur deinde hanc regulam, licet videatur in se valde simplex et obvia, esse tamen difficillimæ applicationis. Cfr. etiam Duranton, tit. prél. ch. 2. sect. 4.

(2) Can. 3, dist. 4.

(3) Cfr. Tarquini, op. cit. n. 17.

qualis jure positivo de facto determinata sit,

pro legibus pontificiis,

128. Jam vero, omissis iis quæ pertinent ad legem positivam divinam sive primitivam et mosaicam sive evangelicam, forma promulgationis diversimode determinata est pro diversis legibus ecclesiasticis vel civilibus. Et quidem *a)* leges pontificiæ ordinarie Romæ « in patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana et Liberiana palam, clara voce per curiæ.. cursores aut aliquos publicos notarios leguntur, lectæque in valvis dictarum ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ portis, et Campi Flori solito loco, et in aliis consuetis locis affiguntur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquamdiu expositæ pendent, cumque inde amoventur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remanent affixa (1). » *Porro promulgatio quæ modo exposito, a sex fere sæculis, Romæ haberi solet, generatim et per se sufficit ut leges pontificiæ vim suam obtineant, neque ad hoc requiritur promulgatio facta in singulis diœcesibus.* Ita profecto est, si ex una parte tali medio possint omnes ad legis notitiam pervenire, et ex altera parte illud medium Romani Pontifices de facto adoptaverint : atqui utrumque evidenter demonstrari potest; ergo etc. Et sane, quod imprimis tali medio omnes possint ad legis notitiam pervenire, bene indicat S. Alph.(2): « Romæ enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes prælati habent ibi suos procuratores qui ordinarie satagunt suos principales de novis bullis quæ promulgantur, certiores reddere. » Quod deinde Romani Pontifices illud medium adoptaverint, patet ex ipsis eorum verbis, nisi dicere velimus illos frustra apponere suis in constitutionibus formulam qua declarant se intendere, eas *sic publicatas ab omnibus ad quos spectant perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ.* « At vero talem formulam non apponi frustra manifestum est, quum in Curia Romana lites definiantur pro toto

(1) Cfr. Decreta et Constit. Apostolicæ passim. (2) Lib. 1. n. 96.

orbe secundum leges pontificias Romæ tantum promulgatas; hoc autem iniquissimum foret, si illæ leges, licet Romæ tantum promulgatæ, vim ubique non haberent (1). » Confirmatur etiam hæc Romanorum pontificum voluntas et persuasio ex eo quod aliquando exceptiones ad consuetam suam agendi praxim faciant : « magnum argumentum est, quia quando pontifices volunt necessariam esse promulgationem suæ legis in singulis episcopatibus seu provinciis, hoc specialiter declarant..... ergo signum est extra hos casus speciales promulgationem non requiri (2). » Diximus *generatim et per se* sufficere promulgationem Romæ factam, quia aliquando per accidens aliter res se habet, si nimirum in aliqua regione vigeat consuetudo legitima vi cujus omnes leges ibi promulgari debeant; vel si Pontifex ipse statuat promulgationem esse faciendam in singulis civitatibus episcopalibus aut etiam in parochiis; quod locum habuit pro decreto Tridentino circa matrimonia clandestina; quodque contingere solet pro illis legibus quæ infirmant aliquem contractum natura sua validum vel auferunt jurisdictionem v. g. in Sacramento pœnitentiæ, *verbo quotiescumque incommoda vera timeri possent ex eo quod leges quædam in Urbe solum promulgarentur*. Cæterum cur voluerint Romani pontifices ut ordinarie vim haberent leges Romæ tantum promulgatæ, facile est assignare rationem; ita videlicet determinaverunt ne leges suæ videantur pendere ab episcopis, aut a principibus etiam sæcularibus ac potentibus hominibus, a quibus facile impediri posset promulgatio in suis provinciis, sicque reddi frustraneæ Constitutiones Apostolicæ, non sine magno præjudicio Ecclesiasticæ potestatis, et immenso animarum detrimento (3). *b)* Circa leges autem episcoporum et aliorum legislatorum ecclesiasticorum

pro legibus episcopalibus,

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 4. c. 14, n. 6.
(2) Suarez, de leg. lib. 4, c. 15, n. 6.
(3) Cfr. Bouix, de princip. juris can. part. 2, sect. 2, c. 6.

Romano Pontifici inferiorum, hæc habet Benedictus XIV (1): « merito Suarez asserit leges ab episcopis latas sufficienter promulgari, si aut publice legantur in Ecclesia cathedrali, aut voce præconis in platea civitatis adstantibus significentur, aut scriptæ affigantur in loco publico, ad hoc designato. Quin imo, si statuta synodalia non populum sed solum respiciunt diœcesis clerum, alia non indigent publicatione ab ea distincta, quæ fit in ipsa synodo, cui interest præcipua pars cleri : si quidem Innocentius III..... disjunctive ait, legis vinculum in omnes protendi cum solemniter editur, aut publice promulgatur; nulla autem lex magis solemniter editur ea quæ fit in consessu præcipuæ partis eorum in quos fertur. » Demum *pro legibus civilibus.* leges civiles vario modo apud varias gentes promulgari consueverunt. Antiqui Romani leges suas ære sculptas, in Urbe per tres nundinas consecutivas exponebant in locis publicis quibus major populi concursus fieri solebat. Qui mos non tantum reipublicæ tempore viguit, sed etiam postea subsecuto imperio. Primus omnium Justinianus imperator anno Christi 538 promulgationem in provinciis sc. in civitatibus metropolitanis præscripsit (2). Apud nos, abrogatis tum art. 1 codicis civilis, tum aliis dispositionibus subsequentibus, res nunc peragitur juxta legem diei 28 feb. 1845 (3). Præsenten quæstionem non relinquemus, quin unum adhuc moneamus, videlicet : quamvis cum legis promulgatione proprie dicta confundi nequeant media ad ejusdem legis divulgationem adhibita, cujusmodi sunt insertio in Bullario, communicatio ab episcopis facta, relatio personæ fide dignæ et alia similia, admitti tamen debet, solemni promulgationi modo explicatæ aliquando suppleri posse per promulgationem æquivalentem quæ facto habetur, usu scilicet et relatione auctorum ; de qua

(1) De Synodo diœc. lib. 13, c. 4, n. 1.
(2) Cfr. Bouix, de princ. juris canonici, p. 2, s. 2, c. 6, § 1.
(3) Cfr. Bulletin des lois, tom. 31.

S. Alphonsus (1) : « sed hic sapienter advertit Ronc. (2) quod non solum Constitutiones pontificiæ quæ solemniter sunt promulgatæ obligationem legis inducant, sed etiam omnes aliæ quæ ex usu et consensu Ecclesiæ universalis jam a pluribus sæculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis; » et rursus (3) : « addendum tamen est quod hujusmodi declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ et facto sic promulgatæ fuerint usu plurium annorum vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hæ satis omnes fideles obstringunt. »

Promulgationis efficacia

129. *Facta sufficiente promulgatione existit obligatio objectiva, seu lex, quantum de se est, omnes obligat pro quibus lata est, sive illam cognoscant, sive per accidens illam invincibiliter ignorent.* Ratio est, quia obligatio objectiva non pendet ex scientia subditi, sed ex voluntate superioris per signum externum sufficienter expressa; quando ergo superior voluntatem suam satis expressit, jam a parte rei viget obligatio, etiamsi contingat aliquos ignorare legem esse promulgatam. Hæc namque ignorantia solummodo efficere potest, ut non adsit obligatio subjectiva, seu, juxta modum loquendi Suarezii, ut lex quæ obligat quoad sufficientiam, non obliget quoad efficaciam. *Porro, generatim et per se, lex obligat statim post promulgationem ;* nam « lex ad sui valorem suapte natura plus non postulat quam ut semel v. g. in curia principis publicetur, unde deinde in aliorum subditorum notitiam devenire potest; neque etiam ecclesiastica aliqua constitutio exstat quæ majorem publicationem aut temporis intervallum post primam in curia promulgationem requirat (4). » Sententiam ergo quæ generatim pro legibus saltem pontificiis requirit spatium duorum mensium a promulgatione ut adsit

generatim absque aliquo temporis intervallo.

(1) Lib. 1. n. 106, q. 1ª. (2) De leg. q. 1 c. 2, q. 7, resp. 11.
(3) Quæst. recentius reform. q. 2.
(4) Layman, lib. 1, tract. 4, c. 2, n. 4.

obligatio, nullo satis firmo fundamento innixam esse existimamus. « Si illud tempus esset necessarium, inquit Suarez, maxime propter illam authenticam (Justiniani) ; quia nec de jure naturæ, nec de canonico necessarium est... illa vero authentica non recte applicatur ad leges canonicas : duo enim in illa disponuntur : unum est de promulgatione iteranda in singulis provinciis, aliud de dilatione duorum mensium, qui in unaquaque provincia computentur a promulgatione in ea facta ; sed illa lex quoad priorem partem non est acceptata a Pontificibus pro suis legibus, ergo nec quoad posteriorem : probatur consequentia, tum quia non magis constat de accceptatione posterioris partis quam prioris; in utraque enim verum est Pontifices non declarasse velle se admittere leges civiles pro modo ferendi vel obligandi Ecclesiam per suas leges, sed solum in judiciis forensibus ubi leges canonicæ deessent; tum etiam quia consuetudine receptum non est, ut testantur graves auctores; et specialiter Vasquez, cum emphasi dicit se audere id affirmare. Navarrus autem dicit de consuetudine et stylo in Urbe servari ut transgredientes legem Papæ ante duos menses a promulgatione puniantur.... (1).» Diximus *generatim et per se* legem obligare *statim* post promulgationem, nec demonstrari posse sententiam requirentem *generatim* spatium duorum mensium. Aliquando enim lex vim suam non sortitur nisi post aliquod temporis intervallum, si nimirum sic statuat legislator : nam sicut ab ejus voluntate pendet ut obligatio sit vel non, ita ab ejus voluntate pendet ut obligatio incipiat prius vel posterius. Temporis autem intervallum intra quod obligatio hoc modo suspenditur, illud est quod ordinarie judicatur necessarium et sufficiens ad hoc ut omnes legis notitiam acquirere possint; unde hoc tempore elapso, non amplius admittitur in foro externo excusatio igno-

Exceptiones

(1) De leg. lib. 4, c.15, n. 11.
(2) Disp. 156, c. 4.

rantiæ. Habemus hujus rei exempla in lege Tridentina de matrimoniis clandestinis (1) et in citata lege nostra anni 1845 (2). Difficile non est intelligere cur hujusmodi dispositio non raro ponatur præsertim pro legibus civilibus; videlicet leges istæ postulant suam sanctionem temporalem, nempe pœnam transgressoribus impositam; unde pro tribunalibus maximi momenti est, uniformitatem, quantum possibile sit, haberi in obligatione, ut omnes censeantur simul lege adstricti, et non sit locus multis exceptionibus quæ ex ignorantia legitime peti possent; hæc autem inconvenientia ordinarie non occurrunt pro legibus ecclesiasticis quæ sæpe sanctionem suam habent solummodo in foro conscientiæ. Cœterum hic etiam adnotare possumus, quod supra adnotatum est in quæstione de promulgatione in singulis diœcesibus facienda, nimirum pontifices spatium aliquod temporis determinare ante quod lex vim non habeat, quotiescumque hoc necessarium est ad vitanda vera incommoda, de quibus tamen incommodis judicium ad ipsos pertinet. Juverit et illud addere : utrum illa formula qua legislator tempus aliquod requirit post promulgationem ut adsit obligatio, valeat etiam in foro externo, ita ut illi qui legem cognoscunt non teneantur in conscientia eam observare; an valeat tantum in foro externo, ita ut pro illo tempore admittatur vel præsumatur ignorantia invincibilis, illi autem qui legem cognoscunt eam observare in conscientia teneantur, determinari debet ex verbis, contextu, materia, etc.

(1) Sess. 24. cap. 1. de ref. matrim.

(2) Sic ibi legitur : « elles (les lois) seront obligatoires dans tout le royaume le 10me jour après celui de la publication, à moins que la loi n'ait fixé un autre délai. »

ARTICULUS IV.

De acceptatione legis positivæ.

Triplex significatio vocis;

130. Solent auctores quærere utrum ad valorem legi præbendum, requiratur ex parte subditorum ejus acceptatio. Ad vitandas autem æquivocationes considerandum est formulam « acceptatio legis » sumi in triplici diversa significatione: adhibetur enim aliquando ad designandum *consensum in constitutionem legis;* aliquando vero ad indicandum *consensum in observantiam legis;* aliquando demum ad exprimendam *actualem legis observationem.*

acceptatio primo sensu aliquando requiritur;

131. Jam vero acceptatio, in primo sensu sumpta, aliquo modo requiritur in illis societatibus, in quibus auctoritas legislativa residet in collectione hominum, puta in republica aristocratica vel democratica et in regno aut imperio constitutionali etc.: ibi enim nulla regula a quocumque proposita vim obligandi habet, nisi sit munita suffragiis eorum qui populum repræsentare censentur. Verum hæc legis admissio non est proprie dicta acceptatio, siquidem non fit a subdito, sed ab ipso legislatore, neque necessaria reputatur ut lex jam constituta et promulgata virtutem suam exerat, sed ut lex condatur et promulgetur.

acceptatio secundo sensu non requiritur;

132. Quoad acceptationem in secundo sensu sumptam, sequentia statui possunt. *a)* Consensus in observantiam legis latæ et promulgatæ, seu voluntas se submittendi ex parte communitatis, non requiritur ad hoc ut lex virtutem habeat. Res est manifesta: nam auctoritati legislativæ seu potestati imperandi ex una parte, respondet ex altera debitum submissionis seu necessitas obediendi; atque ideo nedum acceptatio legis sit necessaria ad ejus valorem, lex potius vim habet exigendi

acceptationem. Hoc egregie explicat Suarez (1): « lex sufficienter promulgata et proposita ab habente auctoritatem, obligat ad sui observationem ; ergo et ad sui acceptationem ; ergo non est possibile ut acceptatio sit conditio necessaria ad obligationem legis ; consequentiæ sunt claræ ; quia fieri non potest ut effectus causæ sit conditio necessaria in ipsa causa vel ad esse vel ad operari, quia talis conditio necessario supponitur ad effectum. Et in præsenti declaratur, quia vel subditi tenentur acceptare legem ex vi et obligatione ipsius legis, et sic evidens est acceptationem non requiri ad legem, sed sequi ex lege : vel est liberum subditis acceptare, et sic non obligabuntur ad legem acceptandam, cujus contrarium in primo antecedente sumpsimus. Probatur ergo illud antecedens, quia in legislatore non deest potestas et potest non deesse voluntas, et judicandum est non deesse quando absolute fert legem : tantum enim ex his duobus principiis hæc obligatio pendet. » Et sane nisi ita esset, potestas legifera non esset *auctoritas imperandi*, sed *mera facultas proponendi*, quo sufficienter consuli non posset bono communi, contra id quod demonstratum est n. 112. Hinc sicut populus tenetur leges civiles rite publicatas absque cunctatione observare ; ita clerus et fideles statuta ab episcopo lata sive in synodo sive extra synodum, promptæ executioni demandare obligantur, et ipsi episcopi non possunt constitutiones apostolicas et decreta Romanæ Sedis in diœcesibus suis non recipere et in usum deducere. *b)* Fieri potest ut lex aliqua licet in se bona et laudabilis, ac majori communitatis parti accommodata, tamen minus opportuna judicetur pro aliquibus locis, propter speciales eorum circumstantias, ita ut ibi non sine periculo perturbationis urgeri posset. Tunc vel agitur de lege lata a legislatore qui superiorem habet, qualis est episcopus, vel agitur de lege lata a legislatore qui superio-

casu tamen appellationis vel supplicationis obligatio suspendi potest,

(1) De legib. lib. 3. c. 19 n. 5.

rem non habet, qualis est S. Pontifex. In primo casu subditis conceditur *appellatio*, seu recursus contra legem proprii prælati ad illum legislatorem supremum; tempore autem appellationis obligatio legis de jure suspenditur, donec superior determinaverit quid sit faciendum: hujus autem decisioni deinde standum erit. In secundo casu conceditur *supplicatio* ad superiorem; ad ipsum scilicet mittuntur preces, ut dignetur talem vel talem locum a lege eximere, expositis rationibus et causis quæ id suadeant. Tempore autem supplicationis, legis obligatio suspenditur ex benigna interpretatione voluntatis superioris. « Si fieri potest, inquit Suarez, ut pro illo tempore nihil fiat contra legem Pontificis, curandum omnino est, licet ejus executio suspendatur, quia ita magis cavetur omne periculum, et eo modo paretur legi quo commode fieri potest. Si autem non potest hoc modo suspensio executionis fieri sine magna rerum mutatione, vel periculo alicujus scandali, tunc ex benigna interpretatione voluntatis superioris, lex censetur pro tunc non obligare, et tali declaratione prudenter facta cessat etiam omne periculum peccati (1). » Porro si legislator supremus rationes vel appellationis vel supplicationis probaverit, lex non sortietur suum effectum in loco pro quo appellatum vel supplicatum est; si autem non probaverit eadem lex erit observanda. Unicuique patet in his casibus legem suspendi vel etiam pro aliquibus tolli, non proprie ex non-acceptatione subditorum, sed ex voluntate et judicio legislatoris.

imo tolli voluntate superioris.

133. Demum relate ad acceptationem in tertio sensu sumptam, advertatur oportet ex facto ipso quod lex non sit in usum deducta, vario modo fieri posse, ut non existat obligatio, *non quod acceptatio sit necessaria ad valorem legis, sed quia posito illo facto non receptionis, legislator rationes habere*

Non acceptatio in tertio sensu efficere potest, ut lex non sortiatur effectum.

(1) Lib. 4, de leg. c. 16, n. 8.

potest ut non urgeat regulæ de se obligantis observationem. Sic imprimis lex revocatur aliquando per *legitimam* consuetudinem (de qua inferius). Quinimo, licet lex nondum censeri possit revocata per consuetudinem legitimam, nihilominus continget aliquando, ut propter repugnantiam etiam culpabilem majoris partis populi, ejus observatio reddatur vel nimis onerosa minori parti bonæ, vel plane inutilis obtinendo fini a legislatore præstituto: quo casu æquitas et rectus sensus postulant ut pauciores isti probi a tali lege eximantur. Præterea factum iniquæ rebellionis adversus legem aliunde justissimam, nonnunquam efficere poterit ut hæc ipsa lex minus conveniens atque utilis sit reipublicæ, ac proinde legislator abstinere debeat a coactione et imperio (1).

Placitum regium.

134. Ergo ut vim obligandi habeant leges pontificiæ, minime requiritur gubernii acceptatio; ac proinde ex hucusque dictis apparet quid sit sentiendum de *placito regio* seu de pessimo illo more, apud nationes quasdam catholicas olim introducto, quo constitutiones apostolicæ in vulgus edi servarique vetantur nisi id civilis magistratus permittat (2). Etenim « ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, *quæ ab apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito con-*

(1) Vasquez, in 1. 2. disp. 156, c. 5, n. 40.

(2) Cfr. Tarquini, op. cit. lib. 2 cap. 2, n. 10; Bouix, de principiis, part. 2, sect. 2, c. 4.

firmentur (1). » Quamvis autem acceptatio ex parte gubernii civilis non sit necessaria ad valorem legis pontificiæ, tamen fieri potest ut ex facto non acceptationis, legis observatio reddatur fidelibus difficilis et onerosa : jam vero in hujusmodi casu non raro legitime supponitur benignam matrem Ecclesiam nolle legis obligationem urgere cum tanto filiorum incommodo : quo casu rursus aliquo sensu vere dicetur legem vim non habere, quia non fuit acceptata.

135. Doctrinæ hucusque propositæ non obstat effatum Gratiani (2) : *Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium comprobantur.* Nam, ut bene explicat Reiffenstuel (3), particula : *firmantur cum moribus utentium comprobantur* non de firmitate intrinseca et substantiali intelligenda est, utpote quam leges jam ante earum acceptationem habent, sed de quadam extrinseca dumtaxat et accidentali firmitate, quatenus leges moribus utentium comprobatæ non facile amplius per contrariam legem aut consuetudinem abrogantur. Sive... *leges ex moribus utentium accipiunt firmitatem stabilitatis, non autem firmitatem auctoritatis.* Illa autem quæ apud veteres canonistas et theologos leguntur de necessitate acceptationis, et quæ primo intuitu videri possent difficilia, obviam habent interpretationem ex dictis in hoc articulo (4).

SECTIO SECUNDA.

DE VI ET EFFECTU LEGIS POSITIVÆ.

Indicatio materiæ.

136. Explicatis iis quæ necessaria sunt ad legis constitutionem, jam dicendum est de ejus vi obligatoria, quæ sub duplici

(1) Conc. Vat., Const. *Pastor æternus*, cap. 3.
(2) Can. 3, dist. 4. (3) Tr. 2, de legib. dist. 1, q. 4, n. 35.
(4) Cfr. Bonacina, de leg. disp. 1, q. punc. 4, n. 27; Filliucius, tr. 21, de dec. n. 429; Becanus, de leg. hum, q. 8, etc.

respectu considerari debet: in se ipsa, *quanta sit*, et in suo subjecto, *quosnam sc. afficiat*. Hoc autem præstabimus duobus articulis, quorum alterum erit de vi obligatoria legis, alterum de subjecto per legem obligato.

ARTICULUS I.

De vi obligatoria legis positivæ in se spectata.

137. *Omnis lex in conscientia obligat ad aliquid.* Ratio est quia si superior vult veram legem ferre, vult utique præcipere; jam vero præceptum superioris imponit inferioribus moralem necessitatem obediendi; nam jus naturale dictat parendum esse legitimis superioribus rite præcipientibus: quod etiam SS. litteræ apertissime docent: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:.... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem (1). » « Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti:.... *quia sic est voluntas Dei....* (2).» Obligatio legis in conscientia,

138. *Obligat autem lex in conscientia sub gravi vel sub levi.* Videndum ergo est, undenam pendeat hæc obligationis gravitas et quomodo dignosci possit. Jam vero 1° gravitas obligationis pendet imprimis a materia legis: obligatio enim sub gravi vel sub levi,

(1) Rom. 13. 1 sqq. (2) 1 Pet. 2. 13 sqq.

gravis in materia omni ex parte levi esset in destructionem et ruinam, ac proinde contra essentialem proprietatem legis quæ rationabilis esse debet; porro materia gravis est quando finis legis proximus est magni momenti et illa ad ipsum multum conducit, aut ipsi valde obest, etsi de se sit quid leve. Quæ ultima verba adduntur ad indicandum materiam spectari debere non nude sed cum omnibus circumstantiis. Gravitas obligationis pendet deinde a voluntate legislatoris: quamvis enim legislator non possit ferre veram legem quæ nullo modo obliget, videtur tamen posse ferre legem quæ obliget tantum sub levi, etiam in materia magni momenti; nam sicut a voluntate superioris pendet ut adsit obligatio vel non, ita ab eadem voluntate pendet ut obligatio sit levis vel gravis. Porro ad gravitatem obligationis simul requiri hoc duplex elementum patet ex præcedentibus. Unde si materia sit levis nunquam poterit esse gravis obligatio, quæcumque demum sit legislatoris voluntas; e contra si materia sit de se gravis, et legislator eam velit imponere sub levi tantum, obligatio erit levis; demum si legislator de intentione propria nihil expresse determinaverit, obligatio erit censenda gravis in materia magni momenti, quia legislatoris voluntas solet materiæ respondere. Quum autem 2° sæpissime difficile sit ex consideratione materiæ et intentionis, gravitatem obligationis discernere, ad varia indicia recurrendum est quorum præcipua hæc sunt: *a)* gravia verba quibus utitur legislator, v. g.: *sub interminatione divini judicii; — qui hoc fecerit, divinam maledictionem incurrat; — in virtute sanctæ obedientiæ*, et alia hujusmodi; *b)* ordinarie gravis pœna, præsertim ecclesiastica, transgressoribus imposita (1); *c)* consuetudo et virorum prudentum judicium.

ad actum po- 139. *Omnis lex obligat in conscientia vel ad actum abso-*

(1) Cfr. S. Alph. lib. 1. n, 146.

lute sive ponendum sive omittendum; vel disjunctive ad actum aut ad pœnam: vel ad utrumque simul; in priori casu lex dicitur *pure moralis* seu præceptiva; in secundo dicitur *mere pœnalis;* in tertio dicitur *mixta*. Quatenus meralis est seu præceptiva et prohibitiva, lex dicitur habere vim directivam; quatenus vero pœnalis, dicitur habere vim coactivam. Quum autem speciales sint difficultates quoad leges pœnales et irritantes, de iis breviter in sequentibus agemus, quibus nonnulla addemus de legibus fundatis in præsumptione.

nendum vel ad pœnam subeundam vel ad utrumque simul.

§ I.

DE LEGE PŒNALI.

140. Lex pœnalis est mere pœnalis vel mixta: mere pœnalis dicitur quæ non absolute obligat ad actum, sed quasi hypothetice tantum, nempe vel ad hoc et illud faciendum aut omittendum vel ad pœnam subeundam; lex vero mixta dicitur quæ obligat ad actum ponendum vel omittendum et in transgressores animadvertit. Quum igitur multa legi mixtæ et mere pœnali communia sint, ea simul per modum unius primum exponemus, ut dein breviter agamus de illis quæ legi mere pœnali specialia sunt. Advertendum tantummodo est, quod, sicut culpa sumitur stricte pro peccato et late pro defectu aliquo, ita pœna stricte est justa peccati seu transgressionis moralis correctio et vindicta, late autem intelligitur incommodum quod aliquis subire cogitur propter aliquem defectum: ut per se patet, quando sermo est de legibus mixtis pœna sumitur in sensu proprio et stricto; quando autem agitur de legibus mere pœnalibus, eadem vox sumi non potest nisi in sensu lato et improprio. Rem clarissime expressit S. Thomas dicendo quod « aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa (1). »

Differentia inter legem mere pœnalem et mixtam.

(1) 2. 2. q. 108, a. 4; cfr. 2. 2. q. 186, a. 9. ad. 1.

Distinctio pœnarum.

141. Lex pœnalis diversimode distingui potest pro diversa indole pœnæ. Jam vero, omissis iis quæ ad præsentem materiam minus pertinent, pœna est *positiva*, *privativa* vel *negativa:* positiva dicitur quæ actu externo rei afflictivo perficitur, seu cujus executio requirit actionem vel nocentis, quo casu vocatur activa, vel alterius, quo casu passiva nuncupatur; privativa dicitur qua reus destituitur bonis vel juribus plane acquisitis, cujusmodi est confiscatio; demum negativa dicitur qua negatur reo bonum alias plene acquirendum, vel mera ad illud inhabilitas inducitur.

Aliquæ pœnæ incurruntur ipso facto,

142. Porro quænam sit vis legum pœnalium explicamus sequentibus propositionibus. *a) Leges præsertim ecclesiasticæ, imponentes pœnam negativam, quædam etiam leges imponentes pœnam privativam, interdum ipso facto sive criminis commissione, ante omnem judicis sententiam, suum habent effectum et reddunt criminosum ita inhabilem ad acquirendum vel acquisito utendum, ut ab hoc teneatur in conscientia abstinere:* hujusmodi sunt censuræ quæ dicuntur latæ sententiæ, impedimenta matrimonii ex crimine contracta, irregularitas orta ex delicto, amissio juris petendi debitum conjugale ob quædam peccata etc. Ratio horum, de quibus inter auctores convenit, est quia consentaneum erat ut ecclesia, quæ spiritualem fidelium profectum spectat, pœnas aliquas haberet quibus suos in officio contineret, et a delictis etsi occultis arceret; hinc usus etiam et consuetudo, quæ est optima legum interpres, obtinet ut pœnæ hujusmodi subeantur et reus conformiter legibus has pœnas statuentibus se gerat ante omnem sententiam judicis (1). *b) Generatim leges imponentes pœnam positivam, pleræque etiam leges imponentes pœnam privativam obligant tantum post sententiam judicis sive declaratoriam, sive condemnatoriam.* Ratio est quia humanæ

aliæ tantum post sententiam judicis.

(1) Cfr. Laymann, lib. 1, tr. 4, c. 15, n. 5: Reuter, de leg. n. 219.

leges debent esse hominum moribus ac naturæ convenientes et congruæ ; jam vero valde alienum est a natura et moribus hominum, ut idem cogatur esse reus ac judex et justitiæ executor, immo occulti sui criminis accusator ac proditor. Quapropter recte advertit Medina (1) ejusmodi leges pœnales, quatenus præceptum continent, ad subditos dirigi, ut eas observent; quatenus vero pœnam sive mulctam adjungunt, præcipue ad judices referri, ut eam transgressoribus imponant, quamvis etiam secundario ad subditos, ut justæ executioni obtemperent (2). Igitur *c) post sententiam judicis sive declaratoriam* (quando pœna est latæ sententiæ) *sive condemnatoriam* (quando pœna est sententiæ ferendæ) *leges per se et immediate obligant reum, aliquando ad pœnam exequendam, aliquando ad pœnam sustinendam sine positiva resistentia.* Et quidem obligant reum ad pœnam ipsam exequendam, modo tamen determinato, quando hæc pœna non est nimis gravis et acerba, prout sunt carcer non valde durus nec valde diuturnus, exilium non perpetuum, mulcta ; ratio est, quia subditus superiori suo justa et moraliter possibilia præcipienti obedire tenetur. Immo licet leges illæ « addant comminationem aliarum pœnarum, nisi priores observent, nihilominus etiam obligant in conscientia, quia præceptum est justum et comminatio pœnæ non minuit obligationem (3). » Obligant autem solummodo ad pœnam sine positiva resistentia sustinendam, quando hæc pœna est gravis et acerba, prout est pœna mortis, mutilationis, flagellationis publicæ et infamis ; non obligant hujusmodi leges ad pœnam exequendam, quia hoc est nimis alienum ab humana natura et moraliter impossibile; obligant tamen ad pœnam sustinendam sine positiva resistentia, quia « tunc habet judex jus exequendi senten-

aliquando ad pœnam exequendam,

aliquando ad pœnam sustinendam.

(1) 1. 2. q. 96, a. 4. (2) Laymann, l. c. n. 3.
(3) Suarez, de leg. lib. 5, c. 10, n. 15-18.

tiam; ergo alter non habet jus resistendi; alias daretur bellum justum ex utraque parte (1).» Dicimus *sine positiva resistentia;* nam « impedire pœnam per fugam non est prohibitum in conscientia, quando pœna imposita corporalis et gravis est(2).» Ex his intelligitur, ad quasnam actiones ad supplicium pertinentes, teneatur reus morti damnatus: « communis responsio est, inquit Suarez, neminem obligari ad eas actiones quæ commode fieri possunt per ministros justitiæ, quia per se solum tenetur ad patiendum: ad aliquas vero actiones, quæ per alios commode exerceri non possunt, et alioquin sunt necessariæ ad illum effectum, obligari, quia alias non posset justa pœna executioni mandari: unde repugnare illis actionibus esset justitiæ resistere (3).»

Dari possunt leges mere pœnales:

143. His autem de legibus pœnalibus generatim discussis, jam aliquid in specie dicendum est de legibus mere pœnalibus. Dari posse hujusmodi leges, auctores passim admittunt et per se manifestum videtur, quum tota obligatio legis a legislatoris voluntate pendeat; immo non solum res ita esse potest, sed etiam aliquando bonum est ut ita sit: « nonnunquam expedit, ad pericula animarum vitanda, hoc tantum modo cogere ad actum alias convenientem communitati; quia coactio aliqua est utilis, et quod major non fiat est etiam utile animabus, et pertinet potius ad suavem providentiam quam ad rigorem(4).»

quæritur an de facto habeantur.

144. Communis tamen auctorum sententia est de facto non dari leges Ecclesiæ mere pœnales; utrum tales habeantur leges civiles et quænam eæ sint, soli in sua natione docti judicare valent. Quod attinet ad jus nostrum, negare videtur Gousset(5). Nonnullæ tamen moveri possent contra hanc assertionem

(1) Suarez, l. c. n. 2. (2) l. c. n. 14. (3) l. c. Cfr. S. Alph. lib. 5. n. 280.
(4) Suarez, de legib. lib. 5, c. 4, n. 6.
(5) De leg. c. 6 n. 154. « Avons-nous en France des lois purement pénales? Il ne paraît pas: mais il ne faut pas confondre une loi proprement dite avec un simple règlement de police. »

difficultates relate ad leges illas quæ determinant tempus et modum venationis, piscationis etc. Cæterum quoad statuta illa quæ certissime sunt moralia, sc. obligantia non tantum ad pœnam, sed etiam ad actum ponendum vel omittendum, prout sunt generatim ea quæ respiciunt tributa et vectigalia, est præterea adnotandum quod, quando in aliqua societate quædam leges habentur communiter ut mere pœnales, quæ revera tales non sunt, et consequenter membra hujus societatis leges illas, data occasione favorabili, non observant, non sint adigendi viri pii et timoratæ conscientiæ ad easdem leges absolute servandas : princeps enim non potest rationabiliter velle ut onera communia Reipublicæ magis sentiant boni quam alii (1).

Quomodo dignoscantur leges mere pœnales.

145. Leges mere pœnales esse dignoscere possumus *a)* ex superioris declaratione ; *b)* ex consuetudine quæ est optima legum interpres ; et, quod in idem recidit, ex communi timoratorum opinione ; *c)* ex ipsa legis formula, si in hunc vel alium modum feratur : « qui hoc fecerit, solvat » dummodo tamen natura pœnæ quæ infligitur non supponat culpam, ut in excommunicatione, et obligatio in conscientia ad actum ponendum vel omittendum necessaria non sit ad bonum reipublicæ ; unde *d)* generalis regula negativa est : lex censeri non potest mere pœnalis si ejus interpretatio in hunc sensum adversetur bono communi ; dantur enim casus in quibus bono communi non satis prospiceretur per legem mere pœnalem ; atque ita, ut exemplo omnino evidenti utamur, haberi non possunt ut mere pœnales leges illæ quæ determinant officia magistratuum.

(1) Cfr. Kenrick. c. 3, n. 20-23 ; Reuter, de leg. n. 217 qui hæc habet : « observat Suarez l. 7, c. 19, n. 12; Laym. lib. 1, tr. 4, c. 24, n. 12, aliquas leges de non pure pœnalibus transiisse in pure pœnales quia aliter non sunt observatæ, ut forte sunt leges civiles imponentes exactiones, prohibentes venari, ligna scindere, etc. »

§ II.

DE LEGE IRRITANTE.

Definitio legis irritantis.

146. Lex irritans ea dicitur, quæ actum aliquem reddit nullum, sive efficiendo personam inhabilem ad agendum, sive præscribendo formam aut solemnitatem, qua non observatâ, actus non habeat suam naturam vel suam integritatem. Auctoritati ecclesiasticæ competere potestatem ferendi hujusmodi leges certum est de fide; eamdem vero potestatem competere etiam auctoritati civili, in ordine suo, sententia communis est, licet quædam habeatur inter auctores controversia in ea definienda, quum alii magis, alii minus extensam eam velint (1).

Differentia a lege irritante improprie dicta.

147. Cum lege irritante proprie dicta confundi non potest lex quæ nec actum infirmat nec ei resistit, sed solum ipsi non assistit, atque in foro externo nullam actionem tribuit, ob litium scilicet multitudinem declinandam. Irritans autem proprie dicta alia est mere irritans, alia etiam prohibens; alia directiva, alia pœnalis; alia irritans ipso facto, alia irritans solummodo post sententiam judicis. Distinctio in mere irritantem,

a) Mere irritans illa est, quæ efficit ut actus valorem non habeat, quin tamen illum vetet; et in simul prohibentem,

simul prohibens illa est quæ actum non tantum invalidat sed etiam vetat expresse vel tacite; expresse quidem quando declarat actum poni non posse; tacite autem quando versatur circa hujusmodi actum quem jus naturale vel positivum jubet semper fieri valide, ita ut eo ipso quod sit irritus, simul et statim evadat inhonestus, prout sunt contractus matrimonii, emissio professionis religiosæ sine debita

(1) Cfr. Carrière, præl. maj. de Contr. n. 88; comp. n. 15, 3ª edit.; Martinet, theol. mor. lib. 1, a. 10, § 5. 6.

forma etc. *b) Irritans directiva* ea est quæ actum aliquem reddit nullum vel intuitu boni communis vel intuitu boni privatorum, cujusmodi sunt leges irritantes matrimonium inter consanguineos, matrimonium clandestinum, religiosam junioris professionem etc; *pœnalis* autem ea est, quæ actum aliquem reddit nullum in odium criminis: hujusmodi est lex ecclesiastica irritans matrimonium ob uxoricidium, aut adulterium cum promissione futuri matrimonii commissum etc; non potest autem confundi lex irritans pœnalis cum lege irritante et simul statuente pœnam contra eos qui actum irritum ponere præsumpserint. Advertere præterea oportet « aliquando in eadem lege irritationem actus ferri et per se propter bonum commune et simul in pœnam.... In exemplum adduci possunt impedimenta dirimentia matrimonium propter delictum introducta; nam illa pœnalia sunt et tamen per se erant expedientia ad commune bonum ut fidelitati et securitati conjugum consuleretur (1). » Hanc distinctionem inter leges irritantes non esse inutilem apparebit ex iis quæ inferius dicemus de ignorantia pœnæ. *c) Irritans ipso facto*, ea dicitur quæ vi directa et radicaliter actum reddit invalidum; *irritans post sententiam judicis* ea dicitur quæ tantum statuit actum invalidum reddi posse aut debere per auctoritatem competentem. Porro inter duplicem illam legis irritantis speciem maxima est differentia; nam regula generalis est quod « quoties lex irritat actum dependenter a sententia judicis, licet actus a principio irritabilis sit ratione legis, nihilominus ejus irritatio multis modis impediri potest: et dum non, irritatur, actus permanet validus sive juste sive injuste irritatio impediatur; utroque enim modo id contingere potest. Primo enim impeditur sine injustitia si actus sit occultus ita ut in judicio probari non possit, quia ex vi talis legis nemo tenetur actum suum irritare vel contractum

in directivam

et in pœnalem

in irritantem ipso facto et in irritantem post sententiam judciis.

(1) Suarez, lib. 5, de leg. c. 19, n.5.

dissolvendo vel spoliando se rebus acceptis..... Secundo potest hæc irritatio actus (etiamsi publicus seu probabilis sit) sine injustitia impediri aut ex consensu partium, quia neutra vult actum rescindere; aut quæ illa pars cujus interest, non vult litem movere, nec rescissionem intentare..... aut etiam per legitimam præscriptionem adversus actionem seu actorem qui fuit negligens in petenda irritatione.... Tertio potest irritatio hæc impediri, licet actus sit publicus et probabilis, et ad judicem delatus ut illum irritet, quia judex cum effectu illum non irritat, seu sententiam non profert; nam sive jure, sive injuria id facere omittat, quamdiu cum effectu actum non irritat, ille valorem suum retinet cum omnibus effectibus qui ab illo nascuntur..... (1) »

Efficacia legis' irritantis.

148. Lex irritans, quatenus prohibens est vel penalis sequitur rationem legum prohibentium et penalium; quatenus autem formaliter irritans est, eam habet efficaciam quam in sequentibus breviter determinare conabimur. a) Lex non proprie irritans, sed solum actui non assistens, eum relinquit qualis erat de jure naturali, atque judicem tantummodo obligat ut in foro externo illius rationem non habeat. At sicut nullam in foro externo tribuit actionem illi cui actus erat profuturus, ita nullum in foro conscientiæ dat jus illi contra quem idem actus erat factus. b) Lex non irritans actum ipso facto, sed præcipiens irritandum, aut concedens facultatem irritandi, ad irritationem non obligat nisi forte judicem; ac proinde ante judicis sententiam non astringit ad ea quæ ex actus irritatione consequuntur; post judicis autem sententiam obligat ad ea omnia quæ ex irritatione profluunt. c) Lex irritans actum ipso facto obligat in conscientia ad omnia quæ ex irritatione intrinsece nascuntur: nam, si lex illa consequitur

impropria.

post sententiam judicis.

ipso facto.

(1) Suarez, lib. 5 de legib., cap. 21, n. 2 et seq. Quam doctrinam legibus nostris civilibus nominatim art. codicis 1117, 1118, 1644, 1648, 1125, 1304, applicat Carrière in compendio prælect. de cent. n. 28, edit. 3.

suum effectum, actus est nullus, ergo nullum confert jus; ergo si actus ille sit acceptio vel acquisitio alicujus rei, ex tali lege sequitur obligatio non utendi, nec fruendi illa re tanquam propria, nec contrectandi eam illo modo quo rem alienam contrectare non licet. Ut si talis actus sit matrimonium, non licet ad conjugem accedere, neque alia jura conjugis aut mariti usurpare; si sit professio religiosa non licet actus proprios religiosorum efficere; et sic de aliis quæ fundari poterant in actus validitate; nam sublato fundamento, ruunt omnia quæ ex illo oriri aut in illo fundari poterant (1). »

Cognitio legum irritantium.

149. Magna sæpe, ubi non habetur expressa legislatoris declaratio, existit difficultas tum in discernendis legibus irritantibus a legibus mere prohibentibus, tum in determinando quænam leges sint actui non assistentes, quænam proprie actum irritantes sive ante sive post sententiam judicis. Non paucas theologi quæsierunt in hunc finem regulas, quas postquam expendit, sic concludit Carrière : « ex his omnibus deduci potest nullam esse specialem regulam certam et infallibilem ad dignoscendas in omnibus omnino casibus nullitates, sed plerumque recurrendum esse ad regulas generales interpretationis legum ; nempe investiganda esse sensum obvium verborum, intentionem legislatoris, quæ deprehenditur sive ex legis præambulo, sive ex illius discussionibus, motivum legis, praxim tribunalium, opinionem doctorum (2). »

Exemplum.

150. Principia hucusque exposita applicari possunt, per modum exempli, quæstioni celebri et valde controversæ, utrum et quousque irrita sint in foro conscientiæ testamenta in quibus servata non fuit forma per leges præscripta (3).

(1) Suarez, de leg. lib. 5, c. 20, n. 13 et 14.

(2) De contractibus n. 112 operis majoris. Cfr. Suarez, lib. 5 de legib. c. 25 et sqq.

(3) Cfr. L. Molina, de justitia et jure, tom. 1, disp. 21 ; Lessius, lib. 2, c. 19. dub. 3, n. 14 ; J. De Lugo, de contr. disp. 22, sect. 9; Laymann, lib.

§ III.

DE LEGE FUNDATA IN PRÆSUMPTIONE.

Præsumptio facti, periculi universalis.

151. Præsumptio generatim definitur rationabilis præsuppositio alicujus rei; est autem præsumptio vel *facti*, quando supponitur opus aliquod positum fuisse aut tali et tali modo factum esse; vel *periculi universalis*, quando existimatur ex hoc et illo opere aut ex tali et tali operandi modo ordinarie sequi damnum, fraudes, incommodum; ex quibus jam apparet vocem illam, quum applicatur ad factum, sumi stricte pro probabili conjectura; quando vero applicatur ad periculum universale, sumi latius pro certa scientia. Itaque lex fundata in præsumptione illa est quæ ex præsuppositione certæ circumstantiæ aliquid præcipit vel prohibet; dicitur autem fundata in præsumptione facti, quando superior supponit in casu particulari contigisse fraudem, consensum etc., ideoque legem fert pro omnibus casibus similibus; dicitur vero fundata in præsumptione periculi universalis, quando legislator existimat in tali vel tali modo agendi haberi periculum damni, fraudis, etc., ideoque legem fert qua hunc agendi modum prohibet: exemplum prioris est in lege qua Ecclesia cogit, etiam per censuras, ad cohabitandum illos qui in facie ipsius matrimonium contraxerunt et impedimentum dirimens probare non possunt, quia præsumit ipsos de facto mutuum consensum dedisse, et matrimonium celebrasse; exempla posterioris sunt in lege Ecclesiæ irritante professionem religiosam ante ætatem legitimam emissam, in lege Tridentina de clandestinitate,

1. tr. 4, c. 17, ubi diversæ sententiæ breviter et accurate indicantur: Carrière, præl. maj. de contr. n. 582 et in compendio n. 309, 3 edit.

in lege Indicis quæ prohibet lectionem quorumdam librorum.

152. Jam vero *a) lex fundata in præsumptione facti per se non obligat quando factum non subsistit;* ratio est quia cessante causa, motivo et fundamento legis unico, cessat lex; sed factum illud aut delictum præsumptum est unica causa, motivum ac fundamentum legis; ergo pro illo casu cessat lex, imo nunquam lata fuit, cum sit implicite conditionata aut exceptiva. Unde uxor de nullitate matrimonii certa nec potest, nec debet reddere debitum conjugale, licet sub pœna excommunicationis adigatur, quia præceptum hujusmodi fundatur in præsumptione falsa facti particularis, sc. matrimonii validi. Dicimus *per se;* quamvis enim nulla sit obligatio in conscientia immediate, nonnunquam tamen, lata sententia, obediendum erit, si hoc fieri possit absque peccato; cavendum enim est ne turbetur pax publica, aut oriatur scandalum; quod accideret, si resisteretur auctoritati publicæ. *b) Lex fundata in præsumptione periculi universalis obligat in conscientia suosque habet effectus in iis etiam particularibus casibus in quibus per accidens periculum non intervenit;* ratio est, quia in casu motivum adæquatum legis subsistit; bonum enim commune exigit ut nulla admittatur exceptio; secus mala vitanda non impedirentur efficaciter, cum sæpe evenire possint etiamsi non advertantur vel non timeantur ab agente; facile insuper multi sibi falso persuaderent respectu sui non adesse periculum, ideoque, ad cavendam hallucinationem, oportet ut obligatio sit universalis (1). Hinc licet aliqui tam docti et pii sint, ut respectu eorum non sit periculum perversionis ex lectione librorum hæreticorum, quia tamen lex prohibens fundatur in præsumptione periculi universalis, neque iis absque facultate licitum est hosce libros legere; idem tenet circa leges prohibentes

Efficacia legis fundatæ in præsumptione facti.

periculi universalis.

(1) S. Th. 2. 2. q. 88, a. 9.

conventicula nocturna, circumvagationes cum armis etc. Etiam leges irritantes v. g. contractus pupillorum sine tutorum auctoritate, alienationes rerum ecclesiasticarum, etc., semper ac universim obligant propter periculum generale incommodorum, immaturi adhuc judicii, damnificationis etc.; semper enim verum est dicere : *hoc periculosum est*, quamvis in casu particulari non subsit periculum specificum, seu determinatum in specie, in quo leges illæ non fundantur.

Cognitio istarum legum

153. Quandonam lex fundetur in præsumptione facti particularis, quandonam in præsumptione periculi universalis « non possumus certam regulam assignare. Dicimus ergo ex materia et verbis legis, adjuncto usu et interpretatione doctorum, id esse colligendum (1). »

ARTICULUS II.

De subjecto per legem positivam obligato.

Lege adstringuntur membra societatis

154. *Lege generatim adstringuntur omnia societatis membra usu rationis habitualiter prædita.* Duas hæc propositio partes habet. In prima statuitur *lege adstringi omnia membra societatis ;* ratio est, quia lex immediate fertur pro societate, ac proinde eo ipso quod aliquis societatem ingreditur ejusque membrum fit, simul subjicitur legibus quæ hanc societatem regunt. Tot igitur distingui possunt tituli subjectionis legi, quot habentur modi aggregationis ad societatem. Jam vero, ut nihil dicamus de natura rationali per quam omnes pertinemus ad societatem universalem seu genus humanum, *a)* per supernaturalem originem, sc. per baptismum, unusquisque pertinet ad Ecclesiam catholicam ; atque

(1) Suarez, de legib. lib. 3, c. 23. Cfr. Wirceburgenses, n. 180-182.

ideo legibus ecclesiasticis tenentur omnes baptizati non solum fideles sive justi sive peccatores, sed etiam hæretici, apostatæ, schismatici, excommunicati : e contra iisdem legibus non tenentur ethnici, judæi, omnesque non baptizati, licet jam sint catechumeni. *b)* Per naturalem originem, sc. nativitatem, itemque per acquisitionem domicilii vel quasi domicilii, unusquisque, nisi aliud obstet, membrum fit societatis localis ad certum territorium limitatæ, puta regni, diœcesis. *c)* Per actum liberum voluntatis, nempe per acceptationem et receptionem, per votum, juramentum, promissionem, fieri quis potest membrum societatis particularis non territorialis, puta ordinis religiosi. Porro quum in quavis societate sit auctoritas seu jurisdictio, et quum lex hac auctoritate imponatur, qui dicunt subjectos legis esse illos qui pertinent ad societatem, idem profecto sibi volunt ac alii qui dicunt subjectos legis esse omnes et solos subditos juxta uniuscujusque capacitatem. usu rationis prædita

In altera propositionis parte statuitur *illa omnia et sola societatis membra legibus adstringi, quæ habitualiter prædita sunt usu rationis;* ut igitur aliquod societatis membrum legibus adstringatur, requiritur quidem ut habeat usum rationis : lex enim est regula et mensura humanasque actiones dirigit ; atqui illi soli qui usum rationis sunt adepti humano modo per leges dirigi valent ; hinc legibus positivis non obligantur infantes ante usum rationis, nec perpetuo amentes. Sufficit tamen quod habeat usum rationis habitualiter ; per hoc enim regulæ et mensuræ est capax, atque accidentalis rationis defectus, si sit inculpabilis, illum profecto excusabit a reatu transgressionis, sed non eximet a legis obligatione objectiva : unde legibus positivis tenentur ebrii, delirantes ad tempus, dormientes et alii hujusmodi. Ex quibus jam colligere est, cur non peccaret ille qui v. g. die abstinentiæ infidelibus, amentibus, pueris ante usum rationis, carnem ministraret ; peccaret e contra qui ita ageret cum ebriis : ratio saltem habitualiter.

videlicet est, quia manducare carnes prioribus lege non prohibetur, quum lex ipsos non attingat, adeoque non est objective pravum, et consequenter sicut isti ita operando non faciunt male, ne materialiter quidem, ita nec ille male facit sic volendo, consulendo, ministrando; at posterioribus hoc est lege prohibitum, quum lex ipsos attingat, unde est objective pravum, et consequenter sicut isti ita operando materialiter peccant et solum ob actualem defectum rationis a peccato formali excusantur, ita et ille peccat hoc opus objective malum deliberate volendo.

Indicatio materiæ.

155. His autem generatim præmissis, jam expendendæ sunt speciales difficultates, quæ habentur circa legislatorem relate ad proprias leges, circa pueros ante septennium et ante pubertatem, circa hæreticos relate ad leges ecclesiasticas, circa religiosos relate ad leges episcopales, circa clericos relate ad leges civiles, demum et præsertim circa peregrinos, et vagos relate ad leges tum territorii proprii, tum territorii in quo degunt.

§ I.

DE OBLIGATIONE LEGISLATORIS RELATE AD PROPRIAS LEGES.

Prænotanda circa legislatores et leges.

156. Ad statum quæstionis rite intelligendum ejusque solutionem accurate proponendam, quædam prænotari debent, tum circa ipsum legislatorem, tum circa legum speciem et efficaciam. *a)* Potestas legislativa vel residet absolute in aliqua persona singulari v. g. in summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro diœcesi, in Rege vel Imperatore pro monarchia pura; vel residet in aliquo corpore morali, v. g. in comitiis pro republica aristocratica vel democratica et regno, quod dicunt constitutionale, in cœtu episcorum pro provincia ecclesiastica etc. *b)* Inter leges, aliæ sunt quarum observatio

et usus æque principem decet ac subditos, cujusmodi est v. g. lex civilis quæ taxat pretium frumenti, lex ecclesiastica quæ præcipit jejunium, abstinentiam, confessionem annuam etc; aliæ vero leges sunt quæ ad subditos proprie feruntur et in principem sive caput reipublicæ non ita cadunt, cujusmodi est v. g. lex quæ prohibet ne quis in civitate arma gerat. *c)* In legibus ipsis, juxta superius explicata, distinguere debemus vim mere directivam et vim coactivam, prout istæ leges sunt solummodo præcipientes et prohibentes, aut etiam pœnales.

157. Jam vero doctrinam in præsenti materia passim receptam sequentibus explicamus. 1° *Illi omnes qui sunt solummodo conlegislatores, utpote de plenitudine legislativæ potestatis participantes, tenentur absque dubio legibus communi consilio et voluntate latis;* ratio est, quia in eo casu legislator proprie est ipsum corpus morale, non persona singularis, senatores videlicet et deputati simul sumpti, non quivis deputatus aut senator, episcopi comprovinciales in unum, non talis aut talis episcopus per se. 2° *Legislator singularis et absolutus qui plenitudinem legislativæ potestatis in propria persona habet, non tenetur legibus quæ ipsum minus decent, cæteris vero partim tenetur, quatenus nempe sunt directivæ, partim non tenetur, quatenus sc. sunt coactivæ.* Hæc propositio tres continet partes. In prima asseritur *legislatorem non teneri iis legibus quarum observatio ipsum minus decet;* non enim eadem est ratio principis et subditorum, sed expedit ut caput reipublicæ quidpiam præcipuum habeat, neque eamdem cum reliquis societatis membris conditionem subeat; sicut nec paterfamilias adstringitur quibusvis præceptis quæ ab ipso imposita sunt familiæ. In altera propositionis parte statuitur *legibus quarum observatio ipsum non dedecet, principem teneri, quatenus sunt directivæ;* in hoc theologi conveniunt propter rationes statim afferendas; dissentiunt tamen imprimis in determinanda *gravitate obligationis;* alii enim censent illam

Conlegislator tenetur omnibus legibus;

legislator absolutus

non tenetur legibus quæ ipsi non conveniunt;

sed tantum cæteris quoad vim directivam,

eamdem esse ac pro subditis; alii eam ut levem semper habent dummodo non sit in legis transgressione ex parte principis periculum scandali vel magni nocumenti pro republica (1). Dissentiunt deinde *in assignanda radice hujus obligationis;* præplacet nobis sententia Lessii (2): « obligatio qua princeps tenetur observare legem suam non oritur immediate a voluntate et potestate principis volentis sese obligare, sicut ea quæ est in subdito (nam princeps non est sibi superior ut seipsum possit immediate suo præcepto obstringere), sed provenit ex ipsa rei natura, id est, ex conditione principis et reipublicæ, ex qua provenit, ut jus naturale dictet principem debere pati legem quam ipse subditis imponit..... unde sequitur principem non posse seipsum pro arbitrio lege sua eximere, cum jure naturali teneatur se suis subditis conformare: quare si contra fecerit, peccabit pro conditione materiæ virtutis præceptæ: ut si non jejunet tempore quadragesimæ peccabit contra temperantiam, si non servet diem festum contra religionem..... quod si justa causa subsit, quidam dicunt posse tunc secum dispensare, sicut cum subdito: sed verius est dispensationem hic locum non habere, quia non obligatur ex imperio suæ voluntatis, sed jure naturali in quo non potest dispensare. Neque vero ea est opus : quia, posita causa, cessat illa obligatio per se, eo quod desinat illa ratio ob quam se subditis debebat conformare. » Unde juxta hunc modum rem concipiendi, princeps formaliter loquendo non obligatur per propriam legem, sed hac lege posita, jure naturali obligatur ad faciendum id quod per illam imponitur subditis ; porro rationes, quæ hoc ostendunt, sunt : tum *necessitas conformitatis* inter omnia communitatis membra; tum *bonum commune*, nam

(1) Cfr. Salmant. tract. 11, de leg. c. 3, punct. 3. n. 8, contra 34. et sqq. Suarez, lib. 3, c. 35.

(2) De jure et just. lib. 2. c. 35, dub. 5, n. 33.

medium ad obtinendam debitam legis observantiam efficacissimum est, si superior inferioribus exemplo præeat; tum *periculum ne princeps vilescat coram subditis leges proprias non observando;* motivum enim quod superiorem impellit ad hanc vel illam legem ferendam, ipsum impellere debet ad illam observandam. In tertia demum propositionis parte *statuitur principem non teneri ullis legibus quatenus sunt pœnales...* « Resolutio est legem non obligare principem quoad vim coactivam : ita docet B. Thomas (1) et ita exponit legem « *Princeps*, » et alias quæ dicunt principem non ligari legibus sc. quoad vim coactivam ; quam sententiam et interpretationem alii sequuntur. Ratio vero est quia coactio ex intrinseca ratione sua postulat ut ab extrinseco proveniat.... ergo princeps non potest cogere seipsum per suam legem. Nec etiam cogi potest a subditis, quia nullus inferior potest violentas manus injicere in superiorem; nec etiam potest cogi ab æquali, quia non habet in illo jurisdictionem : nec denique a superiore, quia agimus de principe qui superiorem non habet; ergo etc. Confirmatur hæc ratio, quia vis coactiva pertinet ad pœnæ impositionem et inflictionem; pœna autem, per se et ex ratione sua, fertur in invitum, et ideo ferri non potest nisi ab habente superiorem potestatem in alium tanquam sibi subditum. Ergo non potest imponi a legislatore respectu suiipsius, sed tantum respectu subditorum (2). »

non quoad vim coactivam.

§ II.

DE OBLIGATIONE PUERORUM ANTE SEPTENNIUM ET ANTE PUBERTATEM.

158. Hic rursus ad statum quæstionis intelligendum ejusque solutionem percipiendam, plura sunt prænotanda. *a)* Pueri

Prænotanda circa pueros

(1) 1. 2. q. 96, a. 5, ad 3. (2) Suarez, l. c. n. 15.

alii nondum habent vel non habent sufficienter usum rationis, alii vero eumdem rationis usum certo adepti sunt, suntque doli omnino capaces. *b)* Inter leges, aliæ sunt, quæ puerorum ætati congruunt, quales sunt, v. g., leges ecclesiasticæ præcipientes missæ auditionem, abstinentiam a carnibus pro quibusdam diebus, etc.; aliæ vero sunt quæ judicium maturius requirunt ad sui adimpletionem, quale est, v. g., præceptum annuæ communionis. *c)* Etiam hic distinguenda est vis legum directiva ab earum vi coactiva.

et leges

Legibus directivis tenentur pueri probabiliter etiam ante septennium;

159. Jam vero nulla difficultas est circa pueros qui certo non habent sufficientem usum rationis; quoad alios vero duas sequentes statuimus propositiones. 1° *Ab omnibus admittitur pueros, qui septennium attigerunt usumque rationis habent, teneri legibus ecclesiasticis directivis quæ eorum ætati conveniunt; at controversum est utrum iisdem legibus teneantur pueri qui forte usum rationis acquisierunt ante septennium.* Auctores non pauci negantem sententiam propugnant, quia Ecclesia in suis legibus constituendis attendere solet ad communiter contingentia; usus autem rationis contingere solet circa septennium; ergo leges ecclesiasticæ, cum non afficiant nisi illos qui satis adepti sunt usum rationis non censentur obligare ante septennium; hac ratione, aiunt, S. Thomas (1) excusat a jejunio juvenes ante 21 annum, etiamsi aliquis non indigeret frequenti cibo « quia legislator attendit ad id quod communiter accidit; » addunt eam esse mentem Ecclesiæ in ferendis præceptis ad ambiguitates et laqueos tollendos num ante septennium completum aliquis judicium rationis habuerit (2). Fatendum nihilominus est his rationibus non magnam vim inesse; nam ad primam ejusque confirmationem facile

(1) 2. 2, q. 147, a. 4 ad 2.

(2) Cfr. Molina, de justitia et jure, tr. 5, disp. 47, n. 7; Wirceburgenses, de legib. n. 154, et alii quos citant Lacroix, lib. 1, n. 676 et S. Alphonsus, lib. 4, n. 270.

respondetur Ecclesiam attendere ad communiter contingentia, quando pro aliqua obligatione determinat certam ætatem, quod fecit pro lege jejunii, at quantum ad præsentem materiam, nullam Ecclesia ætatem determinavit. Illud vero quod additur, non urget eos, qui docent legibus ecclesiasticis directivis sibi convenientibus adstringi pueros qui moraliter certo pervenerunt ad usum rationis, non autem subjective obligari illos de quibus incertum est, utrum usum rationis habeant necne. Aliunde pro sententia affirmante stat principium generale, quod subjecti legum sint omnes subditi usum rationis habentes juxta uniuscujusque capacitatem, nisi demonstretur exemptio in favorem quorumdam data; pueri autem de quibus agimus subditi sunt, usuque rationis præditi, et nulla exemptio in eorum favorem data probatur. Merito itaque hæc sententia affirmans pueros in proposito casu legibus adstringi, communius traditur saltem ut probabilior (1). 2° *Pueros non æque adstringi ac adultos legibus ecclesiasticis coactivis, communiter admittitur* et rationi conforme est, quum ipsi propter defectum maturioris judicii et considerationis, digni sint misericordia et benignitate; hinc ante pubertatem non ligantur iis legibus pœnalibus, quæ effectum suum habent solummodo post sententiam judicis; immo nec iis ligari videntur quæ effectum suum habent ante omnem judicis sententiam, nisi de ipsis expressa mentio fiat (2). Idem principium pro legibus civilibus apud omnes gentes est receptum (3).

legibus coactivis generatim tenentur solum post pubertatem.

(1) Cfr. Lacroix et S. Alphonsus, l. c.; Gury. n. 93, vol. 1; Scavini, n. 219; Müller, lib. 2, p. 1, § 55, n. 5.

(2) Cfr. Suarez, de censuris, disp. 5, s. 1, n. 19; Castropalao, tr. 3, disp. 1, pu. 24, § 2, n. 8; Scavini tom. 1, n. 886.

(3) Cfr. v. g. Codicis nostri pœnalis, art. 73, 74, 75.

§ III.

DE OBLIGATIONE HÆRETICORUM RELATE AD LEGES ECCLESIASTICAS.

Legibus ecclesiasticis generatim hæretici subjiciuntur.

160. *Hæretici universalibus ecclesiæ legibus per se obstringuntur;* ratio est, quia perdurat in eis fundamentum subjectionis, quod est character baplismatis; quandoquidem per baptismum unusquisque Ecclesiæ potestati ab eadem pascendus committitur. Hinc recte a Bellarmino dictum est hæreticos non esse de Ecclesia sed ad Ecclesiam pertinere, tum quia scilicet jurisdictioni ejus subjiciuntur, tum quia reverti ad eam obligantur, prout oves ex ovili profugæ ad ovilis herum, ac prout transfugæ milites ad principem spectant cujus vexillum deseruere. Hac de re præclare scribit Suarez(1): « hæretici sunt vere subjecti ecclesiasticæ jurisdictioni; nam retinent characterem baptismalem quod est fundamentum hujus subjectionis, et licet secundum præsentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, et contra jus Ecclesiæ acquisitum deliquerunt, se ab illa separando, semperque ad illam redire cogi possunt, quia signum ecclesiasticæ jurisdictionis semper in se retinent, et ratione illius *veluti inchoationem quamdam habent membrorum Ecclesiæ* (2). »

Exceptio.

161. Nihilominus adesse aliquando possunt hujusmodi circumstantiæ, in quibus exercitium ecclesiasticæ jurisdictionis in hæreticos, sit in destructionem et non in ædificationem, ita ut gravissima gignat incommoda, et sin minus

(1) De leg., lib. 4, c. 19, n. 2.

(2) Cfr. J. De Lugo, de fide, disp. 21, sect. 1 et 2; Bellarmin. de Ecclesia, lib. 3, c. 4, n. 10; et lib. 3, de laicis, c. 22.

justitiam, certe charitatem lædat. Hisce autem in circumstantiis, pia mater Ecclesia censenda est nolle legibus suis hæreticos obligare : ergo quotiescumque dubium proponitur utrum lex aliqua ecclesiastica hæreticos obliget, perpendendæ sunt circumstantiæ, utrum sc. ejusmodi sint ut iis positis Ecclesia præsumatur nolle eos adstringere. Cæterum quum præsumptio semper cedere debeat veritati, si aliunde certo constet de voluntate Ecclesiæ hæreticos certis legibus obligandi, isti ut obligati habendi erunt, quæcumque demum videantur circumstantiæ. Hæc principia applicari possunt quæstioni celeberrimæ, utrum protestantes teneantur lege Tridentina de matrimoniis clandestinis, si versentur in locis ubi hæc lex promulgata fuit, seu aliis verbis, an censeantur valida matrimonia clandestina hæreticorum, ubi viget lex Tridentina (1). Exemplum.

§ IV.

DE OBLIGATIONE REGULARIUM RELATE AD LEGES EPISCOPALES.

162. Religiosi seu regulares distinguuntur in exemptos et non exemptos : exempti dicuntur illi qui a jurisdictione episcoporum aut ordinariorum liberantur ac subtrahuntur, et subduntur immediate S. Pontifici : quinam autem inter religiosos exempti sint et quinam non sint exempti, exponitur in prælectionibus juris canonici. Religiosi exempti

163. Si religiosi non sint exempti a jurisdictione episcopi, legibus ejusdem etiam ipsi adstringuntur : nam leges ferre, et his subjectos jurisdictioni suæ adstringere, primus actus jurisdictionis est. Si vero sermo sit de religiosis exemptis, generatim

(1) Cfr. Perrone, de matr. christiano, lib. 2. s. 1. c. 6 per totum ; Feye de impedimentis et dispensationibus matrim. c. 10 n. 205 et sqq. ; Ballerini, in not. ad num. 841. 4°, tom. 2.

non tenentur legibus episcopalibus

dicendum extra est casus quibus et ipsi ordinariorum jurisdictioni subsunt, ex voluntate summi Pontificis (1), ejusmodi regulares constitutionibus diœcesanis *per se* et *directe* non obligari. Ratio est, quia eo ipso quod a jurisdictione episcoporum exempti sint, etiam exempti erunt ab obligatione ad leges episcopales.

per se et directe.

164. Dictum est *per se* et *directe;* nam utrum indirecte et ex æquitate naturali ad earum observantiam teneantur, non satis conveniunt doctores; alii affirmant quia pars debet se conformare toti, sunt autem et ipsi pars cleri; alii negant innixi decretis Romanorum Pontificum (2) et constitutioni Concilii Tridentini (3). Amplectenda videtur sententia media et dicendum teneri eos se conformare clero sæculari, quoad ejusmodi legum observantiam, quotiescumque id exigit ratio scandali vitandi vel boni publici obtinendi; his vero causis seclusis, eos non delinquere si se non conformant. Neque plus probat argumentum pro affirmante sententia; quia ejusmodi regulares sufficientem excusationem habent ne clero reliquo in his conformare se debeant, quippe qui alias obligationes habent ratione status religiosi quas clerus sæcularis non habet, ut adeo non cogendi sint alia subire onera, nisi adsit scandalum, vel publicum bonum exigat (4).

§ V.

DE OBLIGATIONE CLERICORUM RELATE AD LEGES CIVILES.

165. « Quæstio hæc pertinet ad materiam de immunitate ecclesiasticarum personarum, nam illam supponit et in illa

(1) Cfr. Chokier. de jurisd. ord. in exempt. p. 2, q. 45.
(2) Cfr. c. *volentes* 1 de privilegiis in 6. (3) Sess. 25, c. 12, de regular.
(4) Cfr. Suarez, de leg. lib. 4, c. 20, n. 10; Schmalzgrüber in lib. 1 decret. p. 1, tit. 2. n. 38.

sola fundatur ; non potest tamen hic omnino prætermitti, quia necessaria est ad explicandam limitationem vel extensionem legum civilium et efficacitatis earum circa personas extraneas a jurisdictione civili... (1). »

166. Porro prætermissis quæstionibus quid sit immunitas ecclesiastica, et undenam ejus origo sit repetenda, quippe quæ ad jus canonicum potius spectent, sequentia statuimus. 1° Certum est non teneri clericos legibus civilibus quæ repugnant vel eorum statui, vel sacris canonibus vel immunitati ecclesiasticæ : hujusmodi enim leges sunt injustæ et reprobatæ ut iniquæ. Igitur 2° difficultas esse tantummodo potest circa eas leges quarum materia est clericis cum sæcularibus communis, quales sunt quæ formam statuunt contractibus, quæ prohibent merces extra patriam efferri etc. Jam vero *a)* communis et omnino tenenda sententia est, clericos iis legibus teneri quantum ad earam vim directivam, ita ut peccent eas non observando. Nihilominus hæc obligatio ex parte clericorum non oritur ex vi jurisdictionis civilis, quia « laicis super personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas (2) ; » sed provenit tum ex æquitate naturali quæ postulat ut omnia membra communitatis obligentur ad ea servanda quæ ad convenientem ordinem et pacem ipsius communitatis sunt necessaria, tum ex voluntate Ecclesiæ quæ proper graves rationes id præcipit et exigit. *b)* Quamvis autem clerici iis legibus teneantur quoad earum vim directivam, non tamen iisdem obligantur, quoad vim coactivam : unde si contra eas delinquant, non a magistratu civili, sed a superiore ecclesiastico, et quidem pœna ejus arbitrio statuenda puniendi sunt. « Supponendum primo, personas ecclesiasticas exemptas esse a potestate civili quoad judicia seu tribunalia causarum non solum ecclesiasticarum, sed etiam temporalium

Legibus civilibus quæ ipsis conveniunt,

clerici tenentur quoad earum vim directivam,

non quoad vim coactivam.

(1) Suarez, De legib. lib. 3, c. 34, n. 1. (2) C. 10, *De const.*

tam civilium quam criminalium, de quo fundamento inter vere catholicos non est controversia (1). »

§ VI.

DE OBLIGATIONE PEREGRINORUM ET EXTRANEORUM.

Prænotanda circa leges ecclesiasticas

167. Non pauca hic ad accuratam rerum expositionem prænotanda sunt tum circa leges ipsas, tum circa personas. Et 1° quidem leges ecclesiasticæ sunt *territoriales* seu *locales* quæ nimirum pro aliqua natione, provincia, diœcesi feruntur, vel *universales* quæ sc. feruntur pro tota Ecclesia catholica; hæ autem rursus distinguuntur in *generales* ad omnes fideles spectantes, et *particulares* v. g. alicui ordini religioso; fieri præterea potest ut aliquando leges universales non vigeant in certis locis ex voluntate superioris sive expressa sive tacita.

et civiles;

2° Leges vero civiles nostræ solenta jurisperitis dividi in *personales reales* et *attestatorias;* personales sunt quæ directe et principaliter respiciunt personas, quamvis indirecte et accessorie attingant etiam bona; reales autem dicuntur illæ quæ directe et principaliter respiciunt bona, licet indirecte et accessorie attingant etiam personas; demum leges attestatoriæ sunt illæ quæ determinant formas et solemnitates contractuum. 3° In jure canonico, sicut et in antiquo jure romano distinguuntur relate ad obligationem servandi leges, incolæ et advenæ, a peregrinis et vagis. *Incolæ* dicuntur qui permanent in loco originis; *advenæ*, qui extra locum originis domicilium vel quasi-domicilium posuerunt; *peregrini* qui accidentaliter versantur in loco in quo nec domicilium nec quasi-domicilium habent; *vagi* denique qui nullibi domicilium habent vel quasi-domicilium. Porro ad domicilium acquirendum requiri-

circa incolas, advenas, peregrinos, vagos,

(1) Suarez, l. c. n. 2. Cfr. Syll. Pii IX, prop. 30. 31. 32.

tur factum habitationis in aliquo loco cum animo ibi perpetuo manendi; ad quasi-domicilium vero acquirendum, juxta omnes sufficit factum habitationis in aliquo loco cum animo ibi manendi per anni partem *notabilem* sc. saltem mediam secundum sententiam valde receptam; an vero aliquando sufficiat factum habitationis sine illo animo permanendi disputant theologi et canonistæ (1). 4° In jure autem civili nostro distinguuntur relate ad obligationem servandi leges *nationales* ab *extraneis*. Nationales sumus vel ab origine (2), vel ex beneficio legis (3), vel per naturalizationem sive ordinariam sive extraordinariam (4). His igitur generatim præmissis inquirendum est an et quousque, attentis tum principiis juris naturalis, tum positivis determinationibus, absentes teneantur legibus propriæ regionis, et hospites legibus regionis in qua versantur.

nationales et extraneos.

168. Jam vero quoad obligationem absentium relate ad leges proprii territorii duæ sequentes propositiones statui possunt. 1° *Illi qui actu versantur extra locum domicilii vel extra patriam, remanent obstricti tum legibus ecclesiasticis domicilii, tum legibus civilibus patriæ, quotiescumque licet physice absentes, per fictionem tamen juris reputantur præsentes moraliter.* Id autem præcipue contingit sive ratione bonorum quæ ibi possident (5), sive ratione beneficii quod habent,

Legibus territorii proprii tenentur illi qui physice absentes, moraliter præsentes sunt:

(1) Cfr. Feye, de impedimentis et dispensationibus matrimonialibus, c. 8; Ballerini, in notis ad n. 846, 847, tom. 1; Nouvelle Revue théol. tom. 3, pag. 58 et seqq. et 4, pag. 518 et sqq.

(2) Vide cod. civ. lib. 1, tit. 1, art. 10.

(3) Cod. civ. l. c. art. 9, 10, 12, Cfr. lex 22 septembris 1835, 4 junii 1839; 20 maii 1845. (4) Cfr. lex 27 septembris 1835 et 15 feb. 1844.

(5) Huc pertinet dispositio codicis civilis, tit. præl. art. 3: « *Les immeubles, même ceux possédés par des étrangers, sont régis par la loi française.* » Hanc dispositionem, sic interpretatur Mourlon in opere « répétitions écrites sur le Code Napoléon, 3e répétition § 6. » — « Les lois réelles régissent les immeubles, alors même qu'ils appartiennent à des étrangers. Ainsi, par exemple, un étranger ne peut pas constituer sur les immeubles qu'il a en France des servitudes que la loi de son pays auto-

sive ratione officii quod gerunt, sive ratione jurium quibus fruuntur (1), sive ratione obligationum specialium quibus ad-

rise, mais que la loi française ne tolère pas. De même, lorsque les immeubles situés en France font partie de la succession d'un étranger, ses enfants les recueillent par égale portion (art. 745), alors même que la loi du pays auquel cet étranger appartient attribue une plus forte part à l'aîné..... Les immeubles situés en France sont régis par la loi française alors même qu'ils appartiennent à des étrangers. La loi ne dit rien des meubles que les étrangers peuvent avoir en France; qu'en faut-il conclure? Faut-il dire, qu'à la différence des immeubles, ils sont régis par la loi étrangère, ou qu'ils sont de même que les immeubles soumis à l'empire des lois françaises? Un point sur lequel tout le monde est d'accord, c'est que les meubles *considérés individuellement* sont régis par la loi française, alors même qu'ils appartiennent à des étrangers. Aussi nos lois sur les priviléges, sur la prescription leur sont applicables. Un étranger loue une maison et y apporte des meubles; ses meubles seront affectés par privilége au payement conformément à l'article 2102, et s'il ne paye pas, saisis et vendus;.... mais quant aux meubles *considérés dans leur universalité*, c'est-à-dire au point de vue de leur transmission par succession, la question est vivement controversée. Les uns appliquent la loi étrangère..... les autres les régissent toujours au contraire par la loi française;..... dans un troisième système, on suit la loi étrangère *toutes les fois qu'il n'en résulte pas d'inconvénients graves pour la France :* Cette règle que notre article 3 paraît supposer par son silence, est fondée sur une juste réciprocité d'égards entre les nations européennes. »

(1) Huc pertinere videtur alia dispositio codicis civilis « les lois concernant l'état et la capacité des personnes régissent les français, même résidant en pays étrangers » quam sic interpretatur auctor modo citatus: « les lois personnelles sont celles qui règlent l'état et la capacité des personnes, c'est-à-dire qui déterminent leur condition, leur manière d'être dans la société, le rôle qu'elles y doivent jouer, et la manière de le remplir. Telles sont les lois sur la nationalité, le mariage, la filiation, la légitimité, la bâtardise, la puissance maritale ou paternelle, la majorité, l'interdiction et l'émancipation.... les lois personnelles régissent les français partout où ils se trouvent, à l'étranger comme en France: ainsi, par exemple, ils ne peuvent ni se marier avant dix-huit ans, ni adopter avant cinquante, bien qu'ils soient domiciliés dans un pays où le mariage est permis à quinze ans et l'adoption a vingt-cinq. En d'autres termes, lorsque des tribunaux français apprécient des actes faits par un français à l'étranger, ils doivent consulter pour déterminer sa capacité, non pas la loi du pays où ils ont été faits, mais la loi française.... les lois qui concernent l'état et la capacité des français les régissent même à

stringuntur, sive demum alio quovis titulo. In his namque casibus actiones vel omissiones censentur fieri in proprio territorio aut effectum in illo habent (1) : hinc si alicubi statutum sit, ut omnes clerici, certo anni tempore, veniant ad synodum, canonici ad capitulum, etc., hujusmodi leges attingunt clericos et canonicos etiam extra diœcesim degentes; item si ab episcopo feratur censura v. g. excommunicatio in clericos absentes a sua ecclesia, pœnam istam incurrunt existentes in territorio alieno, hoc enim omnino necessarium est ad bonum communitatis. 2° *Illi qui actu versantur extra locum domicilii vel extra patriam non adstringuntur legibus sive ecclesiasticis domicilii, sive civilibus patriæ, quotiescumque tum physice tum moraliter absentes sunt; idque valet sive agatur de legibus stricte particularibus domicilii loco, sive agatur de legibus universalibus quæ adhuc vigent in loco domicilii, sed non amplius observantur in loco hospitii; immo idem dicendum videtur generatim pro casu quo exierint animo se subducendi obligationi istarum legum.* Tres partes habet hæc propositio. In prima statuitur *absentes, de quibus in casu, non teneri legibus particularibus sui territorii;* ratio est, quia in societate territoriali jurisdictio ad territorium limitatur, atque mediante illo censetur afficere subditos in eo degentes. Proinde actus illius jurisdictionis, qualis est voluntas obligandi, extra hujusmodi territorium, effectum suum sortiri non potest. Hoc pulchre indicavit Suarez (2) :... « respondetur... subditum extra territorium existentem, licet non amittat subjectionem in

secus si physice et moraliter sint absentes.

l'étranger : la réciproque est-elle vraie ? Les lois qui concernent l'état et la capacité des étrangers les régissent-elles même en France ? En d'autres termes doit-on, lorsqu'il s'agit de décider, s'ils sont ou non capables de faire tel ou tel acte, consulter la loi de leur pays ou la loi française ? On admet généralement, que c'est la loi de leur pays qui les régit : le texte même de la loi et la discussion à laquelle elle a donné lieu confirment cette décision. »

(1) Cfr. Reuter, de leg. n. 174.

(2) De legib. lib. 3, c. 32, n. 7.

habitu, ut sic dicam, seu radicalem, amittere tamen actualem, seu ejus usum in ordine ad leges territorii, quia constituitur extra terminos earum; » et supra (1): « sicut in philosophia dicere solemus extra sphæram activitatis non sequi actionem, nimirum ex defectu potestatis.... ita jurisdictionis activitas in ferenda lege limitatur ad territorium, et ideo lex extra illud non obligat. » Porro peregrinus esse censetur non solum ille qui in aliena diœcesi, sed etiam ille qui intra eamdem diœcesim, in loco tamen exempto, degit : nam locus exemptus in ordine ad jurisdictionem episcopi a quo exemptus est æquiparatur loco sito extra diœcesim. Per loca autem exempta intelligi non solum oppida et parochias *nullius*, ut vocant, sed etiam conventus exemptos regularium, probabilis sententia affirmat contra Suarez (2). In altera propositionis parte statuitur *eosdem absentes non teneri legibus universalibus quæ vigent quidem in proprio territorio, sed non observantur in loco ubi hospitantur ;* est enim tunc veluti privilegium locale quo frui possunt omnes illi qui ibi actu degunt. Hinc Italus potest in Belgio vesci carnibus sabbatis inter Nativitatem et Purificationem et vicissim Belga potest Mediolani non jejunare primis quatuor diebus quadragesimæ, cum id ibi liceat, etc. In tertia propositionis parte statuitur *generatim non teneri absentes dictis legibus, etiamsi exierint animo sese subducendi ab earum obligatione.* Hæc sententia sin minus certa saltem valde probabilis videtur ; et ratio non facile solvenda, est quia nemo cogitur consistere in proprio territorio ; sed unusquisque jus habet egrediendi ; postquam autem egressus est in locum ubi lex non obligat absolvitur ejus vinculo. Aliis verbis *lex non obligat subditos ut maneant in territorio, sed ut in territorio manentes eam observent.* Excipere tamen debemus tum casum

(1) l. c. n. 4.

(2) Laymann, lib. 1, tr. 4, c. 11, n. 5 ; et S. Alph. lib. 1, n. 157.

in quo aliquis e territorio exit ut a reservatis absolvatur (1), tum casum in quo aliquis e territorio exit ut matrimonium clandestine celebret in loco ubi decretum Tridentinum de necessaria parochi et duorum testium præsentia non viget (2).

Hospites tenentur legibus communibus,

169. Quod vero spectat ad hospites et extraneos relate ad leges loci in quo versantur, hæ rursus statui possunt propositiones. 1° *Peregrini certo tenentur legibus universalibus in loco, ubi morantur, vigentibus, etiamsi eædem leges non vigeant in proprio territorio.* Ratio est, quia peregrini subsunt legislatori communi et privilegio sui loci non possunt gaudere absentes. Hinc Belga perveniens v. g. Coloniam tenetur istic, sabbatis inter nativitatem Christi et purificationem, abstinere a carnibus. Contraria sententia satis firmis argumentis innixa non videtur : illam proposuerat Sanchez (3), sed postea eam retractavit (4). 2° *Tum peregrini tum extranei certo tenentur legibus specialibus loci in quo versantur, quotiescumque id exigitur ad bonum commune.* Hoc autem verificatur in iis quæ statuta sunt pro ipsis hospitibus; in iis deinde quæ spectant ad vindictam delictorum, quum expediat ut crimina ubique puniantur (5); in iis denique quæ respiciunt formas et solemnitates contractuum (6), quod necessarium est

etiam legibus specialibus quarum observationem ab omnibus exigit bonus ordo,

(1) Ita determinavit Clemens X, const. *Superna*, 21 junii 1670. Cfr. S S. Alph. lib. 6, n. 589, et Gury, tom. 2, n. 583.

(2) Ita respondit S. C. Conc. cujus declarationem apostolica sua auctoritate confirmavit Urbanus VIII, die 14 aug. 1627. Cfr. Gury, tom. 2, n. 839, et nota *b*.

(3) De matrim. lib. 3. disp. 18, n. 7.

(4) In Decal. lib. 1, c. 12, n. 39.

(5) Cfr. codicis pœnalis nostri, a. 3 et 4.

(6) Nihil de contractuum forma specialiter definitum habetur in nostro codice civili; principium tamen generale modo expositum admittitur, ut explicat Mourlon (Op. cit). « La forme extérieure des actes est régie par la loi du pays où on les fait : locus regit actum : notre code fait lui-même l'application de cette règle dans les articles 47, 170 et 999. Elle fut même, dans le projet du gouvernement, consacrée par un article formel; cet article, il est vrai, n'a pas été maintenu; mais le motif qui le fit rejeter

ad vitandam confusionem. 3° *Utrum extra præcedentes hypotheses, hospites obligentur legibus specialibus loci in quo peregrinantur, valde controversum est :* certo probabilis est sententia eorum qui cum Sanchez (1), Laymann (2) et aliis negant, quia lex non obligat nisi subditos, subditi vero non sunt hospites. Id autem propter paritatem rationis intelligen-

non aliis, saltem probabiliter.

est décisif : cette disposition, dit-on, est inutile, *tant est évident le principe qu'elle consacre.* Son évidence est en effet manifeste. Les officiers publics auxquels on est obligé de s'adresser pour faire certains actes ne peuvent instrumenter que selon les solennités prescrites par la nation qui les a institués ; c'eut été donc, en fait, défendre aux français de poser des actes à l'étranger, de s'y marier, par exemple, que de leur imposer l'obligation d'y suivre, pour les faire valablement, des formes qui ne peuvent pas être remplies. Ainsi l'acte fait selon les formes usitées dans le pays où il a lieu est partout régulier. Toutefois il ne faut pas confondre les formes de l'acte avec les autres conditions de sa validité ; ces conditions sont réglées par la loi du domicile des parties, si l'acte dont il s'agit est relatif à leur état, ou par la loi de la situation, s'il s'agit de la propriété de leurs biens. Vous voulez vous marier à Londres avec une femme espagnole, quelles lois devront être observées ? La loi française quant à vous, la loi espagnole quant à votre future, *pour tout ce qui concerne les conditions d'âge et toutes celles qui rendent le mariage possible;* la loi anglaise *quant aux formes à suivre pour sa célébration.* Vous pouvez également tester à l'étranger selon les formes prescrites par la loi du pays où vous testez ; mais pour tout ce qui concerne votre capacité et la disponibilité de vos biens, la loi française devra seule être consultée. Une question nous reste à examiner : il existe en France certains actes, tels que le mariage, les donations..... qui ne peuvent être faits que dans la forme authentique, c'est-à-dire devant un officier public et avec certaines solennités, en l'absence desquelles ils sont nuls. Dans certains pays au contraire, les mêmes actes peuvent être valablement faits dans la forme sous seing-privé. Supposons-les donc faits en cette forme par un français qui y réside : Seront-il valables en France ? Duranton tient pour la négative..... L'affirmative a beaucoup plus de partisans... La règle : locus regit actum, s'applique d'ailleurs à toutes les questions qui touchent aux formes des actes ; or, la question de savoir si un acte fait en la forme sous-seing privé, est ou n'est pas valable, est une pure question de forme.

(1) De matrim. lib. 3, disp. 18, n. 6; de præc. decal. lib. 1, c. 12, n. 38.
(2) Lib. 1, tr. 4, c. 12.

dum non solum de peregrinis, sed etiam de vagis (1). Et hæc pauca in materia implicata et obscura sufficiant : status controversiæ cum argumentis et patronis utriusque opinionis legi potest apud S. Alphonsum (2).

170. Antequam hanc materiam relinquamus, unum adhuc monendum est, videlicet : ad solvendos casus particulares non solum adhibenda sunt principia generalia modo exposita, sed præterea ratio habenda est specialis naturæ singulæ legis, circa quam non semper conveniunt auctores; atque exinde intelligitur quomodo interdum diversimode quæstiones resolvant illi qui eadem principia sequuntur (3).

SECTIO TERTIA.

DE INTERPRETATIONE ET ADIMPLETIONE LEGIS POSITIVÆ.

Indicatio materiæ.

171. Lex, ab iis qui regunt societatem legitime constituta, debet, ab iis qui reguntur, executioni mandari seu convenienti modo *adimpleri;* non potest autem executioni mandari nisi cognoscatur; unde, sicut ex parte superiorum habetur necessitas legem promulgandi, ita ex parte inferiorum vera incumbit obligatio legem, pro uniuscujusque statu et conditione, cognoscendi. Porro, cum inter homines mandata non semper valeant ea perspicuitate proponi, qua ambiguitates omnes vitentur, non raro exigitur mentis legislatoris declaratio seu legis *interpretatio.* De his ergo in præsenti agemus duobus articulis, quorum alterum erit de legis interpretatione, alterum vero de legis adimpletione.

(1) Cfr. Laymann, l. c. n. 7 ; Busenbaum, lib. 1, tr. 2, c. 2, dub. 3 ; Elbel, de legib. n. 364; Schmalzgrüber, lib. 1, decret. tit. 2, n. 43.

(2) Lib. 1, n. 156.

(3) Cfr. Laymann, l. c. cap. 11, et Gury, tom. 1 n. 95 ; Bouvry, exp. rub. tom. 1, p. 2, s. 2, a. 5.

ARTICULUS I.

De interpretatione legis positivæ.

Variæ species interpretationis.

172. Legis interpretatio generatim dici potest clarior determinatio mentis legislatoris; fit autem hæc determinatio sive auctoritative ab ipso legislatore, quo casu interpretatio dicitur *authentica;* sive scientifice a privatis personis, quo casu interpretatio dicitur *doctrinalis;* sive demum practice, consuetudine scilicet et usu communi, quo casu interpretatio dicitur *usualis.* Triplicem hanc interpretationis speciem in sequentibus successive exponemus.

§ I.

DE INTERPRETATIONE AUTHENTICA.

Interpretationis authenticæ notio,

173. Authentica interpretatio est *determinatio modi quo lex sit observanda, facta a legislatore formaliter quatenus legislator est;* active sumpta pertinet potius ad voluntatem quam ad intellectum; passive vero sumpta nititur potius auctoritati interpretantis quam ejus scientiæ. Diximus autem eam fieri a legislatore *formaliter quatenus legislator est;* nam si legislator mentem suam declaret tanquam persona privata, non authentica, sed doctrinalis tantum interpretatio habebitur.

indoles.

174. Ex natura hujus interpretationis sequitur imprimis, eam fieri posse a legislatore non minus in legibus prædecessorum et inferiorum quam in legibus propriis; sequitur deinde eam fieri posse a legislatore tum per seipsum tum per personas delegatas, quo modo summi Pontifices leges ecclesiasticas

interpretari solent per SS. cardinalium congregationes (1); sequitur demum eam æque valere sive interpretans sensum intrinsecum et primitivum legis assecutus sit, sive fortasse per accidens illum sensum assecutus non sit.

175. Interpretationis authenticæ acceptatio ex parte subditorum non libera manet sed obligatoria est, dummodo debitæ conditiones adsint. Ad hoc videlicet exigitur imprimis ut satis constet interpretationem revera a superiore prodiisse, et, si fiat ex delegatione, ut formiter fuerit edita, adimpletis scilicet omnibus formalitatibus a delegante præscriptis. Quærunt autem theologi et canonistæ utrum præterea requiratur interpretationis promulgatio; difficultas vero non est de casu quo sensus legis antea erat manifestus, ita ut sic dicta interpretatio sit tantum declaratio sensus clare imbibiti in lege, seu nova quædam obligationis affirmatio et legis magis explicita propositio : omnes enim conveniunt in hujusmodi casu promulgationem non esse necessariam; neque difficultas est de casu quo aliquid legi prius existenti additur ita ut æquivalenter habeatur nova lex quæ profecto, juxta omnes, vim non obtinebit nisi promulgetur; sed tota difficultas est de casu quo superior sive per se sive per personas delegatas auctoritative

efficacia.

(1) Sic Sixtus V in bulla *Immensa* edita anno 1588 de Congregatione Concilii: « cardinalibus vero præfectis interpretationi et executioni Concilii Tridentini, si quando in his quæ de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis judiciis et aliis quæ humana statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur.» Cfr.Fagn.in part. 1 primi decretal.de const.c. *quoniam* n. 5-14. De Congregatione autem SS. Rituum hæc inter alia ibidem habet: « quinque itidem cardinales delegimus quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque ecclesiis, etiam in capella nostra Pontificia, in missis, in divinis officiis, sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur; cæremoniæ, si exoleverint restituantur, si depravatæ fuerint reformentur etc. »

solvit controversiam quæ inter viros doctos et probos circa sensum et extensionem legis hucusque vigebat. Necessariam esse in isto casu promulgationem multi olim cum Suarezio (1) tenuerunt, quia interpretatio authentica est vera lex, lex autem virtutem non habet nisi promulgetur. « Quod si objicias publicationem esse requisitam ad legis constitutionem, non ad illius declarationem, quia declaratio cum ipsa lege a principio inest... Respondent declarationem claram et evidentem inesse ipsi legi a principio, non autem declarationem in re dubia, et ambigua, et pro qua sunt variæ opiniones; hæc enim declaratio ut omnino sequenda sit publicari debet, siquidem ex publicatione legis non infertur : stare enim optime potest lex cum contraria declaratione (2). » Alii tamen non pauci minime necessariam esse promulgationem in dicto casu opinati sunt, quia « declaratio legis ab eo facta, qui... jus habet legem interpretandi, essentialiter non differt a lege declarata. Ergo eamdem auctoritatem et obligandi vim habet quam ipsa lex. Nam qui declarat, novum jus non inducit, sed tantum detegit quod prius latebat... Quod satis confirmant duæ similitudines quibus inter alias utuntur jurisconsulti in exprimenda declarationis natura. Altera dicta est a nucleo, qui tener in nuce clauditur, eaque confracta enucleatur... Enucleare igitur est quasi nucleum alicujus rei eruere, et quia lex cum explicatur, ejus perplexitas et dubietas instar nucis frangitur, enucleari dicitur. Altera ducitur a spica et granis... Quemadmodum igitur quum nucleus ex nuce et grana ex spicis eruuntur, speciem non mutant, sed sunt idem nucleus et eadem grana, ita et declaratio, cum ex visceribus legis

(1) De leg. lib. 6, c. 1 n. 3.

(2) Castropalao, tr. 3, disp. 5, pu. 3, § 1, n. 5, qui cæteroquin contrariam sententiam propugnat.

educitur, nihil est aliud quam ipsa lex (1). » Quamvis autem adhuc sub judice lis esse videatur, hæc tamen posterior sententia communius nunc admittitur.

Applicatio doctrinæ expositæ ad decreta congregationum.

176. Ex præcedentibus apparet solutionem quæstionis de valore et vi responsionum quæ emanant a Romanis Congregationibus petendam esse ex sequentibus principiis : *a)* an interpretatio authentica, ut vim suam exerat, promulgari debeat ; *b)* an Congregationes Romanæ facultatem habeant delegatam authentice interpretandi leges ecclesiasticas ; *c)* an in supposito quod talem facultatem habeant, ea de facto uti voluerint in casu particulari. Cæterum a responsionibus quæ continent veram legis interpretationem, semper distinguendæ sunt illæ responsiones quæ continent solummodo legis applicationem ad aliquem casum particularem ; ex prioribus enim directe docemur quisnam sit sensus legis, ex posterioribus intelligimus quo modo lex debeat prudenter in usum deduci (2).

(1) Fagnanus in 1 part. primi decretal. de const. *Quoniam* n. 14-16.

(2) Cfr. S. Alph. lib. 1, n. 106, q. 2; Scavini, tom. 1, n. 260; Neyraguet, de leg. c. 2, q. 2; Gousset, tom. 1, n. 178; Gury, tom. 1, n. 130. Etudes de théologie 1869, pag. 506 seqq. ; Bouix, de princ. juris can. p. 2. sect. 5 c. 2; Müller, lib. 1. p. 1. § 67. De hac quæstione notatu digna habentur in opere periodico « *Acta S. Sedis* » tom. 3, pag. 563 seqq. « Decreta itaque S. Congregationis SS. Rituum (quod de resolutionibus aliarum SS. Congregationum pari modo est dicendum) inspecto fonte ex quo derivant eamdem habent auctoritatem, ac si ex R. Pontificis ore prolata essent ; delegabilis est enim auctoritas, quamvis delegabilis non sit infallibilitas.... At vero quæstio agitari potest et agitatur an eadem decreta quæ pro causis pro quibus immediate et directe emittuntur vim legis obtinent, vim pariter obtineant indirecte pro cæteris similibus casibus. Ut responsio huic quæstioni dari possit, triplex decretorum genus est distinguendum : *alia enim decreta sunt generalia tum ex se, tum ex explicita voluntate S. Congregationis ;* eaque generalia decreta publicantur ex voluntate ejusdem S.C. vel authentice mittuntur ad sacrorum Antistites ut cognoscantur et executioni mandentur : et de his decretis dubitatio prædicta locum habere non potest. Secundum decretorum genus sunt *declarationes liturgicæ legis,* quæ scilicet in particulari causa sensum legis declarant vel quid licitum quidve

§ II.

DE INTERPRETATIONE DOCTRINALI.

Interpretationis doctrinalis notio,

177. Interpretatio doctrinalis est clarior legis expositio privatim facta a viris doctis ac prudentibus: active sumpta pertinet ad intellectum non ad voluntatem; sumpta vero passive non jurisdictioni sed scientiæ interpretantis innititur.

illicitum sit secundum liturgicas regulas: quid agendum quidve non agendum in communi aliqua actione liturgica, et his similia. De hoc secundo decretorum genere hæc animadvertenda videntur: nimirum declarationes liturgicæ legis alias esse *magistrales:* ita in foro ecclesiastico appellantur quædam resolutiones quæ emittuntur post quæstionem ex professo pertractatam, ut in aliquo puncto juris quævis ambiguitas auferatur; alias vero tales non esse, et identidem incidenter tantum emitti: si de primis agatur nemo non videt eas declarationes ex sese cum ipsa liturgica lege confundi; determinant enim sensum legis; si de secundis agatur, iterum est distinguendum: aut hæ declarationes firmatæ sunt a S.Congregatione,usu et consuetudine,ut evenit quando ad eas declarationes appellat in aliis casibus similibusque petitionibus, vel easdem quavis ratione confirmat; quo casu hæ declarationes confirmant pari modo sensum liturgicæ legis et cum eadem lege confundantur: aut illæ declarationes desertæ manent, sive novis declarationibus supervenientibus, sive quia non amplius commemorentur atque negligantur. Quando de illis agitur, quæ cum lege liturgica confunduntur: nemo non videt eas declarationes ex se natura sua vim legis habere et tantum extendi quantum lex ipsa extenditur: neque necessaria est nova promulgatio; non enim de nova lege agitur quæ indiget promulgatione; sed de interpretatione et declaratione authentica agitur, cui sufficit certa notitia. Quando de reliquis agitur, hæc vim universalis legis non habent, sed obstringunt tantum eos quibus observantia decreti præcepta sit..... Tertium decretorum genus sunt *applicationes legis liturgicæ ad factum.* Hæc decreta natura sua vim universalis legis non habent: sed perspicax Ritualista ex his decretis magis vel minus clare eruere potest, cum magno sui in scientia liturgica profectu, principia a quibus S. Congregatio mota est ad ita judicandum: atque aptitudinem acquirere ad recte judicandum et valorem principiorum et legum juste æstimandum.....Sed hæc quæ in abstracto considerata vera nobis videntur, difficultatem offendunt in concreto. Namque in concreto dubitari multipliciter potest: prima difficultas oriri potest ex authenticitate decreti..... sed huic difficultati superandæ magna ex parte

Diximus autem *privatim facta a viris doctis et prudentibus* ut significaremus eam generatim cuilibet licitam esse, dummodo juxta regulas procedat.

media generatim;

178. Porro quum legis obligatio pendeat a voluntate superioris, patet omnem interpretationem eo dirigi ut hæc superioris voluntas manifesta fiat. Jam vero tria potissimum ad hunc finem obtinendum consideranda veniunt : *verba* scilicet quibus superior in præcipiendo usus est; *ratio* deinde quæ ipsum ad præcipiendum movit, aliæque circumstantiæ in quibus præcepit; demum natura et indoles *materiæ* circa quam præcepit. Hæc autem tria non seorsim, sed simul adhibenda sunt; nam quamvis verba sint præcipuum signum voluntatis superioris, utpote quæ ad hoc fuerint instituta et assumpta, non possunt tamen nude ac materialiter intelligi, aut ab aliis adminiculis separari, a quibus aliquando vincuntur et superantur. De his igitur tribus nonnulla in specie nunc dicemus, ut deinde accurate percipiantur regulæ quas auctores solent proponere ad leges recte interpretandas.

fuit consultum per Gardellinianam Collectionem quæ, cum a Secretario S. Congregationis ex officio concinnetur, dubitari generatim non potest de eorumdem decretorum authenticitate : dixi generatim; nam potest oriri aliqua dubitatio in uno alterove decreto ex typographicis erroribus qui effugere solent solertiam editoris : vel ex aliqua inadvertentia collectoris, quæ dos est humanæ naturæ in ampla collectione facienda. Secunda difficultas oritur ex intellectione decretorum; non enim horum decretorum intellectio omnibus, ut par est, obvia censetur; neque omnes facile reperiunt decretorum consonantiam; neque omnes distinguere valent, si quæ sint resolutiones desertæ aut innovatæ, aut qua extensione firmatæ; item quænam principia erui possint ex applicatione facta legis liturgicæ ad singulos casus, eo vel magis quod facta exponi soleant brevissima synoptica ratione. Tertia difficultas oritur ex peculiari locorum conditione, sive consuetudinibus quæ rationabiles esse possunt, ita ut locus non fiat earumdem abrogationi. Quare sapienter S. Congregatio de universali horum decretorum obligatione consulta, ita respondit ut pro singulis casibus et difficultatibus quæ oriri possint exigat peculiarem suæ auctoritatis interventum. Cfr. decretum 11 7bris 1847 *in Angelopolitana;* 8 ap. 1854 in una *ordinis Capucinorum.*

in specie legis verba,

179. Quod itaque primum ad verba pertinet, advertendum est illa adhiberi posse vel in sensu proprio vel in sensu improprio. Proprietas vocum non tam ad grammaticam etymologiæ rationem exigenda est quam ex communi usu petenda : ex usu enim vim potestatemque significandi habent vocabula. Est autem proprietas duplex, *vulgaris* altera, altera *juridica:* proprietas vulgaris ea dicitur quæ ex *populari* usu pendet; potest hæc multiplex esse, ex primæva scilicet impositione et ex derivatione ac extensione propter analogiam; non enim semper certis limitibus definita est, verum sæpe ultro citroque vagatur, modo latior, modo restrictior: exempla sunt in vocibus *homo*, *parentes*, *liberi*, *clericus, populus* etc. (1). Proprietas juridica ea dicitur quæ ex usu *in disciplina juris vigente pendet;* habent enim quædam vocabula determinatam aliquam in jure, illique specialem significationem: exempla sunt in vocibus *mors*, *legitimus, filius* etc. Quando verba propria sunt proprietate vulgari dicuntur propria *naturaliter;* quando vero propria sunt proprietate juridica dicuntur propria *civiliter.* Sensus improprius ille dicitur, qui nec usui populari, nec usui in disciplina juris vigenti innititur, sed ex arbitrio loquentis pendet, ut si verbum « *Rogo* » intelligatur præceptive, si particula « *de nostro consilio* » accipiatur pro consilio reverentiæ cui obediendum est, si vox « *donatio* » usurpetur pro transactione (2).

ratio,

180. Ratio legis vocatur causa quæ superiorem impulit ad legem ferendam, hæc causa aliquando in legis proœmio exponitur, aliquando ex historiæ monumentis expromitur, aut ex aliis circumstantiis ab auctoribus conjecturaliter deducitur. Ratio legis ad casus in lege non expresse significatos comparata dicitur *similis* vel *identica :* « paritatem rationis voco,

(1) Cfr. Gerdil, de leg. disp. 12, c. 5.

(2) Cfr. Reiffenstuel, lib. 1, decret. tit. 2, § 16; de regulis in legum interpretatione, n. 392, 393.

quando licet rationes sint diversæ, habent inter se æqualitatem, ut sunt, v. g., ratio amicitiæ et gratitudinis, quæ inter se diversæ sunt, possunt autem æquiparari et moraliter æquales judicari. Identitatem autem voco, quando in diversis materiis una et eadem ratio pietatis promovendæ aut nocumenti evitandi intercedit (1). »

materia.

181. Materia demum circa quam lex versatur aliquando *favorabilis* est, aliquando *odiosa*, aliquando *mixta :* favorabilis dicitur, quæ consistit in aliquo beneficio præstito ; odiosa vocatur quæ consistit in onere imposito, pœna inflicta etc ; mixta denique nuncupatur, quæ partim in beneficio consistit, partim in onere. Lex quæ versatur circa materiam favorabilem dicitur et ipsa favorabilis ; adeoque definiri potest lex favorabilis, illa quæ beneficium aliquod speciale concedit : additur *speciale* quia omnis lex est in bonum communitatis ; lex quæ versatur circa materiam odiosam, dicitur etiam odiosa ; unde definiri potest lex odiosa, illa quæ infert onus aliquod *speciale*, scilicet distinctum a gravamine quod omnis lex ex sua vi

(1) Suarez, de leg. lib. 6, c. 3, n. 3. « Stat optime in dispositione aliqua non militare eamdem rationem omnino, sed solum similem vel majorem ; aliquando vero eamdem omnino rationem militare : sæpe tamen similis ratio cum identica confunditur et difficillimum est illas distinguere si est perfecta similitudo. Exemplum ergo similis rationis et identicæ desumi potest ex capite *quia in insulis, de regularib.* ubi ad professionem prohibetur in insulis admitti monachus qui 18 annum non habuerit et redditur ratio « quia ibi dura est congregatio » quæ ratio in aliis regularibus ibi existentibus militat : at si alibi existant, etiamsi duriorem vitam degant, non militat eadem ratio sed similis vel major. Aliud exemplum desumi potest ex Clement. 1 *de elect.* ubi cavetur ne eligatur in Abbatem vel Prælatum conventus, religiosus alterius religionis vel habitus ; et redditur ibi ratio, cum rationi non congruat ut homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur. Quæ ratio eadem est in monasteriis monialium, ut ibi notat glossa : similis est ne religiosus in Episcopum sæcularis vel regularis Ecclesiæ eligatur, quia etiam tunc homines disparis professionis in eadem Ecclesia sociantur. » Castropalao, tr. 3. disp. 5. pu. 3, § 4, n. 1.

obligante imponit(1); tandem lex quæ versatur circa materiam mixtam partim favorabilis est partim odiosa si materia illa sit divisibis; si vero res sit indivisibilis, favorabilis vel odiosa lex reputabitur juxta principalem intentionem legislatoris (2).

(1) Recte scripsit Gerdil l. c. c. 3. « Plerique doctores leges dividunt in favorabiles et odiosas. Simul tamen laborare aliquantisper videntur quemadmodum odiosa hæc appellatio legi cuipiam tribui queat, siquidem legem omnem, quæ digna hoc nomine censeatur, et justam esse oportet et ob commune bonum latam, nec odiosum haberi par est quod et justum sit et utilitati communi serviat. Sic autem demum rem explicant ut appareat eos favorabilem dicere legem quæ in materia favorabili versatur, quales illæ sunt quæ communem juris æquabilitatem fovent, aut quæ sine publico vel cujuspiam incommodo favores certis personis vel personarum ordinibus tribuunt, vel in quibus, quod statuitur directe, proxime et per se vergit in bonum communitatis; odiosas vero quæ in materia odiosa versantur, quæ nimirum naturalem libertatem etsi publici boni causa circumscribunt, quæ inhabilitates inducunt, acta irritant, quæ pœnas delictis decernunt, aut a communi juris æquabilitate deflectunt. Atque materia hujusmodi odiosa idcirco censetur quia illud quod proxime et per se lege statuitur grave et onerosum est, tametsi postea onus hoc vel gravitas majoris boni accessione compensetur. Sane, ut comparatione utamur, humano corpori necessaria sunt et alimenta et remedia; sed in alimentis juvamen prima specie se offert, in remediis vero prima se offert species doloris et molestiæ quam postmodum corporis salus consequitur. Sic in corpore veluti reipublicæ quædam leges ipsum prima fronte civitatis bonum et commodum præ se ferunt, eæque dicuntur favorabiles; aliæ velut in remedium humanæ cupiditatis gravia quædam et onerosa decernunt, quo fit ut odiosæ appellentur. Aliæ sunt utriusque velut speciei participes, dicunturque mixtæ. Sed forte satius foret omnem odii denominationem a lege ipsa removere quæ revera etiam dum onus imponit vel pœnas infligit, provide ac saluberrime communi bono ac civium tranquillitati prospicit; eamque appellationem ad materiam transferre quæ legi subjecta est, adeo ut distinctio fiat non inter leges favorabiles et leges odiosas quæ proprie nullæ sunt, sed inter leges quæ in materia favorabili et leges quæ in odiosa materia versantur. Verum quod attinet ad rem, solido fundamento nititur inducta hæc inter favorabile et odiosum in legibus distinctio, eamque frustra et perperam Barbeyracius oppugnare studuit. »

(2) Cfr. Reiffenstuel, l. c. § 17; Reuter, de leg. n. 203. 204.

182. Quibus præmissis, jam regulæ ad rectam legum interpretationem tradendæ haud difficile intelligentur. *a) Verba legis generatim sunt accipienda in sensu proprio et naturali ;* « ratio est, quia verba in communi sermone usurpantur in propria significatione, nam idcirco illam recipiunt; ergo multo magis hoc intelligendum est servari in legibus quæ debent esse claræ et non expositæ circumventionibus et falsis interpretationibus... Unde confirmatur ab incommodo, quia alias nihil esset certum in legibus neque per illas possent regulari actiones hominum (1). » *b) Simul cum verbis, maxime ubi aliqua ambiguitas habetur, contextus legis inspiciendus est, ejusque ratio perpendenda.* Nam vox quæ seorsum accepta indefinitam significationem præ se fert, sæpe determinatur ex ipsa sua conjunctione cum aliis vocibus, unde integra sermonis sententia efformatur. Quamobrem in Reg. juris 68 merito dicitur incivile esse nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare vel respondere. De legis vero ratione scribit Suarez « illam quidem non sufficienter continere mentem legislatoris, si tamen de illa constet multum valere ad eamdem mentem legislatoris investigandam... Prior pars constat tum quia ratio legis non est textus legis, tum etiam quia multa per legem humanam statuuntur arbitrio potius quam certa ratione... Quamvis enim lex semper sit rationi consentanea, nihilominus electio inter ea quæ rationabilia sunt, sæpe non habet rationem, et ideo non semper est investiganda... Ergo sola legis ratio non continet legislatoris voluntatem, quia pro suo arbitrio potuit non in omnibus illi conformari, sed solum quatenus voluit et suis verbis explicavit... Nihilominus tamen posterior etiam pars verissima est. Oportet tamen circa illam advertere duplicem esse posse rationem legis : unam in lege non expressam sed

Interpretationis doctrinalis regulæ,

(1) Suarez, de legib. lib. 6, c. 1, n. 8, 9, 10.

ab interpretibus excogitatam; aliam in lege ipsa explicatam. Prior ergo ratio, licet aliquid conferat ad assequendam legislatoris voluntatem, non est tamen certum indicium sed probabilis tantum conjectura, tum quia sæpe ratio non est certa... tum etiam quia multo minus certum est illam fuisse rationem quæ movit ipsum legislatorem... At vero quando ratio legis in ipsa lege continetur magnum indicium esse potest, et post verba ipsa videtur secundum certitudinis locum obtinere, quia tunc ratio legis est aliquo modo pars ejus, nam in ea continetur et supponitur (1).» *c) Semper præ oculis habeatur oportet materia legis; nam si lex sit odiosa, debent verba restringi quantum patitur proprietas verborum, spectato contextu et circumstantiis; si sit favorabilis, debet extendi quantum potest, manendo intra verborum proprietatem tum civilem tum naturalem; si demum sit mixta, debet ex parte restringi et ex parte extendi quotiescumque commodum ab incommodo est separabile, secus extendi vel restringi pro principaliori legislatoris intentione.* Sic in materia favorabili nomine filii venit etiam adoptatus, nomine legitimi legitimatus, nomine civium clerici, nomine religiosiorum novitii et moniales, nomine clerici religiosus etc.; secus in materia odiosa. *d) Extensio legis per improprietatem seu ultra proprietaten verborum tam naturalem quam civilem, raro locum habet; admittenda vero est quando alias vel lex fieret illusoria et nullius momenti vel injustitiam aut aliam absurditatem contineret;* ratio est, quia a constitutione superioris debet excludi absurdum, et omnis dispositio interpretanda est, ut valeat potius quam pereat. *e) Verba generalia legis generaliter sunt accipienda*, seu quod idem est, *jus generaliter et indistincte loquens, generaliter et indistincte est intelligendum nisi per aliud distinguatur;* nam juxta commune vulgatum « ubi lex non

(1) De leg. lib. 6. c. 1, n. 19. 20.

distinguit, neque nos distinguere debemus. » Et sic indefinita locutio legis æquivalet universali, et multo magis si fuerit negativa. Diximus autem *nisi per aliud distinguatur :* nam secus est, quando una lex generalis per aliam specialem aut per rationis ac circumstantiarum diversitatem distinguitur. *f) Quamvis lex extendi non possit ad illud quod nullo modo in ipsa comprehenditur, potest tamen extendi ad illud quod, licet non expresse, implicite tamen in ipsa comprehenditur, propter rationem scilicet non similem tantum sed etiam adæquate identicam ;* id autem præcipue contingit primo *in correlativis.* v. g., inter maritum et uxorem : sic lex quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ censetur pariter eximere uxorem ab eodem officio erga maritum adulterum ; deinde *æquiparatis*, ut v.g., sunt electio, postulatio et præsentatio ad beneficium : hinc si lex aliquo casu simoniacam electionem ad beneficium esse decernit, eodem casu iisdemve circumstantiis idem statuendum erit de præsentatione ; tertio in *connexis*, ut sunt v. g., condere testamenta et legata facere : unde si lex certis personis vetet ne testamento legare valeant, eadem lex, si non verbis, saltem vi et sententia codicillos etiam complectetur ; lex præterea quæ jus aut facultatem tribuit, omnia etiam concedere censetur quæ ad id jus vel ad eam facultatem explicandam necessaria sunt ; demum *in contentis*, in his scilicet quæ se habent tanquam totum et pars aut velut plus et minus in eodem genere ; hinc cum legislator casum dumtaxat frequentiorem exprimit, non censetur excludere casus minus frequentes : sic lex indulgens monialibus ut e claustris exire liceat causa pestis vel incendii, merito extenditur ad casum vastitatis proxime inferendæ ab hostibus (1).

183. Interpretationis doctrinalis acceptatio per se obliga- efficacia.

(1) Cfr. Castropalao, tr. 3, disp. 5, pu. 3, § 4, n. 9, 10, 11 ; Gerdil., l. c. c. 6; Müller, op. cit. § 67.

toria non est, sed libera manet: cum enim non innitatur jurisdictioni interpretantis, sed ejus scientiæ, judicio ac prudentiæ, tantum valet quanta deprehenduntur intrinsecum pondus rationum, et auctoritas extrinseca doctorum. « Si in alicujus legis intelligentia omnes interpretes conveniant, faciunt humanam certitudinem, et regulariter loquendo etiam inducent obligationem servandi legem et utendi illa in praxi juxta talem interpretationem. Tum quia tanta consensio doctorum indicat communem acceptationem, et observantiam legis in illo sensu; tum etiam quia vix potest accidere, ut contra communem omnium doctorum interpretationem, tam efficax ratio occurrat, ut in conscientia reddat securam contrariam intelligentiam (1). »

§ III.

DE INTERPRETATIONE USUALI.

Interpretationis usualis notio,

184. Interpretatio usualis illa est, quæ oritur ex communi et diuturna populi observantia. Posse sensum legis ex communi illa observantia determinari, per se manifestum est et ab omnibus admittitur ; unde dici solet « consuetudo optima legum interpres. »

Distinctio et efficacia

185. Porro dupliciter valet usus ad legem interpretandam. Primo modo, ut *signum et testis*, quatenus ex ipso, argumento probabili vel etiam moraliter certo, deduci possit quænam fuerit mens legislatoris; sub hac autem ratione, interpretatio usualis proprie doctrinalis est, altiori tamen sensu, quia in ipsa plures conveniunt. Altero modo, ut *causa concurrens* ad introducendam et stabiliendam legis observationem in tali vel tali sensu; sicut enim usus, quando debitæ adsunt con-

(1) Suarez, lib. 6. c.1, n. 6. Cfr. supra, n. 11.

ditiones (1), potest obligationem novam inducere, ita potest, sub iisdem conditionibus, obligationis jam præexistentis extensionem determinare; sub hac ergo ratione interpretatio usualis authentica est, et ejus acceptatio, modo superius declarato, necessaria (2).

Interpretatio judicialis.

186. Sunt qui triplici interpretationis speciei jam expositæ, quartam addunt, illam nimirum quæ fit a judice, et quam ideo vocant *judicialem*; verum a judice, dum sententiam profert, proprie et formaliter non fit interpretatio sed legis applicatio, quæ partes obligat nisi velint et possint ad tribunal superius appellare; prærequiritur quidem ad sententiam proferendam legis intelligentia, et consequenter quando ambigua est, ejus aliqua interpretatio : sed talis interpretatio non differt a doctrinali vel usuali (3).

187. Ex præcedentibus intelligi possunt variæ quæ apud auctores leguntur interpretationis distinctiones, tum ratione efficaciæ in *necessariam* et *liberam*, tum præsertim ratione indolis in *extensivam* et *restrictivam*; extensio enim et restrictio accipiuntur vel per comparationem ad verba legis juxta diversas eorum significationes, propriam naturaliter, propriam civiliter, impropriam; vel per comparationem ad rationem legis prout in aliis casibus absolute identica est necne; vel per comparationem ad totam legem antea existentem, quando ipsi, sub interpretationis nomine, aliquid ab habentibus potestatem additur.

Epicheia.

188. Ubi de interpretatione legis agitur ordinarie sermo est de *epicheia*; ut intelligatur quid hoc nomine veniat, sciendum est legem, etiam generaliter conceptam, in quibusdam casibus non obligare, quotiescumque videlicet servari non potest sine peccato vel sine gravi detrimento; hujusmodi enim casus in

(1) Cfr. n. 116.
(2) Cfr. Suarez, lib. 7, de leg. c. 17; Castropalao, tr. 3, disp. 3, p. 4, § 3.
(3) Cfr. Wirceburgenses, de leg. n. 190.

lege sua comprehendere superior non potuit, aut saltem non voluit, ne in ruinam potiusquam in ædificationem præciperet. Jam vero prudens æstimatio circumstantiarum in quibus tali modo lex non obligat, dicitur epicheia, seu interpretatio juxta æquum et bonum; communiter enim definitur epicheia: benigna interpretatio mentis legislatoris vi cujus secundum æquum et bonum declaratur hunc non voluisse aliquem casum particularem ob speciales circumstantias in eoden occurrentes in sua lege universali comprehendere. Verum hæc melius intelligentur, ubi tractabitur de causis ab observatione legis excusantibus; ad hanc enim materiam pertinent.

ARTICULUS II.

De adimpletione legis positivæ.

Principium generale.

189. Nomine adimpletionis hic intelligitur præstatio illius quod necessarium est ut quis obligationi legis satisfecerit et transgressionis ejusdem reus dici nequeat. Jam vero *ad satisfaciendum ita obligationi legis, illud omne et solum præcise est faciendum vel omittendum quod lex præcipit vel prohibet.* Hujus principii conclusiones in sequentibus evolventur (1).

Aliquando non exigitur actio humana;

190. *Legi quæ cadit in effectum aliquem obtinendum et in executionem realem potius quam in actionem, satisfieri potest modo etiam non humano:* hujusmodi sunt imprimis omnes generatim leges prohibentes seu negativæ, v. g., abstinendi ab operibus servilibus die dominica, non manducandi carnem die veneris etc; hujusmodi etiam sunt inter leges præcipientes seu affirmativas illæ quæ exigunt solutionem debiti, restitutionem rei alienæ etc. Ratio est, tum quia leges

(1) Cfr. Sanchez, de præc. decal. lib. 1., c. 13 et 14.

prohibentes seu negativæ non plus intendunt quam operis omissionem; tum quia leges præcipientes seu affirmativæ, de quibus agitur, non plus exigunt quam æqualitatem rei ad rem; hac igitur obtenta, quocumque demum modo id fiat, extinguitur obligatio, sublato ejus fundamento : hinc dormiens tota die jejunii implet præceptum, quamvis nec moraliter nec meritorie; eodem modo præceptum abstinentiæ implet ille qui per vim a carnibus arcetur; item præceptum restitutionis implet ille qui rem furto ablatam reddit in ebrietate etc.

ordinarie tamen requiritur;

191. *Legi quæ cadit in actionem potius quam in rem, non satisfit nisi modo humano, sc. per actum humanum positum cum intentione faciendi illud quod præcipitur.* Imprimis igitur necessaria est *advertentia et libertas requisita ad actum humanum;* ratio est, quia leges quæ præcipiunt homini actiones non possunt præcipere nisi actiones humanas; exinde deducitur ebrium vel dormientem assistentem missæ in die festo, aut recitantem orationem aliquo titulo debitam non satisfacere præcepto audiendæ missæ vel recitandæ orationis, quia non exercet actionem humano modo; neque satisfacere illum qui omnino invitus Sacro interest; quamvis satisfaciat qui ex metu præceptum adimplet, cum metus non tollat voluntarium. Necessaria est deinde *intentio faciendi illud quod præcipitur;* ratio est, quia sine illa intentione actus præceptus non ponitur; hinc si præcipiatur oratio vocalis, teneris habere intentionem orandi vel laudandi Deum; nam illa intentio necessaria est ut adsit oratio; neque enim nuda pronuntiatio verborum est oratio, cum pronuntiari possint studii vel oblectationis causa; eam autem intentionem habes eo ipso quod velis satisfacere obligationi tuæ.

necessaria est voluntas exequendi opus injunctum, non vero intentio satisfaciendi,

192. *Quamvis ad præcepti impletionem requiratur voluntas exequendi opus præcepto injunctum, non tamen exigitur intentio satisfaciendi præcepto.* Leges enim non obligant ad obedientiam formalem, seu *ut aliquid fiat quia præceptum est,*

sed tantum ad obedientiam materialem, seu *ut fiat quod præceptum est.* Sic S. Alphonsus (1) et alii communiter. Hinc v.g. qui die festo missam attente audit, nihil cogitans de Ecclesiæ præcepto et ignorans esse diem festum, nihilominus obligationi suæ satisfacit. Hinc etiam constat, cuinam obligationi satisfiat ab eo qui præstat opus multis titulis debitum, non intendens ulli obligationi satisfacere, immo harum obligationum immemor: videlicet si illæ obligationes sint inæquales, censetur satisfacere graviori et urgentiori; si vero sint æquales et materia sit divisibilis censetur satisfacere omnibus pro rata; si demum sint æquales et materia sit indivisibilis, censetur satisfacere uni vel alteri indeterminate. Porro lex adimpletur non solum ab illo qui non habet intentionem satisfaciendi sed etiam, juxta plures, ab illo qui *expressam habet intentionem legi non satisfaciendi.* Ratio est, quia facit quod præceptum est, ut supponitur; quo præstito, cum lex ab ipso non dependeat, non est in ejus potestate efficere ut præcepto non sit satisfactum. Unde in casu intentio non satisfaciendi est inefficax. Hinc qui sacro interest expresse intendens soli devotioni suæ satisfacere, aliamque missam postea audire ad implendum præceptum, satisfacit suæ obligationi, licet aliam deinceps audire negligat. « Eadem ratio est, inquit Laymann, de horis canonicis, quod scrupulosis notandum est, qui cum videntur sibi inter orandum distracti, officium vel partem officii recitant cum proposito postea repetendi: qui tamen repetere non tenentur, quando distractio eorum involuntaria fuit. Ratio est, quia lex tantum præcipit voluntariam operis executionem non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem... Quare cum opus quod præcipitur impleas... etiamsi nollis implere, non potes tamen efficere quominus impleas: siquidem protestatio contraria facta vim nullam habet. Id

(1) Lib. 1, n. 163.

tamen fatendum est, si quis in tali falsa persuasione maneat quasi præcepto non satisfecerit, peccaturum esse nisi vel errorem deponat vel aliam missam audiat, horas canonicas repetat etc. Objicitur : qui obligatus est voto recitandi rosarii, si recitet animo tunc non implendi votum, debet denuo recitare ad satisfaciendum voto; item obstrictus debito pecuniario, si dum pecuniam solvit, creditori significet, nolle se debito exsolvi, sed gratis donare, debet iterum solvere : ergo idem dicendum videtur de observatione legum. Ad hæc respondeo : discrimen esse inter debitum seu obligationem ex voto aut promissione, et inter debitum seu obligationem ex lege aut præcepto superioris: nam obligatio voti et cujuscumque promissionis provenit ex voluntate voventis, promittentis, qui sicut ab initio arbitratu suo debitorem se constituere potuit, ita etiam in eo debito sive obligatione arbitratu suo perseverare potest; debitum autem sive obligatio ex lege vel præcepto provenit ex voluntate legislatoris vel præcipientis, ideoque extendi non potest ultra ejus intentionem : quamobrem cum legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur, eo opere præstito extinguetur obligatio (1). » Cæterum quod cum communiori circa vota et promissiones admittit Laymann, illud Sanchez negat (2).

nec intentio implendi finem.

193. *Non requiritur intentio implendi finem a legislatore intentum, nisi finis præcise per se imponatur;* nam ut ex dictis colligi potest, legislator ordinarie non præcipit nisi substantiam operis. Unde axioma : « finis præcepti non cadit sub præcepto, » sic v. g. satisfacit qui diebus statutis jejunat, licet non intendat mortificationem.

Legi satisfieri potest in statu peccati,

194. *Legi satisfieri potest in statu peccati nisi aliter postulet substantia actus præcepti :* hinc satisfacit qui in statu peccati mortalis missam audit, jejunat. *Imo legi satisfieri potest per*

(1) Lib. 1, tr. 4, c. 4, n. 7. (2) De præceptis dec. lib. 1, c. 13, n. 18.

aliquando per actum peccaminosum.

actum peccaminosum seu malum ex circumstantia extrinseca, modo ille actus honestus sit de se, atque ita ponatur substantia rei præceptæ. Ratio est, quia substantia actus tantum præcipitur nisi aliud exprimatur. Hinc satisfacit qui missam audiendo alicui cogitationi vanæ gloriæ vel luxuriæ adhæret; non satisfacit tamen præcepto annuæ confessionis qui sacrilege confitetur; nec « præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem (1). »

Pluribus legibus aliquando satisfieri potest per unum actum, aliquando non.

195. *Potest pluribus legibus satisfieri per unum actum si illæ leges sint circa eamdem specie et numero materiam; secus si sint circa materias easdem specie, sed numero distinctas.* Ratio est, quia si sint circa eamdem specie et numero materiam seu actionem, ponendo eam ponitur totum quod plura præcepta requirunt; non vero si sint circa materias numero distinctas. Porro quandonam cadant obligationes in eamdem vel in diversam saltem numero materiam, colligitur ex mente legislatoris sufficienter declarata, ex intentione sese obligantis, ex diversis obligationum titulis, ex diversis temporibus vel locis quibus actiones affiguntur : regula autem generalis dari non potest. Exempla quæ apud auctores passim leguntur, collegit Gury (2) : « Si debeas centum nummos Titio, tuque voveas restituere, uno actu satisfacis duabus obligationibus; sc. justitiæ et voti. Item sacerdos beneficiatus vovens fideliter recitare horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit. Contra si Caio debeas centum francos ex mutuo, centum ex censu, non satisfacis solvendo semel centum, quia obligationes in diversam materiam cadunt. Similiter si ex voto et ex pœnitentia a confessario imposita tenearis audire sacrum, non satisfacis his duabus obligationibus, si unico sacro die dominica intersis. Nec potes plures missas tibi a confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur,

(1) Cfr. prop. 35 ex damnatis ab Inn. XI. (2) Tom. 1, n. 107.

quia talis non præsumenda est intentio confessarii, nisi confessarius ad fructum sacrificii respexerit. Qui tenetur audire Missam singulis diebus ex pœnitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die dominica, quia rationabiliter præsumitur confessarium noluisse pœnitentem obligare ad duas Missas eadem die audiendas, nisi id expresserit (1). » Quamvis autem in his exemplis agatur de obligationibus aliunde etiam quam ex lege positiva ortis, sufficiunt tamen ad rem de qua agimus declarandam.

An eodem tempore per diversos actus.

196. *Plures leges eodem tempore impleri possunt per diversos actus, dummodo actus illi sint compossibiles*, scilicet simul poni possint eo modo quo præcipiuntur : tunc enim totum ponitur quod exigitur.

Quandonam implenda lex.

197. *Si lex tempus assignet quo impleri debeat, eo tempore est servanda ; si nullum, implenda est quam primum commode fieri possit.* Quod si tempus assignatum fuerit elapsum, videndum est utrum fuerit determinatum ad *urgendam*, an vero ad *finiendam* obligationem : in priori casu remanet obligatio legem implendi, quam primum commode fieri possit; in posteriori extincta est obligatio. Ita v. g. peccator qui ab anno non est confessus, tenetur quam primum confiteri; e contra qui non jejunavit die vigiliæ, vel die dominica missæ non interfuit, peccavit quidem, sed a lege liberatur. Quandonam autem et quousque tempus sit determinatum ad finiendam an ad urgendam obligationem, sæpe nonnisi difficile definitur : exemplum habetur in lege ecclesiastica qua præcipitur communio paschalis (2).

(1) Cfr. S. Alph. n. 166 ; Voit, n. 202, etc.

(2) Cfr. J. De Lugo, de Euch. disp. 16, s. 4, n. 61 sqq. Tournely de Euch. Q. 6 a 3 ; Billuart, de Sacr. Euch. diss. 6, art. 1, § 2. Gousset, tom. 2, n. 222.

SECTIO QUARTA.

DE CAUSIS AB OBSERVATIONE LEGIS POSITIVÆ DEOBLIGANTIBUS.

Indicatio materiæ.

198. Postquam in præcedentibus actum est de legis positivæ constitutione, vi et executione, restat ut sermo nunc habeatur de causis propter quas legis obligatio cessat ; causæ autem illæ sunt variæ speciei : aliæ enim dicuntur a lege *excusantes*, aliæ a lege *eximentes*, aliæ legem ex toto vel ex parte *tollentes*. Quænam sit inter istas deobligationis causas discrepantia, ex sequentibus apparebit.

ARTICULUS I.

De causis a lege positiva excusantibus.

Discrepantia, ratione excusationis, inter ignorantiam et impotentiam.

199. Causæ a lege *excusantes* dicuntur illæ quæ aliquem subditum, sub ege remanentem, ab ejus adimpletione impediunt ; hujusmodi autem duæ ab auctoribus assignari solent : ignorantia et impotentia. Est tamen inter ipsas maxima discrepantia : nam ignorantia excusat tantum a transgressione formali, et relinquit transgressionem materialem ; dum e contra impotentia non solum a formali sed vel a materiali transgressione excusat. In casu enim ignorantiæ obligatio habetur objectiva, non subjectiva (1) : habetur obligatio objectiva, quia superior ab initio hanc vel illam actionem prohibere aut præcipere voluit ; non habetur obligatio subjectiva, quia voluntas superioris non est subjecto applicata (2). In casu autem impo-

(1) Cfr. n. 86. (2) Cfr. n. 129.

tentiæ, non solum non adest obligatio subjectiva, sed nec habetur objectiva, quia videlicet superior noluit unquam hunc vel illum casum in lege comprehendere; concursus enim quorumdam adjunctorum efficere potest, ut actus, qui nunc ponitur vel omittitur, non sit ille quem legislator intendit prohibere vel præcipere: quapropter impotentia dici potest causa excusans non proprie, siquidem excusatio supponit aliquam obligationem, sed improprie, quatenus nempe lex apprehenditur ut ex parte sua subditum adstringens, et tantum ex conniventia et benignitate superioris effectum suum non habens. Eodem fere modo intelligenda est alia formula qua lex in hypothesi impotentiæ dicitur *suspendi* vel *cessare;* stricte enim lex non cessat nec suspenditur, sed cessat materia illa quam lex respicit, et ex vi circumstantiarum exsurgit alia materia pro qua lata non est.

§ I.

DE IGNORANTIA LEGIS POSITIVÆ.

Possibilitas ignorantiæ invincibilis etiam legis positivæ divinæ.

200. *Sicut dari potest ignorantia invincibilis in jure naturali, saltem quoad remotiores conclusiones* (1), *ita a fortiori dari potest ignorantia invincibilis non facti tantum et legis humanæ, quod ne janseniani quidem inficiati sunt, sed etiam legis positivæ divinæ.* Hanc doctrinam communi consensu semper tradiderunt doctores catholici, quorum duos tantum exempli gratia citabimus, S. Augustinum scilicet et S. Thomam. Prior ita habet (2): « Sed quod adjunxit atque ait, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Christus, nec

(1) Cfr. supra, n. 100. (2) In Joh. c. 15, tr. 89, n. 2.

locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur hic dictum est, propterea istos non habere, quia venit et locutus est eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant ut a pœnis alienentur, an ut mitius puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, et quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi ad quos in discipulis venit, et quibus per discipulos est locutus, quod et nunc facit: nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, et per Ecclesiam loquitur gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait, qui vos recipit, me recipit: et, qui vos spernit, me spernit. An vultis, inquit apostolus Paulus, experimentum accipere ejus qui in me loquitur, Christus? » Posterior vero sic scribit (1): « Infidelitas dupliciter accipi potest. Uno modo secundum puram negationem: ut dicatur infidelis ex hoc solo quod non habet fidem. Alio modo potest dici infidelitas secundum contrarietatem ad fidem: qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam.... Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, et secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. » Huc pertinet damnata propositio Baii 68 « Infidelitas pure negativa, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » Rem bene explicavit Vasquez (2): « Illa ignorantia solum culpæ potest

(1) 2. 2. q. 10, art. 1, in 0.
(2) In 1. 2. q. 76, disp. 120, c. 3, et disp. 121, c. 2.

imputari, quam aliquis debita diligentia non studuit expellere : atqui multi sunt et fuerunt infideles, qui ignorantiam mysteriorum nostræ fidei debita diligentia non potuerunt expellere : ergo in illis talis ignorantia non potuit culpæ imputari. Porro in multis infidelibus esse, vel fuisse talem ignorantiam, quam debita diligentia non potuerint a se expellere, sic probatur. Multi fuerunt infideles qui nihil de alia vera religione et fide audierunt, neque quidquam suspicati sunt : qua ergo diligentia, vel alios consulere potuerunt, ut ab eis veritate instruerentur, vel a Deo petere ut illustrarentur ? Præterea si alicui circa fidem et religionem, quam ipse profitetur, dubitatio aliqua subrepat, suæ conscientiæ videbitur satisfecisse, si majores suos, quos ipse existimat esse peritiores, adierit, et illa dubitatione eos consuluerit, illi autem in suo errore ipsum confirmabunt : qua vero ratione putabit sibi necessarium horum consilio relicto ad orationem confugere, et Deum deprecari ut alia via ab eo edoceatur ? Accidere ergo potest ignorantia invincibilis circa fidei nostræ mysteria, ita ut culpæ non imputetur. » Patet ea quæ hic dicuntur de infidelibus etiam dici posse de acatholicis. « Cæterum adhuc ego non dubitarem concedere, esse non paucos rusticos inter christianos, qui absque culpa ignorant aliqua mysteria ex iis, quæ necessaria sunt. Quia ab iis, quorum curæ mandati sunt, sive parochis sive parentibus, instructi non sunt, nec admoniti, nec ipsi alios adire possunt a quibus doceantur. » Neque huic doctrinæ obstat axioma « facienti quod in se est, Deus, non denegat gratiam, » ex quo scholastici non pauci concludunt infidelem, si præcepta juris naturalis observet, ad fidem certo perventurum esse, etiamsi Deus ad illum mittere deberet aliquem angelum. Nam inde sequitur tantum, ignorantiam mysteriorum fidei esse ex culpa, non vero sequitur eam esse culpabilem. Jam enim diximus aliud esse ignorantiam aliquam procedere ex peccato, aliud eam esse voluntariam et pecca-

minosam (1). Ut in casu nostro ignorantia esset vincibilis seu voluntaria, imprimis cognosci deberet obligatio seu necessitas sciendi illa mysteria, deinde cognosci deberet observationem legis naturalis, medium esse ad hanc scientiam acquirendam, saltem præcedere deberet aliqua de his dubitatio.

Legis moralis ignorantia invincibilis excusat a transgressione formali;

201. *Ignorantia invincibilis tum legis mere præcipientis vel prohibentis, tum facti hujusmodi legem applicantis excusat a formali ejusdem legis transgressione;* nam in eo casu actio aut omissio, licet sub alio respectu possit esse omnino voluntaria, est tamen involuntaria sub ratione transgressionis (2). *Ignorantia vero vincibilis non excusat a formali legis transgressione, reatum tamen transgressionis minuit* (3).

quousque ab in currenda pœna excuset,

202. Relate ad ignorantiam legis pœnalis, plures faciendæ sunt distinctiones, præsertim vero inter forum internum et forum externum, atque inter legem pœnalem mixtam et legem pure pœnalem.

in foro conscientiæ, legis mixtæ, ignorantia invincibilis,

203. Quod igitur primum attinet ad ignorantiam invincibilem legis pœnalis mixtæ pro foro interno sequentia statui possunt. *a) Consentiunt doctores pœnam non incurri quotiescumque habetur ignorantia invincibilis sive facti sive omnis legis præcipientis vel prohibentis actum;* pœna enim non debetur nisi pro culpa; ubi autem nulla lex cognoscitur, nulla potest esse culpa. *b) Si actus sit præceptus vel prohibitus tum alia lege, puta naturali, quæ cognoscitur, tum lege mixta quæ invincibiliter ignoratur, consentiunt rursus doctores pœnam a lege mixta statutam non incurri, si hæc pœna supponat in delinquente contumaciam, cujusmodi sunt censuræ* (4); *utrum vero incurratur alia pœna quæ in delinquente non supponit contumaciam, valde controvertitur;* affirmant alii cum Suarez (5), quia in eo casu « non cessat causa pœnæ : lex enim humana non solum intendit punire transgressionem suam voluntariam, sed etiam

(1) Cfr. n. 68.
(2) Cfr. supra, n. 74.
(3) Cfr. supra, n. 75 et n. 76.
(4) Cfr. S. Alph. lib. 7, n. 43.
(5) De leg. lib. 5, c. 12, n. 7.

culpam contra legem divinam commissam ;» alii autem negant cum Sanchez (1) et Castropalao (2), quia ille qui non peccavit contra aliquam legem non debet pœnis illius puniri; nec enim pœna est ulterius protrahenda quam delictum fuerit; aliunde « gravius delinquit qui percutit clericum cognoscens percussionem illius non solum esse prohibitam jure naturali et divino sed etiam ecclesiastico et sub censura, quam qui solum cognoscit prohibitionem juris naturalis; ergo non debet uterque eisdem pœnis puniri. » *c) Controvertitur præterea utrum pœna incurratur, quando ipsa lex mixta cognoscitur quatenus est præcipiens vel prohibens, sed invincibiliter ignoratur quatenus est puniens ; sententia communior distinguit pœnas quæ in delinquente supponunt contumaciam, a pœnis quæ contumaciam non supponunt ; in primo casu admittitur hujusmodi pœnas non incurri* (3)*; in altero casu iterum distinguitur : vel enim sermo est de pœna ordinaria et delicto proportionata, et hæc incurritur; vel sermo est de pœna extraordinaria et exorbitante, ultra exigentiam delicti propter speciales circumstantias imposita, et hæc non incurritur.*

204. Si autem non de invincibili sed de vincibili legis mixtæ ignorantia sermo fiat, jam non est attendendum ad ejus objectum, sed potius ad diversos ejus gradus. Itaque *a) consentiunt doctores ignorantiam stricte vincibilem, sicut excusat a gravi culpa, ita excusare a gravi pœna ; ignorantiam vero communiter seu simpliciter vincibilem, quæ scilicet non excusat a gravi culpa, per se et generatim non excusare a gravi pœna ;* quæri tantum potest, utrum ratione talis ignorantiæ quæ voluntarium et culpam minuit, sit pœna aliquousque moderanda: de qua re ita scribit Suarez (4) : « distinguere oportet an contrahatur per legem ante omnem sententiam, vel imponenda sit per judicem. Nam in priori casu non habet locum diminutio, vel vincibilis:

(1) De matrim. lib. 9, disp. 32.
(2) Tr. 2, disp. 1, pu. 17, n. 2.
(3) S. Alph. l. c.
(4) De leg. lib. 5, c. 12, n. 10.

quia lex ipsa infligit pœnam simpliciter et sine moderatione, et semper eodem modo loquitur, et ita nunquam diminuit illam ; ergo nec reus auctoritate sua potest diminuere, tum quia ad hoc requiritur potestas publica, tum etiam quia esset suspectus dispensator in propria causa. Quin potius probabile existimo, quoties lex ponit pœnam ipso facto, quamvis requirat declarationem judicis, non esse in potestate illius diminuere pœnam, si absolute per sententiam declaret, reum commisisse delictum, quia tunc non ipse imponit pœnam, sed legislator, et fortasse hæc est una ex potissimis differentiis inter sententiam declaratoriam et condemnatoriam. Atque ita videmus usu servari in pœna confiscationis. At vero quando pœna est imponenda per judicem, tunc potest in eo casu illam moderari, quia causa minor est, et quia hoc ei jure conceditur. » Diximus ignorantiam simpliciter vincibilem *per se* non excusare a gravi pœna ; nam *b) aliter resolvendum est quando lex ipsa requirit ignorantiam magis culpabilem, ex negligentia nimirum valde lata provenientem : ita si exigatur ignorantia proprie crassa et supina, excusabit ignorantia simpliciter vincibilis;* advertendum tamen hic est, inter auctores non convenire utrum nomine ignorantiæ crassæ et supinæ quæ necessaria est ad incurrendas quasdam censuras, intelligi debeat proprie ignorantia aliqua specialis, an vero minus rigorose omnis ignorantia graviter culpabilis (1). *Immo si exigatur in delinquente præsumptio, audacia, temeritas etc., non solum simpliciter vincibilis sed etiam crassa vel supina ignorantia ab incurrenda pœna excusat ; an vero excuset ipsa ignorantia affectata quando exigitur in delinquente scientia, controversia est apud auctores,* aliis affirmantibus, negantibus aliis (2) ; fortasse media via procedentes diversimode

(1) Cfr. S. Alph. lib. 7, n. 45.
(2) Cfr. S. Alph. l. c. n. 48 ; Ballerini. tom. 2, n. 939.

loqui possemus pro diversa specie ignorantiæ affectatæ (1); et ita revera videtur sentire Sanchez (2).

205. Quod autem deinde attinet ad ignorantiam vincibilem aut invincibilem legis pure pœnalis pro foro interno, res facilis est; « nam vel illa non est rigorosa pœna, sed veluti pars disjunctivi præcepti, et ideo incurri potest sine culpa; vel est talis pœna quæ solum requirit culpam civilem vel legalem: unde cum proportione etiam in illa locum habet prædicta regula (quod culpa caret, in damnum venire non debet). Quia ut pœna illa debeatur, necesse est ut præcedat voluntarius actus vel omissio contra legem. Quapropter si intercedat ignorantia, quæ culpam excuset, aut excusare sufficeret, si actus esset prohibitus, illa reddit actum involuntarium, et ideo etiam excusat illam pœnam (3). » item legis pure pœnalis.

206. Quod demum attinet ad ignorantiam legis tum mere pœnalis, tum mixtæ, pro foro externo, advertendum est, facta promulgatione et elapso tempore sufficienti, scientiam præsumi et ignorantiam legis esse probandam; « quare nisi sufficienter ignorantia invincibilis probetur, quæ tamen difficillime et quam rarissime probari potest, pœna transgredientibus legem statuta non evaditur. Atque hic est unus ex eventibus in quibus juris ignorantia non excusat. Si tamen aliquando juris ignorantia invincibilis in foro exteriori sufficienter probaretur, procul dubio in eodem exteriori foro eadem ignorantia invincibilis sufficienter probata excusaret transgressorem ejus legis a tota pœna; quoniam evidens tunc esset in eo foro eam ignorantiam invincibilem excusasse a tota culpa trangressionis ejus legis: ubi autem constat nullam intervenisse culpam, locum pro ea non habet vera pœna, etiam in foro exteriori (4). » Unde, si quis « per judicem condemnetur quia deficit in pro- Quid in foro externo.

(1) Cfr. supra, n. 76. (2) De præc. decal. lib. 2, c. 10, n. 38.
(3) Suarez, de leg. lib. 5, c. 12, n. 4.
(4) Molina, de just. et jure, tr. 5, disp. 71, n. 10.

batione, et ipse sit certus in conscientia de sua inculpabili ignorantia, licet exterius teneatur parere, tamen in conscientia non tenetur exequi pœnam, potestque illam omittere, cavendo scandalum (1). »

Quousque excuset ignorantia legis irritantis,

207. Lex irritans considerari debet quatenus est actum prohibens vel formaliter quatenus est actum invalidans. Si consideretur prout est actum prohibens, ipsi applicandum est principium generale supra expositum (2) et dicendum ignorantiam ab ejus formali violatione excusare vel non, prout fuerit invincibilis vel vincibilis. Si vero consideretur formaliter prout est actum invalidans, videndum est utrum sit irritans directiva an irritans pœnalis, seu utrum irritatio decreta sit directe in bonum communitatis, an directe sit decreta in odium et vindictam criminis. Si lex irritans sit tantum

directivæ

directiva, nulla omnino ignorantia excusat seu efficere potest ut actus sit validus; quia ratio legis sc. bonum commune manet, etiam non existente culpa, et consequenter quamvis ignorantia excusare possit a culpa, irritatio tamen effectum suum in casu habere debet (3). Si autem lex irritans sit pœnalis, ulterius inquirere solent auctores utrum irritatio imposita

et pœnalis.

sit simul in bonum commune et in vindictam criminis an imposita sit unice in vindictam criminis: in primo casu docent applicandum esse principium modo traditum de lege irritante directiva, et dicendum nullam ignorantiam efficere posse ut actus sit validus : exemplum quo res illustrari possit habetur in impedimento criminis; in altero casu juxta Suarez (4), Castropalao (5) aliosque, applicanda sunt principia generalia de lege pœnali; in hac enim ultima hypothesi directe

(1) Suarez, de leg. lib. 5, c. 12, n. 8. (2) N. 201.

(3) Cfr. Suarez, de leg. lib. 5, c. 22, n. 7; Sanchez, de matr. lib. 3, disp. 17, n. 10, ubi hæc doctrina applicatur legi Trid. matrimonium clandestinum irritanti.

(4) De leg. lib. 5, c. 22, n. 3. (5) Tr. 3, disp. 2, pu. 12, n. 7.

et immediate agitur de ignorantia pœnæ, et indirecte solum ac mediate de ignorantia irritationis; unde patrato crimine propter quod irritatio decreta fuit, perinde est sive hæc irritatio cognoscatur antequam ponatur actus alius nullus v. g. matrimonium, sive cognoscatur postquam ille actus jam positus est.

§ II.

DE IMPOTENTIA AD LEGEM OBSERVANDAM.

208. Impotentia duplex distinguitur *absoluta et moralis*. Impotentia absoluta habetur quando nullo modo poni potest opus præscriptum; est autem impotentia absoluta *physica* vel *spiritualis*: impotentia absoluta physica adest si vires omnino desint ad legem implendam; ita v. g. qui vel febribus oppressus æger decumbit in lecto, vel navigat in mari, vel degit in locis infidelium, impotens est impotentia absoluta physica ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam diebus dominicis et festis; impotentia absoluta spiritualis adest quando lex aliqua adimpleri nequit sine peccato; nam, ut ait Suarez «id solum proprie possumus quod licite possumus (1);» hoc autem contingit quotiescumque simul cum illa lege concurrit observanda alia lex superior; porro generatim lex naturalis præferenda est legi positivæ; lex positiva divina præferenda est legi positivæ humanæ; lex positiva humana ecclesiastica præferenda est legi positivæ humanæ civili; in singulis præterea hisce legum speciebus est rursus varius ordo et gradus, nimirum inter leges positivas tum divinas tum humanas aliæ aliis urgentius et strictius obligant. Impotentia moralis habetur quando lex aliqua observari non potest sine periculo detrimenti, incommodi etc.; recte enim definitur impotentia

Variæ species impotentiæ:

absoluta physica,

absoluta spiritualis,

moralis.

(1) In 3 p. disp. 88, s. 6.

moralis, difficultas gravis per accidens conjuncta cum observatione legis. Dicimus imprimis *difficultas gravis;* quænam autem difficultas censeatur gravis, determinari non potest regula generali, sed pendet a natura ipsius legis, et a circumstantiis personarum, locorum et temporum; et quidem quantum ad naturam legis, evidens est eo majorem requiri difficultatem quo majoris momenti est lex de cujus observatione agitur; quantum autem ad varias circumstantias, evidens etiam est difficultatem posse videri gravem alicui v. g. fœminæ, seni, quæ levis tantum sit et appareat alteri, v. g. homini juveni et robusto (1). Diximus deinde *difficultas per accidens conjuncta cum observatione legis;* nam, ut bene notavit Sanchez (2), aliquando difficultas conjungitur per se cum observatione legis, cum scilicet res difficiles directe imponuntur, quod fieri potest quotiescumque id exigit bonum commune tam necessario obtinendum, ut præ illo fine bonum privatum non debeat attendi; omnis enim societas jus habet ad sui conservationem, ac proinde ad ea quæ hæc conservatio requirit; non itaque in hujusmodi hypothesi impotentia moralis reputatur, sed in altera tantum, qua nimirum injungitur res per se non nimis difficilis, sed tamen onerosa propter quasdam circumstantias, ut si cui mors vel aliud damnum immineat ex eo quod v. g. audiat missam.

Ab obligatione legis moralis excusat impotentia physica;

209. Porro leges morales, præcipientes videlicet vel prohibentes, non obligare quando habetur impotentia absoluta physica eas observandi, omnino manifestum est; ad impossibile enim nemo tenetur (3); patet idem dicendum esse de casu quo habeatur impotentia absoluta spiritualis; hinc non obligat v. g. lex ecclesiastica qua jubemur Missam audire, si cum illa concurrat sive lex naturalis, sive lex positiva divina, sive lex humana superior, ut si filius non possit adire Ecclesiam, quin

(1) Cfr. supra, n. 57.
(2) Præc. decal. lib. 1, c. 18, n. 2.
(3) Cfr. supra, n. 44, 52.

solum relinquat patrem gravissime decumbentem. Quod vero pertinet ad impotentiam moralem, duplex principium admittendum videtur. *a) Non potest superior absque gravi causa, exigere observationem legis in iis etiam circumstantiis in quibus hæc observatio foret nimis onerosa, seu non potest sub lege comprehendere casus nimis difficiles; attenta enim humana fragilitate, lex equidem non adimpleretur, et consequenter superior obligationem urgendo non consuleret bono communi, sed præberet ansam multis peccatis.* « Ratio autem (cur leges in hujusmodi casibus non adstringant) est, quia vel in Ecclesia non est tanta potestas ad obligandum cum eo rigore in legibus communibus, vel quia, etiamsi sit, ex suavi tamen ac prudenti providentia non utitur illa, nec ad commune bonum pertinet ut illa utatur (1). » « Generalis autem ratio conclusionis est, quia talis necessitas ostendit non fuisse in legislatore voluntatem obligandi in tali eventu, vel etiam non fuisse potestatem; quacumque autem illarum deficiente, cessat obligatio legis. Ergo etc. Utraque præmissa constat..... quia potestas humana non se extendit ad omnia sine mensura; voluntas etiam prudens non vult obligare quantum potest, sed cum moderatione et benignitate. Obligare autem ad quemcumque actum præcepti, non obstante quacumque accidentali necessitate insurgente, esset supra potestatem legislatoris humani, quia talis obligatio communiter non est necessaria ad commune bonum reipublicæ..... et quamvis aliquando non sit aperte injusta obligatio vel supra potestatem, si sit nimis gravis et dura, censetur esse præter voluntatem legislatoris, quod maxime in divinis legibus positivis observatur, ut communiter doctores interpretantur (2). » Ex dictis patet quomodo metus gravis mali, quamvis non excuset a violatione præcepti

ordinarie etiam impotentia moralis;

(1) Sanchez, l. c. n. 4.
(2) Suarez, de leg. lib. 3, c. 30, n. 6.

directe sc. tollendo voluntarium (1), sæpe excuset indirecte, quatenus nempe in tanto periculo lex obligare cessat, unde in eo casu deest ratio peccati, non quia deest voluntarium ex parte agentis, sed quia deest obligatio ex parte præcepti: quandonam autem hoc obtineat melius intelligetur ex sequenti propositione. *b) Adesse aliquando possunt tales circumstantiæ, in quibus periculum quod ex non observatione legis timetur pro communitate tam magnum sit, ut præ illo negligi omnino debeat detrimentum quod imminet privato ex ejusdem observatione.* Atque hæc est ratio cur sacerdos non possit, etiam ad vitanda gravissima tormenta, revelare ea quæ ex confessione sacramentali cognoscit; huc etiam pertinet casus quo legis non observatio cessura prævideatur « in contemptum vel injuriam religionis, aut grave scandalum pusillorum. Tunc enim bonum commune et religionis præferendum est privato etiam propriæ vitæ. Item, quia tunc transgredi præceptum humanum esset vel deficere in confessione fidei tempore debito vel cooperari ad aliquid intrinsece malum. Exemplum sit, si tyrannus cogat ad comedendam carnem die prohibito in contemptum illius observantiæ ecclesiasticæ: tunc enim consentire illi esset significare se idem sentire et contemnere: imo exterius etiam dissimulare, et non plene resistere ad minimum esset aliis scandalum dare, et ideo nunquam licet juxta illud (2): Satius est fame emori quam idolothytis vesci (utique cum scandalo vel injuria religionis)... et ideo hæc obligatio non solum in ecclesiasticis legibus locum habet, sed etiam in civilibus, quia etiam illæ contemnendæ non sunt..... nec satis erit in hujusmodi casu habere interius intentionem non scandalizandi vel non contemnendi, et exterius agere contra legem ad vitandam mortem; hoc, inquam, non est satis, quia tenemur exterius non contemnere, nec contemnentibus con-

generalis exceptio.

(1) Cfr. supra, n. 59 et sqq. (2) Aug. lib. de bono conjugali. c. 16, n. 18.

sentire vel cooperari, et similiter ad vitandum scandalum, maxime necessarium esse solet actum externum vitare : si autem protestatio aliqua exterior sufficeret ad tollendum scandalum, tunc cessaret illa necessitas (1). »

Impotentia ad totum non ad partem, aliquando penitus excusat, aliquando non.

210. Fieri potest ut aliquis impotens ad totum, partem præstare valeat; ut autem determinetur quænam in hujusmodi casu habeatur obligatio, inspiciendum est, utrum res sit divisibilis, vel non : « rem individuam voco, inquit Sanchez, quæ commode dividi non potest, nec in parte salvatur ratio præcepti; dividuam autem, quando in parte salvatur ratio præcepti; exemplum primi sit in præcepto jejunii unius diei, vel auditionis sacri uno die, respectu unius horæ canonicæ, vel quando quis vovit semel recitare psalmos pœnitentiales..... Exemplum secundi sit in præcepto septem horas canonicas quotidie recitandi..... et in jejunio totius quadragesimæ ; item si quis promitteret integrum circulum virgineum qui tribus partibus in communi æstimatione dividuis constat..... similiter obligatio est dividua abstinendi a cibis prohibitis etiam respectu unius et ejusdem diei ; et abstinendi ab operibus servilibus respectu ejusdem festi ; hujus signum est, nam quoties quis eadem die cibis prohibitis vescitur aut servilia vetita exercet, toties peccat (2). » Cæterum quandonam res sit divisibilis necne, colligi debet ex ejus natura et fine, ex communi judicio prudentum, ex intentione legislatoris etc., regula autem generalis vix assignari potest. Jam vero *a) quando materia est divisibilis, qui non potest servare totum, tenetur ad partem;* quia in ea adhuc servatur ratio legis, videlicet ejus observatio conducere potest ad finem a legislatore intentum obtinendum ; ergo ad illam implendam ipse obligare censetur. Notant autem auctores quod pars illa debeat esse

(1) Suarez, de legibus, lib. 3, c. 30, n. 7.
(2) De præcept. decal. lib. 1, c. 19, n. 4.

certa; nam si clare noveris te non posse, v. g., recitare majorem partem breviarii, dubites autem an aliquas horas recitare valeas, ab observatione hujus præcepti penitus excusaris; quia propter tale dubium non potest dividi obligatio, quin ampla via perplexitatibus et scrupulis pandatur. *b) Quando autem materia est indivisibilis, qui non potest servare totum, etiam non tenetur ad partem*, quia in hac non salvatur ratio legis; ergo non censetur legislator ad eam obligare. Advertere autem oportet quod pars illa quæ servari non potest debeat esse notabilis; secus totum moraliter integrum remaneret, ac proinde haberetur obligatio (1).

Causæ impedientis voluntaria appositio aut non remotio;

211. Celebris et valde intricata est quæstio, an et quousque liceat se ad legem aliquam implendam reddere impotentem, seu voluntarie apponere aut non removere causas adimpletionem legis impedientes. Ad eam autem controversiam accurate solvendam adverti debet appositionem vel non remotionem causæ legis observationem impedientis fieri posse dupliciter, directe scilicet seu eo animo ut lex impleri nequeat, indirecte autem seu non eo præcipue animo ut lex impleri nequeat, sed alio quovis fine, præviso tamen legis servandæ impedimento. Jam vero 1° *nemini licet causam impedientem apponere directe*; ratio est, quia in eo casu habetur fraus et æquivalens legis violatio. 2° *Licitum tamen aliquando esse indirecte apponere vel non removere causam impedientem, omnes theologi docent*, quamvis agnoscant haud facile definiri, quandonam id fieri liceat. « *Non potest universalis tradi regula quæ in particulari et determinate præscribat, quando præcepta obligent sive ad tollenda impedimenta quæ occurrunt, sive ad præcavendum ne occurrant; sed tantum potest universalis regula tradi ex qua in singulis præceptis hæc tollendi impedimenti obligatio deducenda sit* (2). » Porro

aliquando illicita, aliquando licita;

regula generalis,

(1) Cfr. præ ceteris Sanchez l. c.

(2) Sanchez, de præc. decal. lib. 1, c. 15, 4.

hæc regula universalis sequentibus constat. *a) Inspiciendum est utrum agatur de re quæ intrinsece et ex natura sua pertineat ad materiam legis, ita ut unum quid cum ipsa faciat*, et superior non possit unum serio velle quin velit alterum ; in hoc enim casu qui tenetur legem servare tenetur etiam impedimentum non apponere vel appositum removere : « credo omnia illa media quæ per se et intrinsece seu ex natura rei necessaria sunt ad illorum (præceptorum) executionem te obligatum esse apponere, et omnia illa impedimenta quæ per se et ex natura rei obstant, removere (1). » Res clarior fiet exemplis : sic qui tenetur recitare horas canonicas, non potest breviarium projicere in mare, et si projecerit, debet aliud sibi comparare ; qui tenetur missam audire, non potest, tempore quo celebratur, in lecto manere vel ludo occupari etc. Si autem res non sit ita intime connexa cum materia legis, bene poterit superior unum velle, quin censeatur simul velle aliud ; « cum enim horum (præceptorum) obligatio ex voluntate legislatoris procedat, poterit legislator illorum obligationem statuere sub conditione quod liber et expeditus existas, non vero imperare tibi expeditionem (2). » Hinc in eo casu ulterius *b)* « *spectanda sunt vis et rigor præcepti : quædam enim benignius explicantur ac minoribus causis excusantibus indigent, alia autem rigidius, et urgentiores causas desiderant* (3) ; » *nam quo majoris momenti lex est, eo strictius legislator exigit ejus adimpletionem ;* unde v. g. quamvis non peccet contra præceptum audiendi sacrum, horas recitandi vel jejunandi ille qui per potum causat sibi ægritudinem ob quam prævidet se fore impotentem post aliquod tempus ad sacrum audiendum, horas recitandas, ad jejunandum etc., tamen « peccat pastor qui ex intemperantia... causat sibi infir-

regulæ speciales.

(1) Castropalao, tr. 3. disp. 1, pu. 21, n. 3.
(2) Castropalao l. c. n. 2 (3) Sanchez, l. c. 3.

mitatem prævidens etiam post octo dies se fore imparem muneri suo (1). » Supposito autem in præceptis eodem rigore, etiam *c) inspiciendum est utrum impedimentum ponatur plus minusve remote antequam lex sit implenda, an vero eo moraliter tempore quo obligatio jam urget;* multo enim facilius in priori quam in posteriori casu licebit impedimentum apponere; hinc qui ipso die festo ita sese inebriat ut missam audire non possit, peccat non solum contra sobrietatem sed etiam contra legem Ecclesiæ de Missa audienda; pariter ille qui *lege jam urgente* prævidet futurum impedimentum, eam serius implendi, eam observare tenetur tempore quo potest; et sic ille qui die festo non potest circa meridiem ut solet, sacrum audire, debet mane, si possit, missæ interesse; item, incœpto tempore paschali, non potes discedere in locum ubi communicare non valebis quin prius præcepto ecclesiastico satisfeceris; eodem modo sacerdos prævidens fore ut impediatur parvas horas canonicas diei currentis serius persolvere, eas statim recitare tenetur, tempore quo potest. E contra non peccabit qui v. g. circa mediam hebdomadam navim ascendit prævidens fore ut sequenti die dominica sacrum audire non possit. *d) Inspicienda est impedimenti apponendi necessitas, utilitas, honestas;* ex hoc principio determinari debet, an et quandonam liceat v. g. suscipere officium, famulatum etc. in quo aliquis fit impotens ad missam audiendam (2); an et quousque liceat sponte laborem exercere vel opera pietatis suscipere quibus homo fit impotens ad jejunandum, et alia hujusmodi (3). Hic applicanda sunt principia tradenda in tractatu de moralitate, ubi instituetur quæstio et explicabitur, quandonam propter effectum bonum et non obstante effectu malo licitum sit causam ponere ex qua duplex

(1) Reuter, de leg. n. 200. (2) Cfr. Suarez, in 3 p. disp. 88, s. 6.
(3) Cfr. S. Alph. lib. 4, n. 1046 et 1049.

ille effectus sequitur. *c) Distinguendum demum est inter impedimenti appositionem, et impedimenti jam existentis non remotionem*, nam facilius potest quis sine peccato impedimentum non removere quam illud apponere. « His igitur computatis diversimode in singulis præceptis judicandum est, an culpa sit admittere impedimenta ab illis excusantia (1). »

Quousque excuset impotentia in lege pœnali,

212. De impotentia relate ad leges pœnales, sequentia statui possunt. *a) Omnis impotentia quæ efficit ut lex quatenus moralis est non sit servanda, etiam eximit a pœna ;* ubi enim nulla transgressio est, nullumque peccatum, nulla pœna debetur ; e contra per se non eximit a pœna illa impotentia, quæ non sufficit ut lex humana, quatenus est moralis, non sit observanda ; dicimus autem *per se*, quia secus esset si in lege « additum fuisset verbum indicans et postulans liberiorem modum operandi (2). » *b) Controvertitur utrum incurratur pœna propter delictum contra jus naturale vel divinum imposita jure humano, casu talis impotentiæ quæ sufficeret ad excusandum ab observatione quidem legis humanæ, non tamen legis naturalis vel divinæ ;* in hujusmodi adjunctis pœnam non incurri, præsertim si sit censura, docuerunt Suarez (3), De Coninck (4), Bonacina (5), Salmanticenses (6), Viva (7), aliique multi ; ratio eorum est, quia ubi non violatur præceptum ecclesiasticum, non est subeunda pœna præcepto ecclesiastico stabilita, maxime censura quæ contumaciam contra Ecclesiam requirit. Contrariam sententiam defenderunt Sanchez (8), Castropalao (9), cum aliis non paucis ; innituntur

(1) Sanchez, l. c. ; cfr. Suarez, de peccatis, disp. 3, s. 4, n. 10 ; Lacroix, de leg. n. 782-795 ; Voit, n. 235 et sqq. Reuter, n. 196 et sqq.

(2) Suarez, de censuris, disp. 4, s. 3, n. 12.

(3) De censuris, disp. 4, s. 3, n. 14. (4) De censuris, dub. 12.

(5) De censuris, disp. 1, q. 2, pu. 3, n. 2.

(6) De matrimonio, c. 15, pu. 3, n. 27.

(7) De censuris, q. 1, a. 6, n. 9. (8) De matr. lib. 9, disp. 31, n. 4.

(9) De censuris, disp. 1, pu. 8, n. 11.

præsertim textibus juris : « Si quis coactus pro vita redimenda vel pro qualibet causa vel necessitate pejurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat (1); » et rursus : « licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari (2). » Ad argumentum vero adversariorum respondent « nullam esse rationem ob quam in illo casu debeamus affirmare præceptum ecclesiasticum cessare, cum ex illo præcepto non adstringaris ad aliquid peragendum vel omittendum quod secluso eo præcepto paragi vel omitti non deberet (3). » Doctrinæ hoc loco traditæ applicatio fiet tum alibi tum pluries in tractatu de matrimonio (4).

et irritante.

213. Leges irritantes considerari etiam in præsenti possunt vel prout sunt prohibentes vel prout sunt formaliter irritantes; si considerentur sub primo respectu, ipsis applicari debent ea quæ dicta sunt de impotentia relate ad leges morales; si vero considerentur sub altero respectu, dicendum est *nullam generatim impotentiam efficere posse ut istæ leges effectum suum non habeant;* ratio cur ita fuerit a superioribus legitime determinatum, est quia illa universalis et adeo stricta efficacia legum irritantium ex una parte necessaria est ad bonum commune ut plurima damna vitentur, ex altera autem parte, licet in casibus particularibus possit individuis incommodum aliquod et detrimentum afferre, tamen nullam præbet ansam peccatis, siquidem actum moraliter non impedit, sed eum solummodo invalidat. Diximus *generatim*, propter exceptionem quam nonnulli videntur admittere in

(1) Cap. *Si quis coactus*, causa 22, quæst. 5.
(2) Cap. *Sacris*, de his quæ vi metusve causa fiunt.
(3) Cfr. Schmalzgrüber, lib. 5, tit. 39, n. 79.
(4) Cfr. S. Alph. lib. 6, n. 1071; lib. 7, n. 46.

circumstantiis extraordinariis pro legibus ecclesiasticis matrimonium irritantibus (1).

ARTICULUS II.

De causis a lege positiva eximentibus.

Indicatio materiæ.

214. Causæ a lege *eximentes* vocantur, non quæ efficiunt ut aliquis non sit actualiter subditus, qualis esse potest v. g. absentia, sed quæ subditum totaliter subtrahunt dominio legis adhuc existentis et alios obligantis: harum præcipuæ sunt *dispensatio* et *privilegium*, quæ, quamvis in multis vix sint inter se distincta, separatim tamen exponi debent, quia nonnulla habentur privilegio specialia.

§ I.

DE DISPENSATIONE.

Dispensationis notio et distinctio a derogatione. et abrogatione,

215. Dispensatio, de qua in præsenti agitur, est *relaxatio juris in casu particulari*. Dicitur imprimis « *relaxatio*, » sc. remissio, suspensio ; quo vocabulo adsignificatur differentia inter dispensationem proprie dictam et derogationem ac abrogationem ex una parte, interpretationem, permissionem et licentiam ex altera ; nam per *abrogationem* et *derogationem* lex non tantum suspenditur, sed tollitur sive ex toto sive ex parte; per interpretationem vero, permissionem et licentiam, ne suspenditur quidem lex aut aliquid de ipsa remittitur, sed

(1) Cfr. S. Alph. lib. 6, n. 613, 1122; hom. Apost. tr. 16, n. 114; prax. Conf. n. 8 et n. 84 ; Gousset, tom. 2, n. 850.

interpretatione, permissione, licentia, per *interpretationem* declarantur casus qui sub ipsa nunquam fuerunt comprehensi, per *permissionem* solummodo non impeditur legis violatio, per *licentiam* demum lex potius adimpletur ; etenim « ea interdum conditione leges latæ sunt ut omnes comprehendant ac obligent, nisi superior vel alius quispiam facultatem præbuerit aliter agendi, v. g., nemo sine consulis licentia frumentum e civitate efferat : in eo casu consul licentiam dans, non dispensat in lege aut relaxat legem, sed affert conditionem, qua posita, lex non obligat, licet, ea sublata, obligaret. Eodem modo quamvis lex sigilli sacramentalis indispensabilis sit, pœnitens tamen confessario suo licentiam dare non probibetur peccata sua, justa de causa, alteri revelandi ; siquidem hoc in casu non dispensatur in lege sigilli, sed apposita conditione, immutatur objectum legis (1). » Dicitur deinde « *juris* » sive scripti sive consuetudinarii, quo rursus vocabulo adsignificatur differentia inter dispensationem proprie dictam et absolutionem, indulgentiam, et relaxationem aliarum obligationum ; nam per *absolutionem* solvitur, non contra sed secundum jus, vinculum peccati aut censuræ ; per *indulgentiam* remittitur debitum pœnæ ; demum quando *tollitur obligatio voti*, juramenti, contractus, non relaxatur aliqua lex, sed vi potestatis quam superior aliquando habet in voluntates et actus inferiorum, facta abrogantur, quibus sublatis, locus amplius non est obligationi, quippe quæ eadem facta supponat (2). Dicitur denique « *in casu particulari* » qua particula indicatur remanere obligationem legis pro aliis casibus, et simul adsignificatur differentia inter dispensationem, quæ conceditur pro unica vel paucioribus vicibus et *privilegium* contra legem quod est

absolutione,

indulgentia,

relaxatione voti etc.

privilegio.

(1) Laymann, de legib. c. 22. n. 1.

(2) Cfr. Suarez, de leg. lib. 6, c. 12, n. 3 ; de voto, lib. 6, c. 9 ; supra, n. 106.

stabile et permanens. Quibus generatim præmissis jam in sequentibus præcipuas quæstiones generales circa dispensationem singillatim expendemus : est enim materia magni momenti, quæ frequenter applicationem suam habet in decursu theologiæ moralis.

I.

DE AUCTORE DISPENSATIONIS.

Triplex potestas dispensandi,

216. Ex natura dispensationis patet eam concedi non posse nisi ab habente auctoritatem publicam seu jurisdictionem; nam ejusdem est ligare et solvere (1). Sicut ergo ipsa jurisdictio universim, ita potestas dispensandi, quæ pars ejus est, distinguitur in ordinariam et delegatam. Potestas dispensandi ordinaria ea est quæ alicui competit *ex sola vi officii sui*; delegata ea est quæ competit inferiori *ex commissione* illius qui priorem habet; quod si per legem vel ex consuetudine adnexa sit muneri, dicitur quasi ordinaria; secus vocatur pure delegata : est igitur dispensandi potestas triplicis speciei : *pure ordinaria, quasi ordinaria, pure delegata.*

ordinaria,

217. Potestate pure ordinaria quilibet legislator dispensare potest in legibus propriis, prædecessorum et inferiorum; inferior autem potestate pure ordinaria dispensare nequit in legibus superioris. Hinc *a)* Deus dispensare potest in omnibus legibus positivis. *b)* Summus Pontifex (et idem dicendum est de Concilio generali) dispensare potest in quacumque lege ecclesiastica tam universali quam particulari, immo in iis etiam constitutionibus quas constat ab Apostolis fuisse editas, prout erant Ecclesiæ præsides, ut v. g. in præcepto de observantia dominicæ, non vero in legibus divinis, nec in iis con-

(1) Cap. *Inferior*, dist. 21.

stitutionibus quas Apostoli tradiderunt prout erant mandatorum Christi promulgatores. *c)* Concilium provinciale dispensare potest in decretis et statutis concilii provincialis præcedentis, non in legibus generalibus Ecclesiæ. *d)* Episcopus (et idem dicendum est de capitulo cathedrali, sede vacante, et consequenter etiam de vicario capitulari) dispensare potest in omnibus statutis sive intra sive extra synodum editis (1), non in legibus sive totius Ecclesiæ, sive Concilii provincialis, nec in statutis alterius diœcesis; quod valet etiam pro Archiepiscopo relate ad leges episcopi suffraganei extra casum visitationis et appellationis ad ipsum. *e)* Suprema auctoritas civilis dispensare potest in suis legibus civilibus, minime vero in legibus ecclesiasticis.

quasi ordinaria,

218. Potestate quasi ordinaria non videtur Pontifex dispensare posse in legibus divinis (2). Episcopi autem eadem potestate quasi-ordinaria dispensare possunt in legibus generalibus Ecclesiæ, quotiescumque hoc adnexum est ipsorum muneri expressa vel tacita voluntate superioris sc. Summi Pontificis aut Concilii generalis. Et quidem talis facultas muneri episcopali adnectitur expresse, sive explicitis verbis quando legi additur clausula, qua potestas in eadem dispensandi tribuitur nominatim Episcopis (3), sive implicite et æquivalenter quando, lege lata, generatim additur in ea posse dispensari; alias enim formula hujusmodi esset superflua cum per se constet legem illam a Pontifice dispensabilem esse (4). Tacita autem superioris voluntate facultas dispensandi adnexa est muneri episcopali in sequentibus præsertim casibus: *a) quando habetur consuetudo legitime præscripta:*

(1) Suarez, de leg. lib. 6, c. 15, n. 10.
(2) Cfr. Suarez, de leg. lib. 10, c. 6; Wirceburgenses, de leg., n. 77-79.
(3) Cfr. v. g. Conc. Trid. sess. 24, c. 6, de reform.
(4) Suarez, de leg. lib. 6, c. 14, n. 8.

hoc titulo episcopi dispensant in plerisque impedimentis matrimonium impedientibus (1); *b) quando agitur de materia levi aut de re frequentius occurrente;* verosimile enim non est principem exigere ut in hujusmodi negotiis sæpius ad ipsum recurratur : hoc titulo dispensant episcopi in casibus particularibus circa observationem festorum, jejunia etc. ; *c) quando gravis necessitas aut utilitas subito evenit, estque periculum in mora, nec potest Pontifex facile adiri ;* nam tunc bonum animarum exigit ut inferiores habeant ampliores facultates : hoc titulo dispensant episcopi in impedimentis dirimentibus matrimonium sive contractum sive etiam contrahendum dummodo tamen conditiones quædam verificentur (2). *d) Quando summus Pontifex legem fert pro particulari aliqua diœcesi* (3). Cum potestate quasi-ordinaria analogiam habet facultas qua parochi, licet jurisdictionem in foro externo non habentes, ex consuetudine pro privatis personis dispensant in quibusdam materiis frequenter occurrentibus, nempe in jejunio et abstinentia et in operibus servilibus die dominico et festo prohibitis.

delegata ;

219. Potestate pure delegata dispensare possunt illi qui eam a superiore obtinuerunt et obtentam acceptaverunt ; datur autem hæc facultas sive *absolute* pro vita, decennio, anno, etc., sive *ad nutum* aut *beneplacitum* personæ vel dignitatis ; præterea conceditur aliquando *in favorem delegati,* quomodo Episcopis dari solent facultates quas vocant quinquennales, vi quarum dispensare valent in pluribus impedimentis matrimonii (4); aliquando *in favorem certæ causæ vel certæ personæ cui dispensatio prodesse debet ;* in hoc autem posteriori casu adhuc dari potest duplici modo, vide-

(1) Cfr. Ben. XIV, de syn. diœc. lib. 9, c. 2, n. 1.
(2) Cfr. Ben. XIV l. c. ; S. Alph. lib. 6, n. 613.
(3) Cfr. S. Alph. lib. 1, n. 190, contra Suarez, de leg. lib. 6, c. 14, n. 10.
(4) Cfr. Feye, op. cit. n. 522 et sqq.

licet vel *per modum gratiæ factæ*, ut aiunt, quod evenit quando delegato imponitur præceptum dispensandi, si preces veritati nitantur, uti ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus, quo casu delegatus qui actu dispensationem elargitur dicitur eam *fulminare;* vel *per modum gratiæ faciendæ*, quod evenit quando delegato non imponitur præceptum dispensandi, sed concedendæ dispensationis facultas datur, si videatur expedire.

unius ab altera discrepantia.

220. De triplici modo exposita dispensandi facultate quædam generalia adhuc observanda sunt. *a)* Potestas dispensandi tum ordinaria, tum quasi-ordinaria, tum delegata etiam in favorem delegati, est res favorabilis, ac proinde late interpretanda; unde in dubio an se extendat ad hunc vel illum casum, potest judicari quod sese extendat; potestas vero dispensandi delegata in favorem certæ causæ vel personæ est res odiosa sicut ipsa dispensatio, quacum æquiparatur; est enim velut vulnus legi communi inflictum; unde stricte interpretanda est (1). *b)* Potestas dispensandi pure ordinaria delegari potest; item quasi-ordinaria (2); pure vero delegata generatim subdelegari nequit, quia delegatus eam accepit non ut dominus et principalis sed ut minister et executor. Diximus *generatim*, quia faciendæ sunt quædam exceptiones, nimirum si quis esset delegatus a Papa vel a supremo principe; item si esset delegatus ad universalitatem causarum, vel etiam si ipsi expresse concessa fuisset facultas subdelegandi. *c)* Potestas dispensandi ordinaria et quasi-ordinaria magis stabilis est et permanens, delegata autem magis transitoria; nam pure ordinaria a parte rei semper durat; in individuis vero in quibus residet cessat solummodo cum

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 6, c. 17, n. 10; Castropalao, tr. 3, disp. 4, pu. 11, n. 4; Sanchez, lib. 8, de matr. disp. 2, qui tamen n. 6, paulo aliter loquitur.

(2) S. Alph. lib. 1, n. 193.

amissione officii, cui adnexa est; quasi ordinaria a parte rei cessat tantum per dispositionem juris revocatoriam, in individuis autem cessat, sicut ordinaria, per amissionem officii; at delegata cessat sive revocatione legitime intimata a delegante, sive lapsu temporis determinati, sive adimpletione valida actus pro quo data est, sive demum cessatione auctoritatis in delegante, quod tamen ultimum punctum explicatione aliqua indiget; potestas enim dispensandi, concessa in favorem delegati, perit pereunte jurisdictione in delegante, si data fuerit ad nutum vel beneplacitum personæ; secus si data fuerit vel ad tempus determinatum vel ad nutum et beneplacitum dignitatis; potestas dispensandi concessa in favorem certæ personæ per modum gratiæ factæ, probabilius non perit pereunte jurisdictione in delegante, quia « decet concessum a principe beneficium esse mansurum; » potestas dispensandi concessa in favorem certæ personæ per modum gratiæ faciendæ, perit pereunte jurisdictione in delegante, nisi delegatus sua potestate jam uti cœperit vocando v. g. partes ad cognoscendum de precum veritate et ita res non sit amplius integra, vel nisi delegatio a dignitate potius quam a particulari persona delegantis orta videatur, sub tali verborum formula « Sedes Apostolica tibi committit, siquidem Sedes ipsa non moritur sed in successore continuatur. » Controvertitur demum utrum cesset potestas dispensandi in delegato, casu quo subdelegans a quo eam accepit mortuus sit, sed adhuc superstes sit primus delegans ordinarius (1).

(1) Cfr. præ ceteris Sanchez, de matrim. lib. 8, disp. 28; Suarez, de leg. lib. 8, c. 31; Laymann. lib. 1, tr. 4, c. 22, n. 6; Castropalao, tr. 3, disp. 4, pu. 16.

II.

DE SUBJECTO DISPENSATIONIS.

Generatim dispensari potest subditus:

221. Subjectum dispensationis sunt generatim et directe subditi; cum enim dispensatio sit actus jurisdictionis, et superioritatem ex parte dispensantis et subjectionem ex parte dispensati postulat. Dicimus *generatim*, propter exceptiones mox afferendas; dicimus deinde *directe*, quia aliquando superior directe dispensando cum suo subdito, indirecte cum alieno dispensat, si nimirum agatur de re quæ in uno non consistit, sed respectum ad alterum importat. Difficultates autem sunt circa legislatorem, peregrinos, vagos et religiosos.

an ipse legislator.

222. Et quidem quantum ad legislatorem sequentia possunt statui: *a) Si agitur de legibus propriis dispensatio proprie dicta directe locum non habet pro legislatore;* quia legislator non obligatur ex imperio suæ voluntatis, sed ex jure naturali in quo non potest dispensare; neque vero ea opus est: nam posita causa, cessat illa obligatio per se, eo quod desinat illa ratio ob quam se subditis debebat conformare (1). Diximus *directe*; nam indirecte potest legislator secum ipso dispensare, videlicet dispensando pro communitate; hac enim a lege soluta, et ipse superior ab eadem solvitur. *b) Si vero agitur de legibus superioris consentiunt omnes posse legislatorem in casibus in quibus dispensandi facultatem habet pro aliis, et ipsum a lege liberari:* nam non debet esse deterioris conditionis quam sunt subditi. Porro potest legislator secum ipso dispensare mediate vel immediate; mediate quidem tribuendo alteri facultatem ut cum eo dispenset, immediate seipsum dispensando,

(1) Cfr. Lessius, de jure et justitia, lib. 2 c. 35, dub. 5, n. 33; supra n. 157.

prout est superiorem repræsentans : actus enim jurisdictionis gratiosæ non requirunt distinctionem physicam personarum.

peregrini,

223. Major controversia est de peregrinis, non quidem utrum a superiore loci in quo versantur dispensari possint in legibus hujus loci quatenus ipsis adstringuntur, aut in legibus proprii territorii, sed utrum ab isto superiore dispensari valeant in legibus communibus. Non pauci negativam sententiam tenent, alii affirmativam propugnant sive quia, juxta ipsos, peregrini subditi sunt (1) ; sive quia « ad superiorem hujus loci pertinet ut omnes ibi commorantes leges observent ; ergo etiam pertinet causas perpendere quæ petunt dispensationem concedere, ergo et dispensare (2) ; » sive quia præsumi potest consensus proprii eorum ordinarii, quem tamen consensum alii vel minime agnoscunt vel solum admittunt pro legibus quibusdam levioris momenti, et casibus frequentius occurrentibus, puta jejunii, abstinentiæ, observationis festorum etc. Cæterum præsens quæstio valde implicata fuit ex eo quod non fuerit sufficienter distinctum imprimis inter peregrinum et advenam, deinde inter dispensationem in lege et dispensationem in voto (3).

vagi,

224. Certum videtur posse vagos dispensari a superioribus loci in quo hic et nunc versantur : si secus esset, isti neminem, præter S. Pontificem, haberent a quo dispensarentur in communibus quibus ligantur legibus.

religiosi.

225. Demum per se loquendo non potest Episcopus dispensare cum religiosis exemptis nisi, ut patet, in lege episcopali quatenus ea tenentur. Excipi debet casus quo adsit necessitas vel consensus legitimus superioris ordinis aut summi Pontificis, per quem gaudere possunt religiosi exempti dispensatione Episcopi in esu carnium facta fidelibus subditis (4).

(1) Cfr. Pontius, lib. 8, c. 4, n. 7 ; supra n. 169.
(2) Castropalao, tr. 3, disp. 6, pu. 7, § 2, n. 5.
(3) Cfr. S. Alph. lib. 1, n. 158. (4) Reuter, de leg. n. 244.

III.

DE CAUSA DISPENSATIONIS.

Causa requiritur

226. Causa dispensationis dicitur ratio quæ superiorem movet ad gratiam dispensationis concedendam. De qua re graviter monet Concilium Tridentinum (1): « Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere exemploque potius quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas, aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur. » Agemus igitur in præsenti primum de necessitate causæ, deinde de ejus natura in ordine ad dispensationem.

semper ad liceitatem,

227. *Causa justa ad licitam dispensationem exigitur quocumque in casu et quicumque sit ille qui dispensat:* nam si superior absque justa causa aliquos a lege eximeret potius esset dissipator quam dispensator, quia inæqualitatem poneret inter subditos, atque aliquo modo vitium acceptionis personarum committeret; unde ansam ad querelas præberet cæteris qui se viderent adstrictos legi a qua alii essent soluti, absque ullo discriminis fundamento; atqui hæc omnia sunt contra rectam communitatis gubernationem; ergo inique se

(1) Sess. 25, cap. XVIII, de reform.

gerit superior dispensationem in lege concedens absque justa causa. Quod autem pertinet ad gravitatem reatus, distinguere oportet inter legislatorem qui sine causa dispensat in legibus propriis et delegatum qui sine causa dispensat in legibus alterius : in primo casu videtur peccari tantum leviter (1), nisi immineat periculum gravis scandali aut alterius damni extrinseci, puta si ex dispensatione legis quoad aliquos, cæteri plus æquo gravarentur, vel magna turbatio oriretur in communitate vel oriretur despectus legum etc.; in altero casu peccatur graviter vel leviter prout lex a quo dispensatur sub gravi vel sub levi obligat.

non semper ad validitatem dispensationis.

228. *Legislator valide dispensat, etiam absque justa causa in legibus propriis vel prædecessorum vel inferiorum; delegatus autem sine justa causa invalide dispensat in legibus superioris.* Ratio prioris partis est, quia legis obligatio necessario dependet a voluntate legislatoris ; ergo si is unum vel plures e communitate obligari nolit, cessabit obligatio legis eorum respectu. « Ubi nota, licet ad legem ferendam non sufficiat voluntas legislatoris, sed requiratur etiam causa rationabilis communitati utilis, tamen ad eam abolendam ex toto vel ex parte sufficit ita velle legislatorem vel ejus successorem ; nam universim loquendo, ut effectus ponatur requiritur integra causa, ut autem tollatur sufficit partialem causam ex qua intrinsece pendet, deficere (2). » Ratio posterioris partis est, quia si delegatus excedat limites commissæ potestatis nihil efficit ; cum autem Papa v. g. episcopis concedit dispensandi facultatem, non præsumitur dare potestatem temere et inique dispensandi ; ergo si ita dispenset non valet dispensatio. Porro cum legislator in propria lege valide dispensare possit sine causa, poterit etiam valide dispensare sine causæ cognitione

(1) Cfr. Laymann, lib. 1, tr. 4, c. 22, n. 13 ; contra Suarez, de leg. lib. 6, c. 18, n. 9.

(2) Laymann, l. c. n. 13.

an autem sine cognitione causæ valide dispenset delegatus casu quo a parte rei causa revera existat, non universaliter constat; certum videtur validam non esse dispensationem si delegans requisierit causæ examen tanquam conditionem et formam (1); extra hanc hypothesim alii contendunt dispensationem adhuc esse nullam, quia dispensatio facta sine cognitione causæ censetur facta sine causa, quum in tantum causa movere possit in quantum cognoscitur; sed in lege superioris nemo potest valide dispensare sine causa, ergo. Non pauci tamen propugnant validam tunc esse dispensationem quia dispensationis valor non pendet a cognitione causæ sed ab ejus existentia (2). » Quam sententiam S. Alphonsus vocat probabiliorem et communiorem (3).

Hæc causa debet esse justa,

229. Jam vero causa ad dispensationem requisita non debet esse tanta ut per se sufficiens sit ad excusandum vel certo vel sub dubio; « nam si certo constet causam esse talem ut per se excuset, non solum dispensatio vera, sed nec interpretatio prælati necessaria est; si vero sit talis quæ rem faciat dubiam, et dubium non possit per doctrinam vel aliam diligentiam expelli, tunc ad superiorem recurrendum erit, si fieri possit, ut interpretetur potiusquam dispenset, licet interpretatio in illo casu soleat large dispensatio vocari (4). » Ad propriam ergo dispensationem non est necessaria tam rigorosa causa, sed sufficit intermedia, qua nempe posita, pars possit sine acceptione personarum, eximi a generali obligatione.

proportionata legi.

230. Illa autem causa sufficiens necessario erit proportionata cum lege, atque ideo varia pro diversitate legum; gravior videlicet requiretur pro legibus majoris momenti, levior satis

(1) Cfr. Sanchez, de matr. lib. 8, disp. 34, n. 24 et 25; disp. 35, n. 16, ubi notat differentiam inter utramque hanc formulam « si ita est, aut si preces veritate nitantur » et « si post diligentem examinationem repereris ita esse, aut preces veritate niti, dispensa. » (2) Laymann, l. c. n. 12.

(3) Lib. 1. n. 181. (4) Suarez, de legib lib. 6, c. 18, n. 14.

erit pro legibus parvi vel minoris momenti, quæ omnia arbitrio prudentum judicanda sunt. Scite præterea, advertit Suarez, attendendum esse « an ratio legis saltem negative cessaverit in tali persona » ; nam, « si cessat, licet per se non sufficiat ut lex non obliget, nec etiam ut per dispensationem tollatur si nulla alia ratio suppetat, tamen supposita illa cessatione causæ finalis legis in particulari, quælibet ratio adjuncta..... etiamsi nimis gravis non sit, sufficere poterit ad honestandam dispensationem.... Si vero ratio seu finis legis in tali persona non cessavit, major quidem causa necessaria erit, poterit tamen etiam esse intrinseca, ut est debilitas corporis ad jejunandum, etiamsi alias indigeat jejunio ad maceratio-nem etc. (1). »

231. Causa quæ modo explicato sufficit ut superior possit prudenter dispensare, dicitur motiva seu finalis ; quæ autem ad hoc non sufficit, licet vim aliquam habeat, dicitur impulsiva. Definitur ergo causa *finalis* illa quæ superiorem movet ad dispensandum et sine qua dispensatio aut nullatenus, aut nonnisi in alia forma, seu sub quibusdam conditionibus et limitationibus concederetur ; *impulsiva* autem definitur illa qua superior non principaliter movetur ad dispensandum, sed ob quam facilius tantum dispensat, ita ut etiam sine illa in eadem forma dispensationem concederet (2). Dignoscitur vero causa finalis ab impulsiva, tum aliis mediis, tum præsertim ex jure, vel ex stylo curiæ, vel ex consuetudine dispensantis ; et ita sunt in variis materiis causæ de quibus uno vel altero ex prædictis modis constat eas haberi ut finales seu suffi-cientes et motivas.

Causa finalis, impulsiva ;

232. Jam vero sive motiva sit, sive impulsiva tantum, causa dispensationis distinguitur in intrinsecam et extrinse-

(1) Lib. 6, de legib. c. 18, n. 24.
(2) Feye, de imped. et disp. matrim. n. 594.

intrinseca, cam : *intrinseca* dicitur quæ directe opponitur observationi legis, illam reddens nimis onerosam : ita angustia loci est causa quæ difficilem reddit adimpletionem legis ecclesiasticæ prohibentis matrimonia inter consanguineos et affines ; pariter asperitas viarum et distantia difficilem efficiunt adimpletionem legis ecclesiasticæ de Missa die dominica audienda extrinseca; etc.; causa vero *extrinseca* illa est quæ sumitur ex quibusdam circumstantiis legem ipsam seu ejus observationem directe non afficientibus ; aliis verbis, est bonum aliquousque disparatum per non observationem legis in casu particulari obtinendum. Hujusmodi sunt *a)* dignitas ipsius concedentis cui multoties expedit benignum et generosum se ostendere ; *b)* dignitas et merita petentis ; magni enim refert ut superior sibi gratas habeat personas excellentiores ; hoc principium bene explicavit S. Thomas (1) : « Non est acceptio personarum si non serventur æqualia in personis inæqualibus. Unde quando conditio alicujus personæ requirit rationabiliter ut in ea aliquid specialiter observetur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat ; » et rursus (2) : « dispensatio matrimonii contrahendi principaliter fieri consuevit propter fœdus pacis firmandum. Quod quidem magis est necessarium communi utilitati circa personas excellentes. Et ideo cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum (3) ; » *c)* pax inter familias litibus vel inimicitiis divisas obtinenda ; *d)* ipsa etiam compensatio quæ exigitur, prout « in dispensationibus impedimentorum in matrimoniis sufficit pro causa solutio pecuniæ in subsidium Ecclesiæ, ut est praxis (4). » Hæc omnia pulchre explicavit Suarez (5). « Dico dispensare in lege sine causa justa non

(1) 1, 2, q. 97, a. 4, ad 2. (2) 2, 2, q. 63, a. 2, ad 2.
(3) Cfr. Conc. Trid. sess. 24, c. 5 de reform. matrim. et sess. 25, c. 18, de reform. (4) S. Alph. lib. 1, n. 195.
(5) De leg. lib. 6, c. 18, n. 26.

solum esse malum quia prohibitum, sed ex se et ex natura rei ac subinde semper esse malum... ; solum superest unum verbum addere de consuetudine concedendi aliquas dispensationes sine causa. Dici autem imprimis potest concedi quidem sine causa intrinseca, non tamen sine aliqua causa saltem extrinseca considerata ex parte legislatoris ad ostendendam benignitatem suam vel misericordiam in occasione opportuna. Deinde dicitur, licet non antecedat causa, per ipsam dispensationem et modum ejus sæpe consummari ; nam quando datur dispensatio sine causa, imponitur aliqua satisfactio vel mulcta in pium opus, vel in aliam communem Ecclesiæ utilitatem, per quod opus consurgit causa dispensationis, sicut etiam notavit Ledesma... dicens ad justam dispensationem non semper requiri causam intrinsecam, ex parte ejus cui conceditur, sed sufficere extrinsecam, ut eleemosynam aut contributionem aliquam in subsidium belli contra hostes ecclesiæ, vel aliud simile pium opus. »

orta ex

233. Demum si spectetur fundamentum in quo omnes istæ causæ innituntur, possumus, juxta modum loquendi communius receptum apud auctores, illas reducere ad triplicem speciem : *pietatem*, *utilitatem*, *necessitatem :* sic v. g. ratione pietatis dispensatur ab operibus servilibus in festo, qui laboribus incumbit divino cultui pertinentibus ; ratione utilitatis dispensatur a simplici castitatis voto, qui versatur in magno periculo illud violandi ; ratione necessitatis dispensatur a jejunio, qui sine satis gravi incommodo illud servare nequit.

pietate.

utilitate.

necessitate.

IV.

DE PETITIONE DISPENSATIONIS.

Generatim observanda.

234. Dispensatio generatim peti potest ab illo qui ea indiget, sive directe per seipsum, sive indirecte per personam inter-

positam, puta confessarium, parochum, Episcopi officialem. Diximus generatim, quia aliter loquendum est casu quo aliqua via, ad bonum ordinem et expeditam rerum tractationem, a superiore sit determinata. Quacumque autem via procedatur, semper exponatur oportet materia de qua agitur seu objectum dispensationis; allegari etiam debent causæ propter quas dari dispensatio possit; præterea sequendus est modus jure vel consuetudine præscriptus. De his igitur tribus singillatim agemus inquirendo quousque error in eisdem commissus dispensationis valori obstet; prius tamen monere debemus errorem committi sive exprimendo falsum, quo casu habetur *obreptio*, sive tacendo verum, quo casu habetur *subreptio*, quod utrumque contingere potest sive bona fide, sive mala fide per fraudem scilicet et dolum.

Error in materia

235. Relate ad materiam seu objectum dispensationis, distinguendum est illud quod est ipsi intrinsecum ab eo quod est extrinsecum; et rursus in eo quod est intrinsecum distinguendum substantiale ab accidentali. Jam vero *a) error commissus sive bona sive mala fide, per obreptionem vel per subreptionem, si versetur circa qualitatem aut circumstantiam quæ extrinsece se habet ad rem postulatam, dispensationem non reddit invalidam, etiamsi superior, cognita veritate, fortasse non dispensasset.* Quod sic explicat Suarez (1): « in his casibus ignorantia illa vel deceptio non impedit, quominus dispensans hic et nunc velit solvere hoc vinculum ex justa et rationabili causa. Quod autem id non esset voliturus si talem circumstantiam, quæ ad causam non refert, cognosceret, non facit præsentem actum involuntarium, quia illa nolitio sub conditione tantum futura, nihil in præsenti operatur, nec præsens quasi habitualis dispositio, minuit actualem voluntatem, aut ponit aliquam conditionem in objecto ratione cujus

circa qualitatem extrinsecam;

(1) Lib. 6, de voto, c. 27, n. 13.

videri possit involuntarium, quum illa dispositio sit impertinens et extra causam. » « Exempla habes, inquit Layman (1), in eo qui beneficium ecclesiasticum aliamve gratiam postulat, dissimulatis criminibus, quæ si episcopus cognita haberet, non concederet; sicut et pauper qui vita improbus est, non censetur eleemosynam per errorem seu subreptionem obtinuisse, quamvis dans ei non dedisset, si hominis improbitatem agnovisset; in eo qui petit dispensationem super una irregularitate, v. g., ex homicidio casuali, tacita altera irregularitate omnino separata et priorem per se non aggravante puta ex natalium defectu, sicut docet Suarez (2); in eo qui petit dispensationem super voto continentiæ, eaque impetrata aliam dispensationem super impedimento matrimonii ad ducendam consanguineam vel affinem, sicuti docet Sanchez (3), Suarez (4); in eo qui impetravit dispensationem de contrahendo matrimonio cum consanguinea, eaque ducta ac mortua, aliam consanguineam ducere postulat, nulla facta mentione prioris dispensationis sicut docet Suarez (5), Sanchez (6). » *b) Error commissus, sive bona sive mala fide, sive per obreptionem, sive per subreptionem, si versetur circa rem in qua dispensatur, ipsam substantialiter afficiens, ita ut superior ignoret qualitatem et quantitatem gratiæ quam facit aut vinculi quod tollit, dispensationem reddit invalidam.* Ratio est evidens; nihil enim consensui magis contrarium est quam hujusmodi error, siquidem propter illum voluntas superioris non circa objectum propositum sed circa aliud versata est. *c) Dispensationem invalidam non reddit error bona fide commissus per obreptionem vel subreptionem, si versetur quidem circa rem ipsam in qua dispensatur, sed eam tantum accidentaliter*

circa qualitatem intrinsecam substantialem;

circa qualitatem intrinsecam accidentalem.

(1) Lib. 1. tract. 4, cap. 22, n. 21. (2) De legib. lib. 6, c. 24, n. 10.
(3) Lib. 8, de matr. disp. 23, n. 4. Cfr. S. Alph. lib. 6 n. 1139.
(4) De legib. lib. 6, c. 24, n. 5. (5) De legib., lib. 6, c. 23, n. 19.
(6) De matr. lib. 8, disp. 22, n. 13.

afficiat, ita ut superior, cognita veritate, adhuc dispensasset, licet fortasse difficilius. Rationem dat Suarez (1): « quia nullo jure humano hoc invenitur statutum, nec etiam ex natura rei sequitur; quia talis simulatio vel dissimulatio non causat in eo casu involuntarium simpliciter, quandoquidem de facto et de præsenti, prælatus vult dispensare, et cum effectu esset voliturus, etiamsi alio modo clariori aut puriori veritas proponeretur: quod autem tunc esset difficilius voliturus, est accidentarius defectus et insufficiens ad dispensationem annullandam. » *Difficultas aliqua habetur pro casu quo hujusmodi error commissus fuisset mala fide;* non pauci affirmant etiam tunc validam esse dispensationem; melius tamen negandum videtur, propter generalem regulam ab Innocentio III traditam (2).

236. Quod pertinet ad causam dispensationis, videndum est

(1) De voto, lib. 6, c. 27, n. 11.

(2) Cap. *super literis* 20 de rescriptis: « super literis quæ ab aliquibus ex malitia, et a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate vel suggesta falsitate impetrantur a Nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis adserentibus eos debere prorsus carere omni commodo literarum, cum mendax precator carere debeat penitus impetratis: aliis vero dicentibus quod, etsi forma carere debeant in literis nostris expressa, nihilominus juxta rigorem juris sit a delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui *per fraudem vel malitiam*, et illos, qui *per simplicitatem vel ignorantiam* literas a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam: ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversionis pœnam, nullum ex illis literis commodum consequuntur; ita videlicet quod delegatus, postquam sibi super hoc facta fuerit fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo literas impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas, suggesta fuerit, vel quæ veritas fuerit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, Nos nihilominus saltem in forma communi literas dedissemus, delegatus non sequens formam juris in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat. Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa, Nos nullas prorsus literas dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum. »

utrum ea sit finalis an impulsiva tantum, simulque utrum bona fide allegata fuerit, an per fraudem et dolum. Itaque *a) si falso allegata fuerit, mala vel etiam bona fide, unica causa finalis sive in se consistens sive ex pluribus coalescens, dispensatio est generatim invalida.* Ratio est, quia ubi deest causa voluntatem ad aliquid inducens, deesse oportet voluntatis effectus. Dicimus *generatim*, quia in casu quo allegata est bona fide causa finalis falsa, valebit dispensatio, si superior dispensaverit propter aliam causam a se notam quamvis a petente non propositam, et huc pertinent ea quæ mox dicentur de concessione motu proprio ; dein quia multi exceptionem faciunt pro casu quo aliquis jam usus fuerit dispensatione bona fide obtenta et vi ejus positus fuerit actus alias invalidus, v. g., matrimonium celebratum. *b) Si plures causæ bona fide allegatæ fuerint, quarum una finalis vera est, aliæ vero finales vel impulsivæ falsæ sunt, dispensatio est certo invalida quando, ex collatione rescripti cum postulatione, vel aliunde apparet, superiorem motum fuisse præcise per unam ex causis falsis ; certo autem valida est quando e contra apparet superiorem motum fuisse præcise per causam veram, quod verificatur quotiescumque causa falso allegata est tantum impulsiva ; quando vero non apparet per quam causam finalem, veram an falsam, superior motus fuerit, adhuc censetur dispensatio valida, saltem probabilius.* Hæc propositio tres complectitur partes : prima et altera probatione non indigent ; ratio tertiæ est « quia quando plura copulative concurrunt quæ de jure non sunt necessaria resolvitur copulativa in disjunctivam (1). Sed in præsenti una et alia causa proponitur, cum de jure una tantum sufficiat, ergo in sensu disjunctivo est accipienda talis propositio (2). »

Error in causa.

(1) Cap. *Dudum* de præbendis in 6.

(2) Salmanticenses, tr. 9, de matr. c. 14, p. 3, n. 36. Cfr. Sanchez, de

c) Si simul cum causa finali vera, allegatæ sint mala fide aliæ causæ falsæ sive finales sive impulsivæ, dispensatio videtur invalida, juxta generalem Innocentii III declarationem (1), hanc tamen declarationem in alium sensum explicare conatur Sanchez (2) quem multi auctores secuti sunt. *d)* Demum *causa non videtur debere jam existere quando mittuntur preces, sed juxta omnes verificetur necesse est quando dispensatio conceditur ;* disputant autem auctores utrum oporteat illam adesse quando datur commissio ad dispensandum in aliquo casu : at hæc quæstio directe non est de validitate dispensationis, sed de validitate delegationis.

Error in stylo curiæ.

237. Tandem *in iis quæ jure, stylo curiæ, vel consuetudine ad validitatem exprimenda sunt, error sive bona sive mala fide commissus dispensationem reddit invalidam, etiamsi constet superiorem alias similiter illam fuisse concessurum.* Agitur enim quasi de forma requisita ad valorem actus, qua non observata, iste corruit (3). Bene autem advertit Sanchez (4) duplici modo fieri posse ut jura exigant expressionem alicujus qualitatis vel circumstantiæ, nimirum expressis verbis vel prohibendo ne dispensetur in quapiam materia, aut vetando ne quædam crimina, v. g., plus quam semel condonentur (5). Quæ autem sint illa quæ de jure, stylo curiæ vel consuetudine declarari debeant explicatur in variis locis, ubi de varia dispensationis materia, præsertim vero in tractatu de matrimonio (6).

238. Quamvis igitur in petitione dispensationis nec reticeri verum possit, nec exprimi falsum « advertere tamen oportet

matrim. lib. 8, disp. 21, n. 43 ; Suarez, de voto, lib. 6, c. 27, n. 10. S. Alph. lib. 1, n. 185. (1) C. 20, de resc. supr. cit.

(2) Lib. 8, de matr. disp. 21, n. 74.

(3) Cfr. Laymann, lib. 1, tr. 4, c. 22, n. 18.

(4) De matr. lib. 8, c. 21. n. 15. (5) Cfr. Conc. Trid. sess. 24, c. 5.

(6) Cfr. Feye, de impedim. et dispens. matrim. n. 672 et sqq.

quod si petens dubius de existentia causæ, rem totam, ut est, exponat superiori, manere possit tutus in conscientia casu quo superior dispenset, quia ad petentem solum pertinet veritatem propalare et se judicio superioris submittere. (1) »

Dispensatio metu extorta.

239. Si petitioni adjungantur minæ, injuria quidem fit superiori, peccatumque generatim committitur, sed exinde dispensatio non videtur invalida: non quidem invalida est jure naturæ, nam etiam in casu metus gravis adesse possunt tria ad validitatem dispensationis requisita, causa sc., potestas et voluntas; neque invalida est jure positivo, nam nulla lex hujusmodi ostendi potest relate ad dispensationem, quum tamen specialis aliqua dispositio existat pro absolutione a censuris (2).

V.

DE CONCESSIONE DISPENSATIONIS.

Variæ dispensationis species:

240. Dispensationis concessio fit motu proprio vel ad instantiam, expresse vel tacite, simpliciter vel cum aliqua compensatione, conditionate vel absolute: de quibus diversis modis concedendi dispensationem nonnulla in sequentibus dicenda sunt.

motu proprio,

241. Concessio dispensationis fit *motu proprio*, quando superior ad dispensationem dandam a seipso movetur propria sponte et liberalitate, ita ut vel nulla præcedat petitio, vel saltem, si præcedat, hæc non sit adæquata causa gratiæ obtentæ. Dicitur autem concessio dispensationis fieri *ad instantiam*, quando superior ad dispensationem dandam movetur supplicatione vel ipsius dispensati vel tertiæ alicujus personæ pro illo, sive hæc

ad instantiam;

(1) Cfr. Laymann, l. c. n. 12.
(2) Cfr. Suarez, lib. 6, de legib. c. 21 n. 5; lib. 6, de voto c. 27, n. 27.

tertia persona acceperit mandatum postulandi, sive tale mandatum non acceperit. Est autem inter duplicem hunc modum concedendi dispensationem maxima differentia : nam prior magis habet rationem meri beneficii, ideoque plures ei favores agnoscuntur; et quidem, licet dispensatio semper invalida censeatur, si in rescripto principis falsa causa finalis allegetur, tamen quando nulla omnino præcessit petitio, valida habetur dispensatio motu proprio concessa, etiamsi in eodem rescripto superioris circumstantia aliqua vera et alias necessario exprimenda taceatur ; an autem valida etiam habeatur dispensatio motu proprio concessa, quando aliqua petitio præcessit, etiamsi in hac petitione error substantialis commissus fuerit, valde controversum est inter auctores (1). Est autem præterea advertendum dispensationem, quando conceditur motu omnino proprio vel ad instantiam tertiæ personæ sine mandato, effectum non sortiri antequam dispensato innotescat et ab ipso acceptetur : « est enim quædam donatio quæ per acceptationem completur ; et licet tibi invito et renuenti concedi possit, hoc tamen nunquam debet præsumi, nisi id manifeste constet, ne gratiæ principis vilipendantur. Quapropter semper trahit secum imbibitam conditionem, si tibi placita sit et grata existat (2). »

libera, obligatoria ;

242. Concessio dispensationis dicitur *libera* quæ nullo titulo debita est, *obligatoria* vero quæ aliquo titulo est debita. Debita autem esse potest vel *a) ex dispositione juris*, quotiescumque scilicet « assignando aliquam causam dispensationis, jus utitur verbis præceptivis, ordinando ut existente tali causa concedatur dispensatio, quod maxime fieri solet in dispensationibus circa pœnas post condignam satisfactionem (3) ; » vel, *b) ex præcepto hominis*, « ut in dispensationibus quas concedit

(1) Cfr. Suarez, lib. 8, de leg. c. 12, n. 14, sqq.; Castropalao, tr. 3. disp. 4. pu. 2, § 6.

(2) Castropalao, tr. 3, disp. 6, pu. 11. n. 3.

(3) Suarez, lib. 6 de legib. c. 18, n. 21.

pontifex remittens causas ordinariis, vel discreto confessori, mandans ut dispensent, si preces veritate nitantur (1); » vel *c) ex natura rei*, quando « est necessaria ad commune bonum, vel vitandum publicum scandalum, vel quid simile; (2) » vel *d) ex officio* « ac subinde ex *justitia*, ubi fuerit necessaria ad spirituale bonum postulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ; ratio est, quia prælatus ex officio tenetur providere in his casibus saluti subditi...; licet autem causa non inducat debitum justitiæ potest inducere debitum *charitatis* et misericordiæ, aliquando enim dispensare est opus misericordiæ... at opus misericordiæ interdum est debitum, quando proximus graviter indiget et potest illi sine dispendio concedi (3). » Quod si denegetur dispensatio etiam debita, manet legis vinculum, quia hoc vinculum tolli solummodo potest per causam excusantem vel per voluntatem superioris: in supposito autem nostro utrumque desideratur (4).

243. Concessio dispensationis dicitur *expressa*, quæ fit propriis et apertis verbis aliisve signis æquivalentibus. Licet autem ad hujusmodi dispensationem verba generatim requirantur, nulla tamen sunt determinata ex natura rei vel in jure; ac subinde illa sufficiunt quæ juxta communem usum satis indicare valeant, tum dispensantis voluntatem, tum effectum dispensationis. Neque necessaria est scriptura, nisi ad probationem in foro externo vel etiam ad usum in conscientia, quoties jus illud exigat (5). *Tacita* dicitur concessio dispensationis, quæ non verbis aliisve signis exprimitur, sed ex factis colligitur quæ non possunt explicari, nisi dispensatione supposita. Hoc autem contingere potest duplici modo: primo « *per scientiam et patientiam prælati rationabilem* (ut aliqui loquuntur). expressa. tacita:

(1) Ibid. (2) Ibid n. 22. (3) Ibid.
(4) Suarez, de leg. lib 6, c. 18, n. 23.
(5) Cfr. Concilium Trid. sess. 25, c. 5.

Hic modus contingit quando, prælato vidente, subditus contra legem operatur, v.g., matrimonium contrahit impedimentum habens, vel quid simile, et superior non impedit nec contradicit, cum facile posset, sed tolerat; tunc enim consentire præsumitur dispensando. Ratio est, quia præsumitur id permittere sine peccato suo et subditi quoad fieri potest; at si non taceret ex voluntate dispensandi, et subditus peccaret, ut constat, et ipse etiam peccaret contra officium suum, cum teneatur subditum corripere et impedire ne frangat legem; ergo illud est sufficiens signum tacitæ dispensationis (1). Advertere autem oportet quod difficile locus esse possit huic dispensationi pro foro interno, cum subdito vix constare possit de omnibus requisitis, utrum v. g., superior rem sufficienter cognoscat, utrum non taceat ex timore alicujus mali, ex pusillanimitate etc.; difficilius adhuc pro foro externo, cum eadem vix probari valeant (2). Secundo *quando superior ex certa scientia aliquid præcipit vel concedit subdito, quod sine dispensatione fieri aut valere non potest;* ut si pontifex det beneficium alicui quem scit esse irregularem, vel si præcipiat comedere carnes die prohibito..... Ratio est, quia princeps non præcipit repugnantia; nec præsumitur præcipere iniquitatem, vel facere actum invalidum; ergo intelligitur concedendo aut præcipiendo tollere impedimentum (3). » A dispensatione tacita differt dispensatio *præsumpta*, seu potius *præsumptio de futura dispensatione;* hæc habetur quando superior nihil scit de actu subditi, sed tantum creditur, « quod postea sit consensurus quum sciverit, et quod si nunc consuli posset, dispensaret (4). » Jam vero talis præsumptio non sufficit ad propriam dispensationem, quia « quamdiu obligatio legis per se non cessat ratione occurrentis necessitatis, durat donec per

(1) Suarez de leg., l. 6, c. 13, n. 17.
(2) Vide Suarez, l. c. n. 17-22.
(3) Suarez, l. c. n. 23.
(4) Suarez, l. c. n. 19.

voluntatem superioris auferatur; per voluntatem autem præsumptam in futurum, non aufertur de præsenti obligatio; ergo non satis est ad operandum contra legem (1); » quare autem valere aliquando possit *licentia præsumpta* cum non valeat *præsumpta dispensatio*, bene etiam explicatur. « Unde in hoc invenio differentiam inter simplicem facultatem et propriam dispensationem, quod in illa sufficit interdum voluntas præsumpta ad licite operandum, quomodo dicunt communiter auctores non agere contra paupertatem religiosum dantem aliquid ex voluntate præsumpta superioris, quando non potest facile obtinere expressam, quod tamen in dispensatione non admittimus: et ratio differentiæ est, quia ibi actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut non fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam ex communi usu et prudenti ratione. Hic autem actio supponitur absolute prohibita, et ob eam rationem mala, et ideo de præsenti necessaria est aliqua voluntas quæ prohibitionem et consequenter malitiam auferat (2). »

simpliciter concessa,

244. Dispensationis concessio fit *simpliciter*, quando loco vinculi quod relaxatur nullum onus personale vel pecuniarium imponitur; quando autem hujusmodi onus imponitur dispensatio dicitur concedi *cum aliqua compensatione*. Jam vero quivis legislator dispensando in legibus propriis vel inferiorum potest admiscere compensationem, v. g., pium opus, eleemosynam etc.: patet tum ex natura rei, quia sc. superior est dominus, tum ex praxi curiæ Romanæ, ubi frequenter dispensatur in legibus canonicis imperata aliqua mulcta (3). An autem

cum aliqua compensatione;

(1) l. c. n. 20. (2) Ibid.

(3) Cfr. Breve Pii VII, ad Episcopos Galliæ die 28 feb. 1809. « Mulctæ illæ ad resarciendum aliquo modo vulnus, quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur; et ad matrimonia inter personas, consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas, rariora ac difficiliora reddenda, juste salubriterque ab Ecclesia constitutæ sunt. »

delegatus dispensans in legibus superioris possit, quando aliunde habetur causa legitima, compensationem aliquam imponere, controversum est inter doctores, quum alii generatim negent (1); alii distinguant inter leges per quas subditi obligantur ad aliqua onera, v. g., jejunium, in quibus admittunt dispensationem cum compensatione et leges quæ non feruntur per se ad imponenda onera subditis, sed propter alios fines justos pertinentes ad commune bonum, propter servandum debitum ordinem, vel vitanda aliqua incommoda, cujusmodi est lex præcipiens publicationem bannorum, in quibus compensationem non admittunt, nisi fiat in aliquid quod ad finem per legem intentum conferat (2); alii demum generaliter affirment, cui postremæ sententiæ favere videtur praxis sat recepta prælatorum. Porro omissio operis in compensationem imposit:, licet peccaminosa, non nocet tamen validitati dispensationis, nisi opus illud injunctum fuerit non tanquam *simplex modus*, sed tanquam *vera conditio*, quod contingere solet quando adimpleri debet ante dispensationis usum (3).

absoluta, conditionata.

VI.

DE EFFECTU ET USU DISPENSATIONIS.

Diversi dispensationis effectus

245. Quot sunt effectus legis, tot sunt in contrarium effectus dispensationis, siquidem dispensatio est legis relaxatio; quum igitur lex præcipiat aut prohibeat, puniat, atque irritet, poterit dispensatione relaxari, tum quoad vim præcipiendi ac

(1) Cfr. Sanchez, de matr. lib. 3, disp. 10, n. 8, lib. 8; disp. 14, n. 2; Castropalao, tr. 3, disp. 6, pu. 9, n. 3.

(2) Suarez, de leg. lib. 6, c. 16. n. 3-6.

(3) Cfr. Castropalao, tr. 3, disp. 4, pu. 2, § 7; Suarez, de leg. lib. 8, c. 13, n. 4.

prohibendi, tum quoad vim puniendi, tum quoad vim irritandi. Et quidem lex moralis dispensatione relaxari potest vel *totaliter*, quoad omnia illa quæ præcipit aut prohibet, vel *partialiter*, quoad unum scilicet, non quoad aliud; lex vero mixta relaxari potest quoad vim coactivam, remanente ejus vi directiva, vel vicissim quoad vim directivam, remanente vi coactiva, ita ut e mixta evadat in primo casu pure moralis, in altero autem pure pœnalis: similiter lex irritans prohibens relaxari potest quoad vim directivam remanente ejus vi invalidante, vel vicissim quoad vim invalidantem remanente vi directiva.

pro foro externo, vel tantum interno.

246. Datur aliquando dispensatio, ita ut valeat *in foro externo*, aliquando ita ut valeat *in solo foro interno;* « hæc autem duo membra ita sunt intelligenda ut se habeant tanquam includens et inclusum, non tanquam mutuo se excludentia. Nam privilegium (et idem omnino dici debet de dispensatione) pro interno foro exclusive sumitur, id est, pro illo quod in conscientia habet effectum, in foro autem exteriori nihil operatur : aliud vero quod in foro exteriori valere dicitur, accumulative (ut sic dicam) accipiendum est, seu non ad excludendum forum internum, sed ita ut sensus sit non tantum in interno, sed etiam in externo operari. Nam in hac materia, privilegium, quod in foro exteriori valet, etiam in interiori operatur, quia non in præsumptione fundatur hic valor, sed in veritate. Ut autem utrumque membrum melius intelligatur, oportet advertere, duobus modis posse contingere ut privilegium valeat in foro interiori et non in exteriori, sc. per se et per accidens. Per se appello, quando ex intentione dantis cum illa limitatione datur, quæ debet ex verbis privilegii constare; alioquin privilegium simpliciter concessum in utroque foro valere censendum est, nisi ex subjecta materia vel circumstantiis, adjuncto usu, aliud sufficienter constet. Per accidens autem contingere dico privilegium non valere in

foro exteriori, quia ex solo defectu probationis vel instrumenti non admittitur; hoc enim accidentarium est et extrinsecum... et ideo non variat qualitatem privilegii secundum se, ideoque divisio proprie intelligitur de privilegio per se limitato ad forum internum (1). »

Dispensationis usus.

247. Dispensatione obtenta unusquisque uti potest statim ac eam cognoverit, nemo tamen illa uti tenetur, nisi non usus cederet in damnum tertii aut communitatis, vel nisi superior usum legitime præcepisset. Ubinam autem eadem uti liceat, pendet ex circumstantiis: nam si dispensatio concessa fuerit pro determinato aliquo loco, non licet extra dictum locum ea uti; si autem concessa fuerit indeterminate sine restrictione ad aliquem locum, generatim ea uti licet in toto territorio dispensantis; quod si concessa fuerit ab inferiore, v. g. Episcopo, in lege communi, videndum est utrum per illam dispensationem sublata sit aliqua inhabilitas, an vero suspensa aliqua lex quæ de se semper obligat. Si sublata sit aliqua inhabilitas, dispensatione uti licet in quocumque loco; unde « dispensatus etiam in irregularitate occulta a suo Episcopo, licite ministrat ubique.... ratio est facilis, quia per dispensationem sublatum fuit a persona impedimentum et ideo pro quocumque loco libera manet. Unde videri potest non esse illum proprie usum privilegii in alieno territorio, quia privilegium seu dispensatio semel habuit effectum, et postea libera persona manet, et privilegium jam non operatur nisi ut causa per accidens et remota, quæ abstulit impedimentum. Sicut absolutus a censura ubique licite communicat vel ministrat, non quia absolutio ibi operetur sed quia abstulit impedimentum. Nihilominus tamen respectu radicis impedimenti quæ manet, potest non incongrue dici, tunc aliquem uti semper et ubique tali privilegio, quia v. g. vitium manet

(1) Suarez, de leg. lib. 8, c. 6, n. 11.

et nihilominus non impedit ratione privilegii. » Si vero per dispensationem suspensa fuerit lex quæ de se semper obligat, qua v. g. prohibetur ne quidam libri legantur, ulterius examinandum est, an illa dispensatio concessa fuerit directe alicui communitati, an vero directe concessa fuerit singulari personæ : in primo casu non licet ea uti extra territorium dispensantis, in altero casu per se ea uti licere videtur in quocumque loco (1).

VII.

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

Diversæ cessationis causæ

248. Dispensatio semel obtenta triplici ex capite cessare potest, scilicet ex parte superioris qui eam dedit, ex parte subditi qui eam accepit, ex parte causæ propter quam concessa fuit.

ex parte dispensantis,

249. Ex parte dispensantis cessat dispensatio non quidem per ejus mortem, nisi concessa fuerit ad arbitrium suæ voluntatis » vel « donec placuerit, » sed per *revocationem* ab ipso factam ; porro superior qui dispensationem concessit in propriis legibus, eam sine justa causa valide quidem, non tamen licite revocare potest ; inferior autem qui dispensationem concessit in legibus superioris, eam sine justa causa nec valide, nec licite revocare potest.

ex parte dispensati,

250. Ex parte vero dispensati cessat dispensatio per *renuntiationem ;* hæc renuntiatio unicuique licita est, nisi aliud obstet, ut si, v. g., dispensatio concessa fuisset in favorem tertii vel communitatis ; potest autem renuntiatio esse expressa vel tacita ; tacitæ tamen renuntiationis per se signum non est vel ejus non usus vel etiam usus contrarius ; demum

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib 8, c. 26.

ut sit consummata, debet acceptari a superiore a cujus voluntate pendet ut vinculum legis perseveret vel non.

ex parte causæ.

251. Ex parte causæ finalis propter quam concessa est, cessare potest dispensatio per *totalem ejus desitionem*. Ut autem intelligatur, quandonam id contingat, adverti debet causam illam cessare vel ante omnem dispensationis usum, vel usu jam inchoato, vel post usum completum et consummatum. Jam vero *a)* si causa finalis totaliter cesset ante omnem dispensationis usum, consentiunt fere omnes ipsam dispensationem cessare, quando per illam remissa est obligatio divisibilis et tractum successivum habens, v. g., recitandi horas canonicas, jejunandi per quadragesimam ; hujusmodi enim dispensatio conceditur sub conditione causæ perseverantis, ut bene explicat Suarez (1) : « lex jejunii quadragesimalis, licet per modum unius concipiatur, revera virtute est multiplex, et singulis diebus quasi novam obligationem imponit ; et ideo dispensatio in illa lege non fit absolute tota simul, et virtute est multiplex dispensatio, et pro singulis diebus veluti singulæ dispensationes conceduntur, et unaquæque propriam causam pro suo tempore seu die requirit. Atque ita, quamvis in eo casu videatur dari simul pro tota quadragesima, non ita datur ut statim auferat totum vinculum legis pro tota quadragesima, sed ut successive illud auferat, prout successive obligaverit, si eadem ratio perseveret. Neque in illa materia potest aliter considerari causa justificans dispensationem, nisi ut habens tractum successivum cum ipsa lege et ideo in talibus dispensationibus regulariter solet explicari illa conditio ; quod si interdum non exprimatur, ideo est quia vel duratio causæ tanquam moraliter certa supponitur, vel quia ex qualitate materiæ tanquam nota relinquitur. Et idem est in similibus præceptis habentibus tractum successivum. »

(1) De leg. lib. 6, c. 20, n. 18.

Utrum vero etiam cesset dispensatio, cessante ejus causa, quando per illam sublata est aliqua inhabilitas, ita ut indivisibilem effectum habeat et tota simul concedatur, controvertitur inter doctores ; non pauci stant pro cessatione, quia etiam in eo casu superior censetur dispensationem concedere non absolute sed conditionate, si nimirum causa existat quando actus poni debet (1) ; unde, juxta ipsos, si quis ob paupertatem, irregularitatis dispensationem obtinuisset, cessaret dispensatio illa, casu quo dispensatus ante susceptum primum ordinem fieret dives ; pariter si quis, prolis legitimandæ causa dispensationem impedimenti obtinuisset ad matrimonium contrahendum, cessaret illa dispensatio casu quo proles moreretur ante contractum matrimonium. Hæc tamen alii rejiciunt « quia non est verisimile solum fuisse sublatam (sc. irregularitatem), quasi sub conditione, si causa illa duraret usque ad ordinum susceptionem. Talis enim restrictio ex forma dispensationis colligi non potest : nam absolute conceditur, neque est necessaria ad justitiam dispensationis, quia non tenetur dispensans prævenire effectus contingentes et accidentarios ; sed satis est quod eo tempore quo fit dispensatio habeat justam causam. Nam dispensator legis, sicut et legislator non tenetur considerare rarum et contingentem eventum, sed ea quæ in plurimum accidunt ; et ideo restrictio est nimis dura et scrupulosa : ergo admittenda non est (2). » *b)* Si causa finalis totaliter cesset, usu dispensationis jam inchoato, consentiunt omnes dispensationem ipsam non cessare quando inter partes effectus separatio fieri nequit sine incommodo ; secus enim ex dispensatione gravia mala oriri possent. « Quod exemplis explicatur. Si enim is, qui virtute dispensationis in voto castitatis ex justa causa obtentæ iniit matrimonium, teneretur postea.

(1) Sanchez, de matr. lib. 8, disp. 30, n. 11 et sqq. Bonacina, de leg. disp. 1, q. 2, pu. 10, § 1, n. 5.

(2) Suarez, de legib. lib. 6, c. 20, n. 15.

cessante causa, servare votum in quantum potest, nempe non petendo debitum, vel deberet discedere ab uxore cum magno illius ac filiorum detrimento et aliorum scandalo; vel si in matrimonio permaneret, esset cum magno animæ periculo. Similiter si irregularis ex justa dispensatione ad omnes ordines obtenta recepit subdiaconatum, si cessante tunc causa dispensationis, ea cessaret, nec posset ille ad ulteriores ordines ascendere, cogeretur ad rem valde difficilem, cum jam ligatus sit, nec retrocedere valeat, alio statu assumpto. » Quando vero inter partes effectus separatio fieri potest absque incommodo, alii generatim affirmant dispensationem cessare, cessante totaliter ejus causa finali, alii distinguunt, ut supra, casum quo per dispensationem remissa fuerit obligatio tractum successivum habens, a casu quo per dispensationem sublata fuerit aliqua inhabilitas. *c)* Si causa finalis totaliter cesset post dispensationis usum perfectum et consummatum, certum est ipsam non cessare, nec amitti posse quocumque modo. « Utrumque potest facile probari inductione : quia si dispensatio data est in gradu consanguinitatis ad contrahendum matrimonium et matrimonium jam est contractum, clarum est non posse cessare.... dispensationem, et idem est in dispensatione circa jejunia vel similes actus.... Et facilis est ratio assertionis, quia si dispensatio jam habuit consummatum effectum, ille non potest esse non licite factus, vel valide juxta exigentiam dispensationis, quia ad præteritum non est potentia (1). »

§ II.

DE PRIVILEGIO.

Notio privilegii.

252. Privilegium definiri potest « *facultas specialis et constans a principe concessa in favorem unius vel plurium.* »

(1) Suarez, l. c. n. 2.

Dicitur *a)* « *facultas* » scilicet aliquid agendi vel omittendi, conferendi vel recipiendi. Dicitur *b)* « *Specialis*, » qua nimirum aliquid obtinetur quod non habetur jure communi : secus privilegium foret plane inutile ; « neque enim privilegia aliquibus concederentur, si præter generalem legem, nulli aliquid speciale indulgeretur (1). » Dicitur *c)* « *Constans*, » nam licet privilegium non debeat esse omnino perpetuum, de ejus tamen ratione est ut habeat aliquam stabilitatem et detur ad plures actus (2). Dicitur *d)* « *a principe concessa*, » solus enim legislator potest privilegium concedere sive immediate, sive mediante consuetudine (3) ; potest autem legislator absque justa causa privilegium concedere valide, non tamen licite (4). Dicitur *e)* « *in favorem unius vel plurium*, » non enim privilegium, sicut lex, directe est in bonum totius societatis, sed immediate spectat bonum personæ vel communitatis privatæ, puta collegii, universitatis; quum autem privilegium sit favor, generatim non datur nisi *volenti*, atque ideo vim non obtinet, antequam acceptetur a privilegiato saltem directo (5). Porro privilegiatus non semper debet esse stricte subditus, requiritur tamen ut sit sub aliquo respectu privilegianti inferior.

Variæ species:

253. Multipliciter distingui potest privilegium : *a) ratione rei ad quam datur facultas*, in privilegium præter jus et privilegium contra jus, in affirmativum et negativum, in odiosum et favorabile ; *b) ratione subjecti cui facultas datur*, in reale et personale, in commune et singulare ; *c) ratione originis quam habet et modi quo conceditur facultas*, in acquisitum per consuetudinem et acquisitum per directam

(1) Can. fin. § *si ergo* v. *neque enim*, caus. 25, q. 1; Cfr. Schmalzgrüber lib. 5 tit. 33, n. 11 ubi ex hoc principio quædam corollaria deducuntur.

(2) Cfr. Suarez, de leg. lib. 8 c. 2 n. 10.

(3) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 94.

(4) Cfr. supra n. 227. 228.

(5) Schmalzgrüber, l. c, n. 24. 25.

voluntatem principis, idque sive per primariam concessionem sive per communicationem; in concessum motu proprio et concessum ad instantiam (1), in concessum absolute et concessum sub conditione vel modo (2), in purum et conventionale, in gratiosum et remuneratorium; *d) ratione virtutis et efficaciæ quam habet*, in privilegium pro foro externo et pro foro interno tantum (3), in confirmatum ex certa scientia et confirmatum in forma communi; *e) ratione instrumenti per quod de ipso constat*, in privilegium vivæ vocis, et scriptum, in clausum in corpore juris et datum per rescriptum speciale; demum *e) ratione durationis*, in perpetuum et temporale. Quæ præcipuæ privilegiorum species in sequentibus explicabuntur, omissis tamen vel vix indicatis iis quæ jam exposuimus agendo de dispensatione.

privilegium præter jus,

254. Privilegium *præter vel ultra jus* illud, dicitur quod concedit favorem specialem in lege non expressum, nec tamen ab ipsa reprobatum, veluti est v. g. potestas dispensandi (4);

contra jus;

privilegium autem *contra jus* illud, dicitur quod concedit favorem generali legis dispositioni adversantem, cujusmodi est v.g. exemptio a jurisdictione ordinarii. Prioris generis privilegium dari potest etiam non subditis, siquidem ejus concessio est actus meræ liberalitatis, estque generatim latæ interpretationis; posterioris vero generis privilegium dari non potest nisi subditis (5), atque regulariter est interpretationis strictæ (6). Advertendum autem est privilegium contra jus particulare a supremo principe concessum, non valere nisi concedatur cum clausula huic juri derogatoria; privilegium autem contra jus commune, valere etiam absque tali clausula, dummodo tamen jus commune non resistat, hujusmodi privilegium revocando (7).

(1) Cfr. supra, n. 241 (2) Cfr. supra, n. 244 (3) Cfr. supra, n. 246
(4) Cfr. supra, n. 219. (5) Cfr. supra, n. 221.
(6) Cfr. Schalzgrüber, l. c. n. 124, 125.
(7) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 20, 21.

255. *Affirmativum* privilegium est illud quod concedit facultatem ad aliquid faciendum; *negativum*, quod concedit facultatem ad aliquid omittendum. Unde negativum est semper contra jus, affirmativum vero est aliquando contra jus, aliquando præter jus; deinde negativum semper est oppositum præcepto affirmativo, affirmativum vero non semper oppositum est præcepto, sed cum opponitur, negativo opponitur (1). Affirmativum, negativum;

256. Privilegium *favorabile* illud vocatur quod ita favorem continet ut nemini incommodum afferat, cujusmodi est privilegium vescendi lacticiniis et carnibus tempore quadragesimæ, audiendi missam tempore interdicti; *odiosum* vero vocatur, quod ita favet privilegiato, ut simul alteri afferat præjudicium, cujusmodi est privilegium quo eximitur aliquis a solvendis decimis: nocet enim illi cui alias debentur decimæ, etsi prosit habenti hanc exemptionem. Porro privilegium favorabile est late interpretandum, nisi contrarium sit juri communi; odiosum autem semper est interpretandum stricte (2); præterea, si privilegium sit favorabile, potest quidem privilegiatus eo uti quin illud manifestet aliis; ut tamen isti teneantur ipsum in usu privilegii non impedire, requiritur aliqua ejusdem manifestatio, quæ sufficienter habetur per ostensionem publici instrumenti, vel per depositionem testium omni exceptione majorum; quod si privilegium sit odiosum, debet insinuari illis quibus nocet: princeps enim non præsumitur velle aliquem inscium privare jure suo, sed bonum commune et suavis gubernatio exigit damnificatum monere, ut possit, si velit, opportune se opponere (3). favorabile, odiosum:

257. Privilegium *personale* dicitur illud quod personæ immediate conceditur ratione sui; *reale* vero privilegium vocatur quod conceditur personæ ratione rei ab ipsa distinctæ et separabilis: immediate enim tribuitur sive alicui corpori personale, reale;

(1) Suarez, de leg. lib. 8, c. 6, n. 9.
(2) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 131. (3) Schmalzgrüber, l. c. n. 27

physico, puta templo, monasterio, fundo; sive alicui corpori morali, puta collegio, civitati, idque ita ut ad ejus membra descendat, vel ita ut eo uti possit sola communitas qua talis; sive dignitati et officio, puta episcopali; sive statui, conditioni aut qualitati, puta religioni, ætati, sexui, militiæ, doctrinæ, etc. In dubio autem utrum privilegium sit reale, an vero personale, generatim censendum est reale si nemini noceat, nec juri communi deroget, personale vero, si est contra jus vel cedit in præjudicium aliorum (1). Porro differentia inter unum et alterum privilegium in hoc præsertim consistit quod reale, utpote rei inhærens, tamdiu duret quamdiu durat res ipsa cui adnexum est, personale autem cum persona extinguatur.

commune, singulare;

258. *Commune* privilegium vocatur quod primo et per se respicit bonum communitatis cui conceditur, licet in istius membra etiam redundet, ut sunt privilegia canonis, fori et competentiæ concessa viris ecclesiasticis; *singulare* privilegium seu privatum illud vocatur quod primo et per se respicit bonum personarum particularium, licet mediate etiam ipsum spectet bonum communitatis. Privilegio communi a privatis renuntiari nequit, potest autem ab iisdem renuntiari singulari, nisi tamen hæc renuntiatio cederet in damnum alterius.

acquisitum per communicationem;

259. Triplici modo privilegium communicari potest. Primo modo communicatio privilegii fit, quando unum et idem privilegium, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alias æque transit, eo quod istæ quasi aggregentur cæteris quæ jam tali privilegio gaudebant; in eo casu si augeatur vel minuatur privilegium in his quibus fuit primo datum, augetur et diminuitur in omnibus aliis, quia omnes æque primario privilegio illo gaudent. Cum hac extensione privilegii per aggregationem, confundi nequit extensio ad casus explicite vel implicite a legislatore non comprehensos, propter eamdem scilicet vel etiam

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 8, c. 3, n. 18, 19.

efficaciorem rationem : hujusmodi enim extensio communiter non admittitur (1). Secundo modo communicatio privilegii fit, quando idem privilegium ad plura subjecta applicatur non quidem æque primario et principaliter, sed secundario et accidentaliter, qua ratione privilegia religionum sæpe communicantur familiaribus, privilegia dominorum communicantur servis etc.; in eo casu, si minuatur vel revocetur privilegium quoad personas quibus concessum est principaliter, necessario minuitur vel revocatur etiam quoad personas quibus communicatum est minus principaliter, non autem vicissim; nam accessorium sequitur principale. Tertio modo communicatio privilegii fit, quando uni conceditur ad exemplum et similitudinem alterius, ut si princeps dicat : do tibi privilegium quod concessi Titio ; ideoque hujusmodi privilegium vocatur « ad instar. » Potest autem concedi sive absolute et pariformiter, sive limitate et ex parte : in priori casu, is cui facta est talis communicatio, participat omnia privilegia et eodem modo, quæ et quo modo de facto habet vel habuit ille cujus privilegia participantur ; in posteriori casu, quantum communicetur ex privilegio prius concesso alteri, ex tenore rescripti desumendum est. Jamvero manifestum est ad valorem privilegii ad instar necessario requiri ut privilegium illud ad cujus similitudinem concessum est, valorem habeat vel saltem aliquando habuerit ; cæterum semel facta concessione, si augeatur, restringatur vel revocetur privilegium illi cui prius datum fuit, non ideo augetur, restringitur vel revocatur aliis quibus postea ad instar communicatum est : quia in eo casu utrumque stat per se, ut reipsa distinctum, et licet unum sit ad instar alterius prius concessi, ab hoc tamen non dependet (2).

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 8, c. 5, n. 10 ; Schmalzgrüber, l. c. n. 140, 141.

(2) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 77 et sqq., ubi etiam explicatur quænam de facto privilegia inter regulares communicentur.

gratiosum, 260. Privilegium *gratiosum* dicitur illud quod procedit ex mera liberalitate concedentis, et non ex merito, ut merito; quæ ultima verba adduntur, ut significetur, non obstare privilegio gratioso, etiamsi in ejus concessione respiciantur merita privilegiati, dummodo non respiciantur ut merita, quibus scilicet princeps velit satisfacere. *Remuneratorium* privilegium dicitur, quod alicui conceditur in præmium meritorum a se, vel a parentibus aut consanguineis comparatorum, cujusmodi sunt multa ex privilegiis data regularibus; per ea scilicet summi Pontifices præclara illorum opera in conversione infidelium, defensione fidei, administratione sacramentorum exhibita remunerari voluerunt.

remuneratorium;

purum, 261. *Purum* privilegium illud est quod conceditur nulla interveniente pactione, ratione cujus ipsum privilegium quodammodo emi et compensari censeatur; *conventionale* autem dicitur quando talis pactio intercedit.

conventionale;

vivæ vocis, 262. Privilegium *vivæ vocis* nuncupatur illud quod a principe conceditur *verbotenus*, quamvis subinde in scripturam redigatur, et testimonio authentico, ab iis, quibus ex officio hoc incumbit, fide dignum reddatur, ita ut non solum valeat in foro interno, sed etiam produci possit in foro externo (1).

scriptum; Privilegium *scriptum* vocatur quod a principe per scripturam conceditur, valoremque per se habet, tum pro foro interno, tum pro foro externo; est tamen diversæ auctoritatis prout est *clausum in corpore juris* vel *datum per rescriptum speciale:* prius est, quod inter leges corpori juris insertum est, cujusmodi sunt privilegia Ecclesiarum et ecclesiasticorum; posterius vero, quod extra corpus juris, certæ alicui personæ, communitati vel loco, specialiter per litteras, diploma, bullam vel indultum concessum est.

(1) Cfr. Schmalzgrüber, l.c. n. 240-242, ubi inquirit quid *de facto* tenendum sit circa privilegia vivæ vocis.

263. Privilegium semel concessum confirmari potest duplici modo, ex certa scientia et in forma communi. Confirmatio *ex certa scientia* habet vim et efficaciam renovandi privilegium, si forte usu vel alia via amissum fuerit, nisi tamen agatur de privilegio vel subreptitio vel revocato a concilio generali; confirmatio *in forma communi* talem vim non habet, sed tantum designat promptiorem voluntatem roborandi illud quod absque ulteriori examine supponitur antea concessum et adhuc existens.

confirmatum ex certa scientia,

confirmatum in forma communi;

264. Privilegium *perpetuum* illud dicitur quod *de se* semper durat, licet cessare possit multiplici ex capite, videlicet primo ex parte subjecti seu rei cui inhæret, per perfectum ejus interitum sine spe restitutionis; secundo ex parte superioris, per expressam vel tacitam revocationem (1); tertio ex parte privilegiati, per renuntiationem, sub debitis tamen conditionibus, de quibus late disputant auctores (2); demum quarto ex parte causæ finalis, per totalem ejus desitionem, quando nimirum agitur de privilegio odioso tractum successivum habente (3). *Temporale* dicitur privilegium quod de se non semper durat, sed pro tempore limitato conceditur; hoc autem tripliciter fieri potest: ex parte illius cui conceditur, si nempe detur personæ tantum, etiamsi sit pro tota ejus vita; deinde ex parte illius qui privilegium concessit, quando scilicet datur vel pro determinato temporis spatio, puta decennio, vel usque ad ipsius mortem, vel ad beneplacitum; denique ex parte ipsius privilegii, quando habetur sub conditione quæ lapsu temporis deficit.

perpetuum,

temporale.

(1) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 219-239, ubi etiam inquiritur an et quænam privilegia regularium fuerint a concilio Tridentino revocata; item Avanzini, de constitutione *Apostolicæ Sedis* commentarii not. 58.

(2) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 176-196.

(3) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 166-171.

ARTICULUS III.

De causis legem positivam tollentibus.

Indicatio materiæ.

265. Jam demonstravimus (1) ad rationem legis exigi ut habeat aliquam perpetuitatem, tum « ex parte ferentis, quia non amovetur illo amoto, nec moritur illo mortuo ; « tum » ex parte subditorum ad quos fertur, quia non tantum obligat præsentes qui vel nati sunt vel territorium incolunt cum lex fertur, sed etiam eorum successores postea natos vel denuo ibi habitantes ; « tum » ex parte ipsius legis quæ semel lata semper durat, donec vel revocetur vel materia ejus et causa ita mutetur ut justa esse desinat. » Hæc ergo perpetuitas legi essentialis est *negativa*, quæ nimirum postulat ut lex duret indefinite (2), non vero *positiva*, quæ postulat ut lex semper duret. Triplici enim ex capite lex cessare potest, videlicet imprimis quasi ab intrinseco ex parte sui ipsius, per mutationem materiæ vel per desitionem causæ finalis, deinde ab extrinseco, tum ex parte legislatoris per abrogationem et derogationem, tum ex parte subditorum per non usum seu desuetudinem.

(1) Cfr. supra, n. 88.

(2) Suarez, de leg. lib. 1, c. 10, n. 7. « Unde quoties præceptum superioris ad limitatum tempus fertur, per se loquendo et jure ordinario non habet rationem legis. Dixi *per se* et *jure ordinario;* quia si legislator vellet, ferendo præceptum ad tempus, statuere ac declarare ut pro illo tempore haberet vim et privilegia legis, ut sic dicam, posset id facere quia non includit repugnantiam : illud tamen esset quasi ex dispensatione quadam; et ideo censeo solum gubernatorem supremum posse id facere, ut est rex in temporalibus, Papa in ecclesiasticis, quia in communi et ordinario jure, præsertim in re tam gravi non possunt inferiores dispensare. Tunc vero retineret illa lex illud perpetuitatis genus, quod est non dependere a vita ferentis, nam si intra illud tempus deficeret, nihilominus usque ad definitum tempus lex duraret... Tunc autem revera illa non esset simpliciter lex, qualis nunc significatur hoc nomine absolute sumpto, sed esset lex secundum quid, vel (ut sic dicam) per dispensationem quamdam, » Ib. n. 16.

§ I.

DE MUTATIONE MATERIÆ ET DESITIONE CAUSÆ FINALIS.

266. Mutatio fit in materia legis, quando id quod prius justum erat, moraliter possibile et utile, postea propter diversas supervenientes circumstantias, evadit iniquum, vel nimis difficile toti communitati, vel plane inutile et illusorium; desinit autem causa finalis legis, quando bonum a legislatore intentum vel plene acquisitum est, vel amplius acquiri non potest, licet legis adimpletio nec nociva, nec nimis difficilis, nec aliunde omnino inutilis evaserit.

Lex cessat propter mutationem materiæ;

267. Jam vero *certum est legem tolli, si mutatio fiat in tota ejus materia;* « quia lex de re iniqua, impossibili, vel non conferente aliquid ad bonum commune, est injusta ac nulla (1); sed per mutationem contrariam in objecto factam, res præcepta incipit esse iniqua, impossibilis vel inutilis...; ergo si lex ulterius duraret, jam esset de re iniqua, ac subinde ipsa esset iniqua, aut esset de re inutili vel impossibili, ac consequenter ipsa esset injusta (2).

vel per desitionem causæ finalis

268. *Certum etiam videtur legem tolli, si desinat ejus causa finalis;* nam cessante ratione quæ superiorem movit ad imponendam obligationem, cessat hæc voluntas obligandi, adeoque et ipsa obligatio jam non existit. Ad hoc tamen quædam conditiones sunt necessariæ. Et primo quidem requiritur ut causa finalis legis positivæ desinat *totaliter;* unde quando aliquid præceptum fuit, tum propter finem operis intrinsecum, tum propter aliquem finem extrinsecum v. g. oratio ob cultum Dei et peccatorum conversionem, non tollitur obligatio si tantum desinat finis extrinsecus; similiter quando aliquid præceptum fuit propter plures fines extrinsecos, v. g. jejunium

totalem,

(1) Cfr. supra, n. 118-123.

(2) Suarez, de leg. lib. 6, c. 9, n. 3.

ad obtinendam pacem et aeris serenitatem, non tollitur obligatio, si alteruter finis extrinsecus desinat. Deinde requiritur ut causa finalis desinat *adæquate*, pro omnibus scilicet legis articulis, si plures habeantur; alias obligatio ejus tantum articuli tolletur cujus causa finalis cessat, cæteris vigorem retinentibus, ne utile per inutile vitietur (1). Requiritur tertio ut causa finalis desinat *generaliter*, nimirum pro tota communitate, non pro uno tantum alterove privato (2). Demum requiritur ut causa finalis desinat *constanter;* secus enim non tolletur lex sed solum ad tempus suspendetur, et quasi sopietur, resumptura vires sine nova promulgatione ubi causa incœperit reviviscere.

ad æquatem,

generalem,

constantem.

§ II.

DE ABROGATIONE ET DEROGATIONE LEGIS POSITIVÆ.

Abrogatio, derogatio, irritatio.

269. *Abrogatio* legis est totalis ejusdem revocatio, *derogatio* autem est revocatio partialis : utraque supponit legem aliquando vim habuisse, atque in hoc differt ab *irritatione* quæ est legis ab inferiore latæ annullatio facta a superiore, ita ut illa nunquam vim obtineat.

Revocationis auctor,

270. *Revocatio legis sive totalis sive partialis fieri potest, tum a legislatore ipso tum ab ejus successore vel superiore, non autem ab inferiore;* ratio prioris est, quia « omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (3); ratio posterioris est, quia voluntas inferioris nequit mutare voluntatem superioris (4). Advertentum præterea est legem ab inferiore latam, jam ab ipso non posse revocari, saltem regulariter, si a superiore confirmata fuerit confirmatione

(1) Reg. jur. in 6, 37. (2) Cfr. supra, n. 152.
(3) C. *omnis res* de reg. juris.
(4) Cfr. c. *quod super his*, 9 et c. *cum inferior* 16 de maj. et obed.

essentiali, seu in favorem publicum; revocari autem ordinarie posse, si confirmata fuerit tantum confirmatione accidentali seu in favorem statuentis.

271. Quamvis sola legislatoris voluntas non sufficiat ad legem constituendam, sufficit tamen per se ad illam valide revocandam : nam « bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. » Justa ratio necessaria est ad legis abrogationem vel derogationem, sed tantum pro hujus liceitate. Porro justa ratio revocandi legem oritur ex eo, quod mutatis circumstantiis, hæc non sit amplius statui communitatis accommodata, vel etiam ex eo, quod nunquam fuerit satis apta, siquidem contingere potest aliquando ut legislator, pro humani judicii infirmitate, non cognoscat, quid sit magis conveniens. Cæterum non nisi moderate et prudenter in legum revocatione procedendum est; hujusmodi enim revocatio hoc continet incommodi quod æstimationem legum diminuat, consuetum populi morem immutet, atque idcirco « quæ adjuvat utilitate, novitate perturbet (1). » Huc pertinet doctrina S. Thomæ (2) quod « lex humana in tantum recte mutatur in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis : quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora, de se graviora videntur: unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo, et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. » Causa,

272. Revocatio legis fieri potest duplici modo, scilicet modus.

(1) S. Aug. epist. 118 (alias 54) ad Januar. c. 5. n. 6.
(2) 1. 2. q. 97, a. 2, in o.

directe, auferendo pure et simpliciter priorem obligationem, vel indirecte, novam inducendo obligationem cum hac priore incompossibilem. In priore casu, non requiritur quidem revocationis solemnis promulgatio, bona tamen reipublicæ gubernatio exigit aliquam ejus manifestationem, ne subditi falso existiment se adhuc obstringi vinculo a quo sunt liberati; in altero autem casu, promulgatio requiritur non ipsius revocationis sed causæ revocationem efficientis, unde solent auctores dicere hujusmodi indirectam revocationem esse promulgandam.

273. Jam vero ad determinandum, quandonam leges sive scriptæ sive non scriptæ indirecte revocentur, juvant sequentes regulæ. *a) Lex posterior generalis ordinarie abrogat legem generalem priorem ipsi contrariam;* secus enim superioris voluntate nihil efficeretur; dicimus autem *ordinarie*, quia non pauci excipiunt decreta disciplinaria concilii generalis et legem munitam sive juramento eam non abrogandi, sive formula prohibente mutationem, ad quæ revocanda clausulam derogatoriam in nova lege exiguunt (1). *b) Lex posterior generalis non abrogat priorem specialem, quin potius per hanc limitatur, nisi tamen contineat clausulam aliquam derogatoriam; imo si agitur de consuetudine immemoriali requiritur particularis ejus mentio. c) Lex posterior specialis non abrogat priorem generalem, sed ipsi derogat in quantum est contraria. d) Lex specialis posterior ordinarie abrogat specialem priorem ipsi contrariam.* Hæ quatuor regulæ innituntur duplici principio, quod nimirum ex una parte voluntas superioris debeat aliquid efficere, ex altera vero parte juris correctio, utpote odiosa (2), vitanda sit quantum rationabiliter fieri potest. Aliunde ut superior, etsi universaliter loquens, præsumatur

(1) Cfr. Castropalao, tr. 3, disp. 5, pu. 2, § 1, n. 7 et sqq. Schmalzgrüber, p. 1, § 8 n. 52.

(2) Cfr. supra, n. 271.

tamen non raro exceptiones admittere, suadet illa ratio quam agnovit Bonifacius VIII (1) : « Licet Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur : quia tamen locorum specialium..... consuetudines et statuta..... potest probabiliter ignorare, ipsis.... per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. »

§ III.

DE DESUETUDINE LEGIS POSITIVÆ.

Desuetudinis notio;

274. Nomine *desuetudinis* intelligitur consuetudo contra legem, seu legis non observantia ex parte subditorum atque exinde ejus abolitio. Posse leges tali modo cessare, ab omnibus admittitur ; ad hoc tamen necessariæ sunt quædam conditiones quas jam explicavimus agendo de consuetudine juris inductiva (2) ; remanet igitur solum ut in præsenti pauca dicamus de illis quæ sunt desuetudini magis specialia, relate scilicet ad ejus rationabilitatem, approbationem et durationem.

ejus rationabilitas,

275. Sicut rationabilis esse potest lex, qua alia prior etiam rationabilis revocatur, ita rationabilis esse potest consuetudo legi prius constitutæ adversa. Ad rei autem intelligentiam advertendum est consuetudinis rationabilitatem non attendi ex parte actionum vel omissionum per quas introducitur : istæ enim, saltem in initio, sæpe sunt peccaminosæ, utpote contra legem, adeoque sub hoc respectu irrationabiles ; sed attendi ex parte materiæ circa quam versatur, ita ut regula generali dicere

(1) C. de constitut. in 6.

(2) Cfr. supra, n. 116.

liceat rationabilem esse consuetudinem, qua efficitur illud quod per legem humanam obtineri posse', et e contra irrationabilem esse consuetudinem qua introducitur illud omne quod per humanam legem non valeret introduci. Irrationabilis ergo est quæcumque consuetudo juri naturali vel divino contraria; talis etiam habenda est illa quæ repugnat bono communitatis ejusve membrorum, ut si occasio sit et fomes peccati, si auctoritatem ipsam superiorum lædat, si obedientiam subditorum minuat, adeoque rectam impediat societatis gubernationem; nominatim ubi agitur de disciplina ecclesiastica, irrationabilis censenda est consuetudo quæ nocet Ecclesiæ immunitati, libertati, unitati; ubi autem sermo est de rebus liturgicis, irrationabilis existimanda est consuetudo, quæ opponitur triplici cæremoniarum fini et scopo, sc. sacrorum mysteriorum majestati augendæ, instructioni fidelibus præbendæ, pietati fovendæ. Cæterum difficile sæpe est determinare in specie, utrum aliqua consuetudo legi contraria rationabilis sit nec ne; certo autem irrationabilis est quando ab auctoritate competente *reprobata* est tanquam abusus et corruptela. « Judicare inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram, inter causam et causam, atque secernere virtutem a vitio, salubria pascua a noxiis, vel maxime ad Sedem Apostolicam, ipsumque Christi in terris constitutum vicarium, et conditorem canonum, spectare dignoscitur..... Si igitur a canone reprobetur consuetudo velut irrationabilis et corruptela, quis fidelium christianorun eam audebit dicere rationabilem (1)? »

approbatio, 276. Ad legem consuetudine contraria abolendam aliquis superioris consensus requiritur; sufficit tamen consensus generalis seu juridicus, nisi iste pro aliquo casu particulari per exceptionem desit. Deesse autem de facto videtur, quidquid

(1) Reiffenstuel, in lib. 1 decret. tit. 4, § 2, n. 37.

non pauci in contrarium dicant (1), quando lex clausulam habet qua non solum abrogatur consuetudo præterita (2), sed etiam futura *prohibetur;* secus enim speciali hujusmodi cautione nihil efficeretur, quod admitti nequit. Quapropter lex tali clausula munita non revocabitur usu contrario, quamdiu permanere censetur in superiore voluntas illi resistendi; quod si hæc voluntas censeatur mutata, contra eam legem prævalebit consuetudo non secus ac contra alias quascumque. Porro ut recte judicetur an superior alicui consuetudini adhuc resistat nec ne, videndum est utrum perseverent eædem circumstantiæ, eædemque rationes urgeant, quibus ad resistendum prius motus fuerat; præsertim vero attendi debet an superior mentem suam de hac re aliquo modo declaraverit (3). In supposito igitur quod superior generatim resistere pergat consuetudini contra suam legem, nullus usus adversus eam vim obtinebit, nisi in specie approbetur expresse vel tacite : tunc autem proprie legi derogatur non via consuetudinis, sed via conniventiæ, atque adeo in hujusmodi casu temporis duratio stricte necessaria non est, quæ tamen requiritur omnino ad consuetudinem. « Requiritur ad inductionem consuetudinis per viam conniventiæ scientia principis mores et actus frequentatos approbantis vel saltem dissimulantis : sed tunc proprie et stricte dicta consuetudo non est (4). » Ex his principiis solvi debet quæstio gravissima an et quousque valeant consuetudines sive contra leges tridentinas, sive contra leges liturgicas.

277. Satis communiter admittitur ad leges civiles contraria consuetudine abrogandas sufficere hujus durationem per de- duratio.

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 7, c. 19, n. 21, Salm. tr. 11, c. 6, pu. 4, n. 43; Herincx, disp. 3, q. 16, § 3, n. 220. (2) Cfr. supra. n. 273.

(3) Cfr. Castropalao, tr. 3, disp. 3, pu. 4, § 2, n. 10; Illsung. tr. 1. disp. 2, a. 6, n. 71; Reiffenstuel, lib. 1 decret. tit. 4, § 2, n. 46; Schmalzgrüber, p. 1, tit. 4, n. 23.

(4) Pirhing, lib 1, t. 4.

cennium ; controversia autem est relate ad leges ecclesiasticas : alii requirunt quadraginta annos, alii non nisi decem exigunt; alii demum distinguentes inter leges quæ nunquam usu receptæ sunt et leges quæ aliquando fuerunt observatæ, pro his postulant quadraginta annos, pro illis vero decem tantum (1).

(1) Cfr. Schmalzgrüber, l. c. n. 10.

LIBER III

DE CONSCIENTIA

PROŒMIUM

DE GENERALI NOTIONE CONSCIENTIÆ.

278. Postquam actum est de humanarum actionum regula remota et objectiva tum primaria, tum secundaria, sermo haberi debet de earumdem regula proxima et subjectiva, qua prior applicatur: hæc autem est conscientia. Jam vero omissis quæstionibus de vocis etymologia ejusque varia significatione, conscientia, prout hic sumitur, definiri potest: « *Judicium de liceitate actionis hic et nunc ponendæ proxime practicum.* » Ad rei autem intelligentiam nonnulla adverti debent. Conscientiæ definitio.

279. Dicitur itaque 1° « *Judicium;* » actus scilicet quo mens aliquid affirmat vel negat; adeoque conscientia non est habitus, nec voluntatis actus, nec mera intellectus apprehensio. Explicatio.

280. Dicitur 2° « *de liceitate actionis;* » judicium enim de actione potest pro objecto habere vel ejus utilitatem, convenientiam, facilitatem etc., vel ejus moralitatem; conscientia non est judicium de utilitate, convenientia, facilitate actionis, sed de ejus liceitate seu de ejus relatione ad legem, ac proinde bonitate vel malitia.

281. Dicitur 3° « *hic et nunc ponendæ;* » nam illud judicium respicere potest liceitatem actionis *instantis* vel liceitatem actionis *præteritæ :* si respiciat liceitatem actionis instantis,

vocatur conscientia *antecedens;* si vero respiciat liceitatem actionis præteritæ, vocari potest conscientia *consequens*. Prioris est *ad agendum* dirigere : impellit enim, permittit, vel avertit; posterioris est *actum* expendere : approbat scilicet, laudat, accusat vel remordet unde sola antecedens est conscientia proprie dicta seu regula actionum; nam consequens manifestare quidem potest actionem aliquam fuisse bonam vel malam, at efficere non potest ut bona vel mala fuerit ista actio. Hinc errant qui post actum positum, antequam, v. g., accedant ad confessionem, inspiciunt libros vel inquirunt an hoc et illud quod fecerunt peccatum sit, et an ideo confiteri debeant : hujusmodi enim subsequens opinio quam sibi formabunt, nullum in actionem præcedentem influxum habere poterit; pariter frustra aliqui a confessario petunt, utrum hoc et illud agendo peccaverint: hoc enim pendet a conscientia quam habebant dum operabantur; hanc autem ipsi scient atque eam ab illis discet confessarius : recte tamen talia quæruntur ad alios fines, nempe ad melius dirigendas actiones in posterum, ad scandalum vitandum etc.

282. Dicitur 4° « *proxime practicum;* » distinguitur nimirum judicium de liceitate actionum in speculativum et practicum. Speculativum pro objecto habet actiones in genere et in abstracto, v. g., mendacium, furtum; estque duplex, prout exhibet vel universalissima morum principia, v. g. *malum est fugiendum,* vel conclusiones plus minusve remotas, v. g., *succurrendum est proximo graviter indigenti :* ad prius efformandum sufficit usus rationis, ad efformandum vero posterius pertinet tota tractatio rei moralis. Judicium practicum pro objecto habet actiones in concreto et in particulari, attentis omnibus circumstantiis in quibus locum habere debent; estque etiam duplex prout fit sine ordine ad propriam voluntatem agendi, v. g., ab illis qui consilium præbent; vel in ordine ad propriam agendi voluntatem, ei quasi prælucendo, eamque

dirigendo : in prima hypothesi dicitur judicium remote practicum, in secunda, judicium proxime practicum, seu *conscientia.*

283. Hinc conscientia est semper conclusio syllogismi cujus major est principium aliquod juris, minor autem veritas facti, in hunc vel similem modum : qualibet die dominica est missa audienda a fidelibus christianis qui non sunt excusati; atqui hodie est dies dominica, ego autem sum fidelis christianus, nullamque excusationem habeo : ergo teneor audire Missam. Item, non licet auferre rem alienam invito rationabiliter domino; atqui hæc res est aliena, ejusque ablationi possessor rationabiliter resistit : ergo non possum rem illam auferre.

284. Ex dictis intelligi possunt variæ, quæ ab auctoribus tradi solent, conscientiæ descriptiones. « *Conscientia nihil aliud est quam applicatio scientiæ ad aliquem specialem actum* (1). » — « *Conscientia est actuale et practicum judicium intellectus discernentis de rebus agendis inter bonum et malum, turpe et honestum, præceptum vel prohibitum* (2). » « *Conscientia est judicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principiis universalibus* (3). » — « *Conscientia est judicium rationis voluntati proponens objectum tanquam honestum vel turpe* (4). » etc.

285. Multiplices quæ apud theologos recenseri solent conscientiæ species, consulto nunc omittimus, quum sufficienter sint explicandæ in decursu tractationis. Integram autem materiam complectemur duplici capite, quorum unum erit de conscientia in se spectata, alterum de rectæ conscientiæ efformatione.

(1) S. Thomas de veritate, q. 17, a. 2.
(2) Suarez, in 1, 2, tract. 3, disp. 12, s.1, n. 5.
(3) Laymann, lib. 1, c. 2, n. 1.
(4) Thomas Sanchez, de præceptis decal. lib. 1, c. 9, n.1.

CAPUT PRIMUM

DE CONSCIENTIA IN SE SPECTATA.

Indicatio materiæ.

286. Inquiremus primum quænam sit vis conscientiæ in ordine ad actiones humanas dirigendas, deinde quasnam conditiones habere debeat conscientia ut sit recta actionum humanarum regula.

ARTICULUS I.

De vi obligatoria conscientiæ.

Conscientia est regula actionum.

287. *Conscientia est regula actionum proxima et subjectiva ;* atque ideo a SS. Patribus vocatur *lex scripta in cordibus*, *magister*, *pædagogus*, *corrector*. « Conscientia spiritus corrector est, et pædagogus animæ, ut de melioribus eam admoneat, et de culpis castiget atque arguat (1) » — « Nullus prætexat se ex ignorantia virtutem negligere, vel quia non habeat aliquem viæ ducem et demonstratorem; sufficientem enim habemus magistrum conscientiam, et fieri non potest ut quis illo adjumento privetur (2). »

quia legem applicat.

288. *Est autem conscientia regula subjectiva et proxima actionum, quia applicat earumdem regulam objectivam et remotam ;* inde enim provenit tota ejus virtus et efficacia, ut dilucide explicat S. Thomas, comparatione e vinculis corporumque ligatione eleganter petita (3). « Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis, illo modo ligationis qui voluntati accidere potest; sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate

(1) Origenes, in cap. 2, ad Rom. n. 9.
(2) S. Chrysost. hom. 54, in gen. n. 1.
(3) Q. 17, de verit. a. 3.

coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur : attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti. Et ideo ille qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur. Nec aliquis ignorans præceptum Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur. Sicut in corporalibus, agens corporale non agit nisi per contactum; ita et in spiritualibus præceptum non ligat nisi per scientiam. Et ideo sicut est eadem vis qua tactus agit, et qua virtus agentis agit, cum tactus non agat nisi virtute agentis, et virtus agentis non nisi mediante tactu ; ita *eadem virtus est qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini.* Ergo dicendum quod homo non facit sibi legem, sed per actum suæ cognitionis, qua legem ab alio factam cognoscit, ligatur ad legem implendam. » Eodem modo S. Bonaventura (1) : « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius. Et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco, cum divulgat edictum regis. »

289. *Jam vero ita regula operationis est conscientia, ut eam, si debitas habeat conditiones, semper sequi liceat, nunquam autem fas sit contra eam agere.* Hoc satis colligi potest ex prædictis ; nam operari secundum conscientiam includit voluntatem bonam, quum hoc nihil aliud sit quam facere illud quod judicamus a Deo præceptum vel saltem permissum ; ope-

(1) In 2. Dist. 39, a. 1. Q. 3.

rari autem contra conscientiam includit voluntatem malam, quum nihil aliud sit quam facere illud quod prohibitum esse judicamus. Unde S. Bonaventura (1): « facere contra conscientiam semper est peccatum, quia semper est in Dei contemptum; » et Innocentius III: « quidquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam (2). »

ARTICULUS II.

De qualitatibus rectæ conscientiæ.

290. Conscientia est judicium de liceitate actionis; judicium autem ex parte assensus potest esse magis vel minus firmum, ex parte vero objecti potest esse verum vel erroneum: videndum igitur est quasnam qualitates, ut sit recta operationis regula, habere debeat conscientia tum ex parte assensus tum ex parte objecti.

§ I.

DE REQUISITIS EX PARTE ASSENSUS.

Conscientia debet esse certa

291. *Conscientia non potest esse legitima operandi regula nisi sit certa; scilicet judicium proxime practicum debet esse ita firmum, ut agens minime dubitet de formali liceitate suæ actionis, sed absque errandi formidine existimet se ita agendo non peccare, seu hoc sibi licere hic et nunc.* Est communis sententia theologorum, quæ aperte traditur tum in sacris litteris (3), tum in scriptis SS. Patrum (4); huc enim, si quid probant

(1) L. c. ad. 1. (2) Cap. *litteras* de rest. sp. Cfr. Müller. § 74.
(3) Cfr. Eccli. 37, 20; 1. Thess. 5, 21, 22.
(4) Cfr. nominatim S. Aug. lib. 3, contra Academicos, c. 16, n. 35.

et non omnino abs re citantur, pertinent testimonia illa quæ tam perperam in quæstione de probabilismo producuntur (1). Ratio autem a priori est, quia peccat ille qui deliberate committit se periculo peccandi; atqui tali periculo se committit qui operatur incertus an recte et honeste agat; ergo ita operans peccat. Et sane qui incertus de bonitate actionis, nihilominus agit, implicite et interpretative dicit : hoc facere volo sive licitum, sive illicitum sit; quod est virtualis contemptus divinæ legis; pariter qui incertus an hoc vel illud sit mortale, nihilominus operatur, ita comparatus est animo ut quasi dicat : etsi hoc agere sit mortale peccatum, tamen agam ; quod certe est grave delictum (2).

saltem moraliter

292. *Porro ad honeste operandum sufficit quod agens de formali bonitate actionis certus sit moraliter et exercite.* Dicimus imprimis sufficere quod certus sit *moraliter :* nam certitudo major in agibilibus haberi non potest; moralis autem certitudo, in præsenti materia, est assensus propositioni alicui præstitus absque prudenti formidine errandi; non excludit ergo certitudo moralis omnem omnino, etiam imprudentem, errandi formidinem; sed prudentem tantum. « Ad formandam certitudinem moralem alicujus sententiæ non requiritur ut auctores oppositum tenentes omni ratione adhuc levi careant, sed sufficit si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariæ vix supersit apparentia veritatis, vel ut contraria non videatur satis probabilis (3). » Dicimus etiam sufficere quod certus sit *exercite;* scilicet necesse non est illum judicare reflexe quod certus sit; satis est ut operatio fiat tanquam in dubitanter bona et licita, sive ut nullum appareat periculum formalis peccati.

et exercite.

293. Quum igitur agere non liceat cum conscientia incerta,

Si conscientia

(1) Cfr. Collet, de consc. c. 5; Billuart de act. hum. diss. 6, a. 1.
(2) Cfr. Sporer, tr. 1. c. 1. n. 69. (3) S. Alph. de prob. n. 52.

est incerta abstinendum est ab opere;

ille qui tali conscientia laborat, debet quamdiu in eodem statu permanet, partem tutiorem sequi, juxta vulgatum axioma : « in dubio pars tutior est sequenda. » Pars autem tutior est ut abstineat ab opere ; unde si, v. g., incertus est utrum hic et nunc carnes manducando peccet, tenetur, quousque perseverat illud dubium practicum, ab illis abstinere : si enim abstineat, certo non peccabit; si vero non abstineat, fortasse peccabit, ideoque abstinere est ei in talibus adjunctis tutius. Quod si æque timeat ne peccatum admittatur sive actum ponendo sive eumdem omittendo, conscientia habetur *perplexa;* in eo autem casu eligere debet quod videtur minus malum ; unum enim facere peccatum non est, cum repugnet peccatum esse necessarium : non potest autem voluntas tendere in illud quod apparet majus malum, quia sic libere eligeret hunc malitiæ excessum; quando autem neque discernitur quodnam e duobus sit gravius malum, quidquid fiat, peccatum non erit (1).

si perplexa, eligendum est minus malum

Conscientia scrupulosa est contemnenda

294. Illa quæ hucusque diximus intelligenda sunt de incertitudine ac formidine intellectus judicantis, non de scrupulo, qui est inani rationi nixa apprehensio, et inde ortus apprehensivus timor peccatum alicubi esse ubi non est. Nam cum tali irrationabili formidine consistere potest ac debet certum dictamen seu judicium intellectus recte atque honeste aliquid agi, non obstante vana illa apprehensione peccati (2). A conscientia igitur incerta distingui omnino debet conscientia *scrupulosa* proprie dicta, quæ habetur quando aliquis revera judicat id quod agit esse licitum, levibus tamen de causis timet et anxiatur ne sit illicitum ; hæc conscientia, quatenus scrupulosa, conscientia non est, sed tantum umbra et similitudo conscientiæ, et qua talis, omnino contemnenda. « Agere contra scrupulum, non solum licitum sed etiam laudabile esse,

(1) Cfr. S. Aug. de lib. arb. lib. 3, c. 18, n. 50 ; S. Greg. M. lib. 32, mor. c. 20, n. 39.

(2) Cfr. Laymann, lib. 1, tr. 1, c. 5, n. 4 ; item c. 6, n. 2.

est sententia fere omnium... Ratio est, quia scrupulus non tollit judicium certum de honestate actus... licet illud judicium suffocet aliquo modo et densis tenebris obnubilet(1). » Diximus *conscientia scrupulosa proprie dicta*,nam hoc nomine non raro improprie designatur vel conscientia vere incerta seu actuale dubium de liceitate actus, licet ortum ex levioribus rationibus; vel etiam habitualis dispositio animæ ad scrupulos propensæ. Cæterum hæc in præsenti sufficiant: tractatio enim de conscientia scrupulosa pertinet ad auctores asceticos qui fuse inquirunt de scrupulorum causis, signis et remediis.

§ II.

DEREQUISITIS EX PARTE OBJECTI.

295. *Conscientia certa est legitima regula operationis non solum quando est vera, sed etiam quando est invincibiliter erronea.* Est sententia communis inter catholicos, quæ cæteroquin clare traditur in sacris litteris : « Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum (nullus cibus ex natura sua immundus), nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est... Qui autem discernit(cibum a cibo), si manducaverit (illum cibum quem reputat immundum), damnatus est ; quia non ex fide (secundum dictamen conscientiæ). Omne autem quod non est ex fide, peccatum est (2). » Ratio autem a priori est, quia objectum voluntatis est bonum ac malum non quomodocumque, sed formaliter prout est in apprehensione intellectus; unde quando intellectus apprehendit aliquid ac voluntati proponit ut bonum morale necessarium ac præceptum, esto reipsa bonum non sit nec præceptum, immo

Sequi licet conscientiam tum veram tum invincibiliter erroneam.

(1) Castropalao, tr. 1, disp. 4, pu. 1, n. 2. Cfr. Sporer, tr. 1, c. 1, sect. 5.
(2) Rom. 14, v. 14-23 ; cfr. Beelen in h. l.

sit malum et prohibitum, voluntas illud respuendo consentit in transgressionem legis; iterum si intellectus aliquid apprehendat et voluntati proponat tanquam moraliter malum ac prohibitum, esto reipsa malum non sit nec prohibitum, immo bonum sit vel permissum et etiam præceptum, voluntas illud amplectendo consentit in objectum malum et prohibitum, adeoque peccat (1). « Non videtur possibile quod aliquis peccatum evadat si conscientia, quantumcumque errans, dictet aliquod esse præceptum Dei quod est indifferens sive per se malum, si contrarium, tali conscientia manente, agere disponat. Quantum enim ex se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi; unde mortaliter peccat (2). »

296. Quod attinet ad conscientiam *vincibiliter erroneam*, sequentia statui possunt. *a*) Certo non licet contra eam (prohibentem vel præcipientem) agere propter rationem jam supra indicatam (3). *b*) Utrum autem liceat eam sequi, distinguendum est: vel enim agitur de errore actualiter vincibili, vel agitur de errore antecedenter quidem vincibili, actualiter autem invincibili: in primo casu conscientia vincibiliter erronea est revera incerta, et fas non est eam sequi, ut supra jam probatum est; in secundo casu non peccat ille qui talem conscientiam hic et nunc sequitur, peccavit tamen olim quando omisit moralem adhibere diligentiam ad ignorantiam vincendam: quod præclare declaravit Ballerini (4): « fieri potest ut error quidem olim fuerit culpabilis, quem tamen in præsens quis amplius non advertat, v.g., si confessarius olim non satis theologiam excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermisit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma (5), quod nunquam a peccato excusatur sive agat juxta conscientiam sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud

non autem erroneam actualiter vincibilem;

(1) Laymann, lib. 1, tr. 1, c. 4, n. 2.
(2) S. Thomas, de veritate, q. 17. a. 4.
(3) Cfr. n. 289.
(4) Tom. 1, ad n. 37.
(5) De verit. q. 17, a. 4, obj. 8.

peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum quæ quis scire tenetur. Nec reatus iste incurritur dum quis acturus est, sed est culpa omissæ olim diligentiæ et a præsenti actione independens : cujus proinde gravitas desumi debet, non ab actione nunc ponenda, sed ex communibus principiis de peccatis ignorantiæ. Atque hinc etiam vera ratio patet cur in casu magis reus sit qui agit contra conscientiam, quam qui juxta. Nam hic prædictum tantummodo ignorantiæ reatum habet. Ille vero præter hunc addit alium nunc reatum actionis contra conscientiam positæ. Quod si quis ignorantiæ culpam per congruam pœnitentiam et additam diligentiam, ut par est, retractaverit, patet eum illi æquiparandum esse qui invincibili ignorantia laborat. »

nec laxam.

297. Ad speciem conscientiæ erroneæ actualiter vincibilis commode revocari potest conscientia quam solent vocare *laxam*, quamque præterea distinguunt in *simpliciter laxam*, *cautcriatam* et *pharisaïcam*, quamquam his nominibus sæpe non actuale aliquod judicium designetur, sed potius habitualis animi dispositio quæ tendit ad libertatem plus æquo extendendam.

Monitum practicum

298. Sedulo autem attendendum est nullo modo posse erroneam conscientiam obstringere, nisi res in libero hominis posita sit arbitrio : nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. Hinc si quis detentus carcere aut lecto affixus judicet mortale crimen se committere si die dominica sacro non intersit, nullo modo is contra conscientiam peccasse censendus est, quantumcumque id sibi persuadeat. Atque inde ad graves difficultates, quas non pauci patiuntur patet responsio : plurimos esse constat qui, cum ab omni actione, quæ vel speciem peccati gravioris præ se fert, maxime abhorrent, interim tamen aut obscœnis luduntur imaginibus, aut cogitationibus blasphemis et hæreticis gravissime agitantur : nullum quidem iis consensum præbent, sed tamen vel præbere sibi falso credunt, vel

etiam cogitationibus tam horrendis tangi, grande per errorem judicant piaculum. Sane tales ob conscientiam errantem peccare nemo dixerit (1).

299. Ex his quæ hucusque diximus, intelligitur quanta requiratur prudentia in theologo, concionatore, confessario, puerorum institutore, verbo in iis omnibus qui alios dirigere debent, et a quorum judicio pendet ipsorum conscientia. Pulchre admodum rem proponit de Sarasa (2). « Inconsulto, imo et male eos credo sive parentes sive puerorum institutores agere, qui ut eorum teneras adhuc mentes a scelerum contagio avertant, eadem aut exaggerant, aut etiam iis actionibus affingunt quæ sceleratæ non sunt aut sane non adeo sceleratæ. Nihil non esse lethale crimen pueris persuadent nutrices quædam oppido imprudentes. Si panem in terram projiciat petulans pusio, illico mortale crimen id esse exclamant ; si parenti infantes sint immorigeri, si levi mendacio, ut fit, veritati refragentur, inferni ignes promeruisse deblaterant, et plurima in hunc modum instituendis pueris congerunt terriculamenta. Interim, erroribus imbuitur mens tenera et credula, et cum ætate errores crescunt, iisque implicita conscientia sæpe occasionem præbet peccandi, ubi cæteroquin nulla peccandi est materia. Aliud sane est contra bonos mores agere, aliud vero mortale crimen committere. Neque vero ut boni ingerantur malique dedoceantur, ad scelera lethalia, ignisque æterni supplicia recurrendum est ; alia terriculamenta suppetunt, aliæ pueris infligi solitæ ad manum sunt pœnæ, quibus ab inhonestis actionibus arceantur, quam exaggeratæ peccatorum hyperbolæ, per quas in errorem inducantur infantes, et, cum succreverint, in vera scelera : sufficit enim judicare crimen esse id quod agis, ut vere committas crimen, etiam ubi malinon est species. »

(1) Cfr. Alphons. de Sarasa, Ars semper gaudendi, tom. 2 tract, 3, § 3, n. 16.

(2) Op. cit. tr. 3, § 3, n. 13.

CAPUT SECUNDUM.

DE EFFORMATIONE CONSCIENTIÆ RECTÆ.

Recta conscientia est practica conclusio certa

300. Jam satis demonstravimus conscientiam semper certam esse debere de formali honestate actionis, ita ut agens dicere possit: *ego hoc faciendo vel omittendo non pecco*; seu: *hoc mihi licet hic et nunc* (1).

ex præmissis certis.

301. Quum autem conscientia sit conclusio syllogismi cujus major versatur circa jus abstracte sumptum, minor vero circa factum jus applicans (2), certa ipsa erit quotiescumque utraque præmissa certo moraliter cognoscetur. Sic, v. g., si certo sciam Missam non esse audiendam et licita esse opera servilia diebus ferialibus, hodie autem esse diem ferialem, statim concludam: ergo hodie possum omittere Missam et opera servilia exercere, adeoque certa erit conscientia *permittens* omissionem Missæ et opera servilia; e contra si certo noverim contractum usurarium non posse iniri, usurarium vero reipsa esse contractum quem facturus sum, statim resolvam: ego talem contractum inire non possum, et certa erit conscientia *prohibens* talem contractum; pariter si certo sciam confessionem esse singulis annis instituendam ab iis qui mortalia admiserunt, me autem ab anno mortalia confessum non esse, incunctanter resolvam: ego teneor confiteri, ac proinde certa erit conscientia *præcipiens* confessionem.

Hæc autem certitudo directe obtinetur per inquisitionem veritatis.

302. Ut vero ad necessariam scientiam circa proprias obligationes perveniat, debet unusquisque diligentiam adhibere moralem, proportionatam scilicet ætati, conditioni, rei (3); requisitam hujusmodi sollicitudinem fidelibus inculcabat S. Chrysostomus iis verbis quæ non raro perperam afferuntur

(1) Cfr. supra, n. 291.
(2) Cfr. supra, n. 283.
(3) Cfr. supra, n. 66 et n. 171.

ad aliud probandum : « Vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus ; quomodo enim non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare et supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam temere sequi, præsertim cum habeamus acutissimam trutinam divinarum legum assertionem (1) ? » Quando igitur dubium alicui occurrit utrum ad hoc vel illud obligetur, talis, nisi malit tutius eligere, debet, antequam ponat actum vel omissionem faciat, de quorum liceitate dubitat, ulterius inquirere, atque media moraliter sibi possibilia adhibere ad veritatem indagandam ; quod si facere neglexerit, culpam non vitabit, nec pœnam infligendam a justo judice « qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (2). »

Ad quam tamen non semper pervenitur, dubio sc. remanente, vel obtenta solum opinione ;

303. Verum sæpe contingit ut post diligentem et sinceram investigationem, veritas adhuc ignoretur vel non cognoscatur certo. Ille autem qui sic veritatem inquisivit, nec ad eam sufficienter pervenit, in duplici statu relate ad ipsam versari potest : vel enim videt pro utraque parte adesse rationes graves et non se invicem elidentes, ita ut judicare debeat utramque illam partem posse esse veram (in sensu nempe diviso) adeoque esse probabilem, et consequenter rem remanere incertam ; vel nullas videt rationes, aut leves tantum et quæ se invicem elidant, ita ut ne probabile quidem judicium pro alterutra parte ferre valeat. In primo casu erit in statu *opinionis* si de facto assentiatur alterutri parti, vel in statu *dubii positivi*, si neutri parti assentiatur, utramque tamen fundatam existimet : hæc est enim differentia inter opinionem et dubium positivum, quod opinio sit assensus cum formidine errandi præstitus, positivum vero dubium sit suspensio judicii propter gravitatem rationum ex utraque parte. In altero casu erit in statu *suspicionis* vel *dubii negativi*, prout in unam partem potius inclinat,

(1) Hom. in 2 epist. ad cor, 13, n. 4. (2) 1, Cor, 4, v. 5.

vel omnino suspensus manet. Adverti tamen hic debet vocabula illa dubii positivi et negativi in alio diverso sensu non raro apud auctores usurpari ; secuti sumus modum loquendi Lugonis (1), a quo alienus non est S. Alphonsus (2).

quo in casu, conscientia certa formanda indirecte ex principiis reflexis.

304. Porro quotiescumque alterutra ex præmissis est incerta, incerta etiam sit oportet conclusio ; adeoque in hujusmodi casu, ex solis principiis directis, conscientia non posset esse nisi incerta, et tutius esset eligendum (3), nisi præsto essent quædam principia reflexa, quorum ope agens dubium deponere et ita cum practica certitudine se ad actum resolvere valeret. Adesse autem talia principia reflexa, sententia communissima et certa admittit ; videndum igitur est, quomodo conscientia sit efformanda tum ab illo qui est in statu opinionis vel dubii positivi, tum ab illo qui est in statu suspicionis vel dubii negativi, quod duobus articulis sequentibus efficiemus.

ARTICULUS I.

De conscientia ex sententia probabili efformanda.

Monitum de modo loquendi.

305. Quoniam in materia nostra perinde est, ut ex sequentibus apparebit (4), sive intellectus adhæreat alterutri parti, sive neutri adhæreat, dummodo utramque innixam existimet solidis rationibus, ideo confusionis vitandæ gratia, abstinebimus ab appellatione tum opinionis, tum dubii positivi, remque objective communem designabimus nomine *sententiæ probabilis*, hoc semper supposito quod agens noverit non haberi pro alterutra parte certitudinem moralem (5), et judicet pro

(1) Cfr. de Sacr. in gen. disp. 8, sect. 9, n. 139; de pœn. disp. 16, sect. 2, n. 58 et sqq.
(2) Cfr. de consc. n. 20.
(3) Cfr. supra, n. 293.
(4) Cfr. Lacroix de consc. n. 387.
(5) Cfr. supra, n. 292.

utraque dari argumenta magni ponderis. Explicabimus igitur imprimis notiones prævias, ut deinde solutionem quæstionis proponamus.

§ I.

NOTIONES PRÆVIÆ.

Indicatio materiæ.

306. Exposita indole sententiæ probabilis, dicemus de præcipuis ejus distinctionibus tum ratione argumentorum quibus innititur, tum ratione objecti circa quod versatur, postea de comparatione sententiæ probabilis cum ipsius opposita agemus.

I.

INDOLES SENTENTIÆ PROBABILIS.

Notio et explicatio probabilitatis.

307. Sententia probabilis est *sententia incerta nitens motivo absolute et respective gravi.* Dicitur *a) sententia incerta*, id est, nec certo moraliter vera, nec certo falsa, ut egregie explicat S. Alphonsus: « veritas cognita sine formidine dicitur certitudo; veritas autem probabiliter cognita dicitur opinio. Volunt adversarii, ut diximus, quod opinio vere probabilis sit illa tantum quæ hinc inde omnibus pensatis, cognoscitur vera; ita ut oppositum videatur certe falsum. Sed errant in terminis; nam hoc dicendum de scientia, sive de certitudine morali, non autem de opinione probabili, quæ de se fert ut sit fallibilis, et ejus contraria sit etiam probabilis, id est, probabiliter vera (1).» Dicitur *b) nitens motivo gravi*, talis scilicet momenti ut per se loquendo aptum sit

(1) Diss. scholastico-mor. ann. 1749.

virum prudentem determinare ad assensum. Dicitur *c) motivo gravi absolute*, nempe secundum se et non tantum apparenter, ex inordinatione affectus, vehementi passione etc. Dicitur *d) motivo gravi respective*, attentis nimirum etiam rationibus in oppositum ; si enim hæ moralem certitudinem producerent, motivum contrarium elideretur, atque adeo non esset amplius argumentum grave quo impelli posset assensus viri prudentis, sed esset tantum objectio seu difficultas (1).

308. Prout vis rationum plus minusve elucet ac perspicitur, sententia est vel *certo probabilis*, idque vario gradu a simpliciter probabili usque ad valde probabilem, vel *dubie* aut *probabiliter* tantum probabilis. *Tenuiter* autem probabilis dicitur illa sententia quæ habet motivum, sed ita leve ut censeatur imprudens qui ei assentitur ; unde « tenuis probabilitas non est probabilitas, sed dumtaxat quædam falsa apparentia, seu vana probabilitatis apprehensio, quæ nullum prudentem timorem producere potest, sed tantum aliquam imprudentem formidinem ; sed imprudens formido non est formido, quæ valeat ullum peccati periculum secum afferre (2). » Quapropter merito notant auctores (3) duos illos terminos « tenuis probabilitas » esse veluti oppositos ; nam vox « probabilitas » simpliciter et absolute dicit habere grave fundamentum, vox autem « tenuis » hoc tollit.

Probabilitas certa, dubia tenuis.

II.

PROBABILITAS INTRINSECA ET EXTRINSECA.

309. Grave motivum cui innititur sententia probabilis potest esse vel rei intrinsecum, vel ei extrinsecum : ex quo

(1) Cfr. Lacroix, de consc. n. 108; Laymann, tr. 1, c. 5, n. 6; Segneri, epist. 1, n. 27.

(2) S. Alphonsus, de consc. n. 82.

(3) Cfr. Cardenas in 2 crisi, diss. 4, n. 16; Lacroix, de consc. n. 126.

Probabilitas intrinseca, extrinseca: sequitur duplicem etiam apte distingui probabilitatem, intrinsecam sc. et extrinsecam. Sententia aliqua dicitur *intrinsece probabilis*, quando consideratur ut nitens rationi magni momenti quæ rei ipsi inest, seu ex ipsa re petitur; *extrinsece* autem probabilis, quando consideratur ut nitens auctoritati eorum qui ipsam proponunt.

unius ad alteram respectus. 310. Jam vero quoad probabilitatem intrinsecam et extrinsecam, earumque relationes sequentia notari debent. *a) Probabilitas extrinseca tota fundatur in intrinsecam;* auctoritas enim non admittitur nisi ex præsupposita scientia; *adeoque fieri nequit ut sententia aliqua sit vere probabilis extrinsece, quin talis sit etiam intrinsece.* Huc pertinent verba S. Augustini (1) « alios (scriptores præter inspiratos) ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat persuadere potuerunt. » Pulchre etiam C. Sfondratus (2): « sunt opiniones instar monetæ cujus valor non ex numero, sed ex pondere et metallo æstimatur; sic opiniones non doctorum numerus sed major ratio, veritas et prudentia commendat. » *b) Generatim viro docto censeri non debet sententia probabilis ideo præcise quod proponatur ab aliquo auctore etiam typis impresso;* ratio est evidens; nam inde non est necessario existimandum illi sententiæ motivum alicujus ponderis inesse, cum multi multa scripserint minus fundata. Dicimus tamen *generatim* et *præcise;* nam si auctor ille sit omni exceptione major, veniatque post alios quorum doctrinam examinaverit, poterit reddere sententiam suam probabilem etiam extrinsece. Dicimus præterea *viro dicto;* homo enim rudis cui vir doctus, prudens ac probus affirmat aliquam sententiam esse probabilem, recte illam ut talem habet, quia cum ipsemet res per-

(1) Epist. 19, al. 82, n. 3. (2) De reg. sacerd. lib. 1, § 20; lib. 2, § 14, n. 6.

pendere non possit, prudenter stat judicio illius de cujus scientia et veracitate dubitare nec debet nec potest. Ex quibus jam sufficienter intelligitur quare et quo sensu ab Alexandro VII damnata fuerit sequens propositio : « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem (1). » *c) Neque aliunde ideo sententia aliqua est probabilis quod doceatur a pluribus auctoribus ;* nam quandoque successu temporis inventæ sunt novæ rationes convincentes, quandoque a Sede Apostolica emanatæ sunt declarationes per quas quæstio hucusque disputata extra controversiam posita est : exempla præbet Lacroix apud quem (2) inter alia legimus, citari posse plus quam quadraginta auctores pro sententia falsa, quod confessarius qui ex confessione novit pœnitentem esse indignum officio, possit ideo illi in electione secreta suum suffragium negare (3). *d)* Quamvis hæc ita sint, *tamen ordinarie, quousque scilicet nulla hujusmodi ratio convincens in contrarium afferatur, numerus auctorum opinionem probabilem reddit ;* non enim præsumi potest viros doctos et graves magno numero convenire in re quæ solida non habeat fundamenta ; unde satis admittitur probabilem reputandam esse sententiam quam tenent quinque aut sex theologi omni exceptione majores, gravitate scilicet, prudentia, diligentia ac doctrina præstantes (4).

311. Cum præcedenti distinctione probabilitatis in intrinsecam et extrinsecam, analogiam aliquam habet alia distinctio in probabilitatem publicam et privatam. *Publice* probabilis dicitur illa sententia quam communiter viri docti et probi ut talem habent ; *private* autem probabilis illa vocatur quæ viro

Probabilitas publica,

privata.

(1) Cfr. Viva in h. p.
(2) De consc. n. 136 et sqq.
(3) Cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 657.
(4) Cfr. supra, n. 11.

prudenti, postquam diligenter ac sine inordinato affectu rem examinavit, gravibus rationibus innixa apparet. Quod aliqua sententia possit esse probabilis publice quin talis sit private, et vicissim, satis per se intelligitur; bene tamen hic tenendum monitum Sanchezii (1) : « Opinio probabilis est quæ rationi alicujus momenti innititur, ita tamen ut pro opposita parte nihil convincens sit. Unde refert Valentia tunc manere apud aliquem intra opinionis latitudinem quidpiam, quando sibi persuadet rationes illius solvi posse aut ab ipsomet, aut ab aliis; at si recte vel per errorem insolubiles credat, non manere intra opinionis latitudinem. Quod optime dictum est quamdiu ille ita tenaciter suæ opinioni inhæret ut certus sit nullatenus rationes illius solvi posse.... Nam licet quis rationem peculiarem habeat contra oppositam sententiam, quam ipse solvere nequit, et sibi solvi non posse videatur, non ideo censeri debet oppositam aliorum sententiam improbabilem esse.... Eo vel maxime quod sibi persuadere debeat quotidie contingere inveniri solutionem rationum quas quis insolubiles putabat. » Hæc præ oculis habeant præsertim illi qui ex officio debent alios dirigere, ne propriis et singularibus placitis plus æquo inhærendo, obligationes et onera fidelibus nimis facile imponant (2).

III.

PROBABILITAS SPECULATIVA ET PRACTICA.

Probabilitas speculativa

312. Probabilitas *speculativa* ea dicitur quæ versatur vel circa *facti existentiam*, v. g., hominem esse mortuum; vel circa *rei qualitatem*, v. g., hoc objectum esse meum, tale opus esse

(1) De præc. decal. lib. 1. c. 9, n. 6.
(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 604.

servile, illum contractum esse usurarium, præceptum superioris esse legitimum, bellum a rege modo declaratum esse justum etc.; vel circa *actus valorem*, v. g., baptismum in cerevisia esse validum, validam professionem religiosam in his aut illis adjunctis, validum matrimonium inter determinatas personas aut sub specialibus conditionibus; vel demum circa *operationis efficaciam*, v. g., tale remedium esse profuturum, hoc agendi modo esse victoriam reportandam etc. Probabilitas autem *practica* ea dicitur quæ versatur circa actionis liceitatem, v, g., prohibitum non esse pingere die dominica, præceptum non esse confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem etc. Prior dicitur etiam probabilitas *remota*, posterior vero probabilitas *proxima:* « Adverte probabilitatem esse posse duplicem: alteram remotam, alteram proximam. *Remota* est quæ versatur circa fundamentum, *proxima* est quæ versatur circa ipsum licitum ut licitum; v. g., si probabile tibi sit rem quam Petrus possidet esse tuam, quia ex aliquibus signis et conjecturis probabiliter judicas esse eamdem quæ tibi furto ablata fuerat, vel ex conjecturis probabiliter judicas nullum nisi Petrum potuisse rem tibi furari, hæc appellari potest remota probabilitas; nondum enim habes judicium ultimum quo probabiliter judices rem illam posse a te licite accipi, quam appellamus probabilitatem proximam, quia versatur proxime circa ipsam recuperationem vel compensationem (1). » Præterea probabilitas speculativa vocatur aliquando probabilitas facti, practica vero probabilitas juris: « Probabilitas *facti* est quæ versatur circa rei veritatem, sive rei substantiam, nempe an sacramentum cum tali materia collatum sit validum aut nullum; an contractus cum tali pacto initus sit usurarius vel ne. Probabilitas autem *juris* versatur circa honestatem actionis, id est, an

et practica

seu remota et proxima;

aut etiam facti

et juris.

(1) J. De Lugo, de just. et jure, disp. 16, sect. 5, n. 97.

liceat sacramentum cum tali materia conferre, an contractum cum tali pacto inire (1). » Hæc probabilitatis distinctio, quocumque modo designetur, maximi momenti est in materia nostra; ad vitandam tamen confusionem adverti debet, eodem nomine apud varios auctores varia intelligi (2).

Practica sequitur ex speculativa,

313. *Sicut certitudini speculativæ respondet certitudo practica, ita probabilitati speculativæ ordinarie respondet probabilitas practica:* prior enim est fundamentum posterioris. Res exemplis illustrari potest: si, v.g., speculative certum est opus aliquod non esse servile, practice certum est tale opus die festo non esse prohibitum, sed licitum esse; si speculative certum est diem hodiernam esse dominicam, practice certum est eadem die fas non esse Missam omittere; si speculative certum est contractum aliquem esse usurarium, practice certum est hujus modi contractum non posse iniri, etc.; hinc similiter si speculative probabile est exercitium picturæ non esse opus servile, practice probabile est licere pingere die festo; si probabile est speculative diem hodiernam non esse dominicam, tempus quadragesimæ non esse inchoatum etc., practice probabile est missam non esse audiendam, non esse servandum jejunium, et alia ejusdem generis.

nisi interveniat principium superius

314. Diximus probabilitati speculativæ practicam respondere *ordinarie;* hoc scilicet non contingit quotiescumque habetur absoluta necessitas finis alicujus determinati consequendi quem in discrimen vocaret usus sententiæ probabilis seu medii probabiliter inepti; aliis verbis sententia speculative probabilis non fit probabilis practice, quotiescumque usus opinionis probabilis non removet periculum frustrandi finem ad quem obtinendum exstat necessitas absoluta seu certa obliga-

(1) S. Alphonsus, de consc. n. 41. Cfr. etiam, lib. 4, n. 700 cum annotatione; item Suarez in 1, 2, tr. 5, disp. 12, sect. 6; Bannez in 2-2, q. 10, a. 1, dub. 3, concl. 4.

(2) Cfr. Lacroix, de consc., n.115.

tio; stante siquidem tali necessitate media tutiora sunt prorsus adhibenda, et non est probabile illa media minus apta posse adhiberi. Jam vero hujusmodi necessitas oritur vel ex *charitate*, vel ex *justitia*, vel ex *religione*, vel demum ex *mandato* seu *lege positiva et voto*. In his nimirum casibus inter unam probabilitatem et alteram quasi intervenit principium superius, quod impedit earum logicam connexionem, totumque ordinem immutat; rem clarius explicabimus singula percurrendo.

charitatis.

315. Charitas aliquando nos obligat tum ad procurandum bonum, tum ad præcavendum damnum sive temporale sive spirituale nostri vel proximi; in iis ergo casibus in quibus præceptum illud urget, non possumus nosmetipsos vel alios absque causa detrimenti periculo exponere. Sic in iis quæ sunt de necessitate medii ad salutem, est obligatio amplectendi tutius, quia si circa illa erratur etiam invincibiliter, bona fides efficere nequit ut illud non sit medium necessarium salutis, vel ut reipsa ponatur si quid substantiale deficit. Quare, v. g., licet speculative probabile sit cognitionem mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis non esse necessariam necessitate medii (1), tamen non est practice probabile rudem non esse de illis instruendum, sed omnino certum est (etiam secluso speciali præcepto Ecclesiæ) eum esse instruendum; item quamvis speculative probabile sit infantem jam esse baptizatum, non est tamen practice probabile illum non esse rebaptizandum, sed certum omnino est rebaptizandum esse sub conditione; secus enim exponeretur periculo non perveniendi ad vitam æternam.

justitiæ.

316. Justitia nos obligat ad reddendum alteri quod ipsi ex jure stricto debetur; distingui autem solet in commutativam, legalem et distributivam: justitia *commutativa* obligat privatum ad reddendum alteri privato quod ipsi ex jure

(1) Cfr. S. Alphonsus, lib. 3, n. 2.

proprietatis debitum est; justitia *legalis* obligat membra societatis ad præstanda ea omnia quæ reipublicæ debita sunt in ordine ad bonum commune; justitia *distributiva* obligat principem et illos qui principem repræsentant ad distribuenda bona et onera secundum uniuscujusque merita et facultates. Quotiescumque igitur habetur certa obligatio illæsum servandi vel jus privatorum, vel rectum societatis ordinem, non possumus, sine causa, nos exponere periculo dictum finem non consequendi : « non possumus uti opinione probabili cum periculo spiritualis aut temporalis damni proximi, semper ac (intelligitur) proximus est in certa sui juris possessione (1).» Hinc *a)* si agatur de justitia *commutativa*, licet speculative probabile sit objectum in dumeto latens non esse hominem, non est tamen practice probabile posse venatorem in illud plumbum ejaculare, sed practice certum est hoc non licere; item licet speculative probabile sit delictum esse commissum, jamque evasisse publicum, non est tamen practice probabile, posse ab unoquoque idem delictum divulgari; secus enim haberetur periculum lædendi jus certum quod proximus habet ad vitam vel famam, etc. Præter hanc obligationem omnibus communem, specialis habetur pro *medicis* et *chirurgis, advocatis, principum et prælatorum consiliariis, parochis*, qui ratione contractus vel quasi contractus habent obligationem *efficaciora medicamenta* adhibendi ad sanitatem restituendam, *validiora argumenta* afferendi ad causam vincendam, indicandi *media utiliora* ad prosperitatem obtinendam rectamque societatis gubernationem, tenendi *viam magis certam* ad procurandam salutem animarum sibi commissarum : idem fere dici potest de *professoribus* et *concionatoribus*. Quapropter licet speculative probabile sit tali remedio esse morbum curandum, non est tamen probabile practice posse illud a medico

(1) S. Alphonsus, hom. Apost. tr. 1, n. 33; Apologia anni 1769, n. 4.

præberi, si aliud securius præ manibus habeatur, sed practice omnino certum est istud aliud esse adhibendum; et ita de cæteris. *b)* Si autem sermo sit de justitia *legali*, quamvis probabile speculative sit præceptum superioris non esse justum, practice tamen probabile non est subditum posse obedientiam recusare, sed omnino certum est, propter necessitatem boni ordinis servandi, illum ad obedientiam teneri (1); pariter ob eamdem rationem quamvis speculative probabile sit rem quam Petrus possidet esse tuam, non est tamen practice probabile te posse illam auctoritate privata resumere (2). *c)* Demum si loquamur de justitia *distributiva*, judices debent in causis civilibus ferre sententiam pro parte probabiliori; ad hoc enim constituti sunt, ideoque merito damnata est sequens propositio : « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem (3); » in causis autem criminalibus, debent amplecti etiam minus probabilem faventem reo, siquidem hæc est magis tuta; unde etsi speculative probabile sit rem esse Petri, non est tamen practice probabile posse judicem illam Petro adjudicare, si Paulus pro se afferat meliores rationes; similiter, quamvis speculative probabile sit Petrum delictum commisisse, nihilominus practice probabile non est Petrum posse a judice condemnari (4).

317. Religio nos obligat ad reverentiam habendam erga res sacras; quapropter minister sacramenti, ubi de ejus valore agitur et defectus ab Ecclesia non suppletur, tenetur per se loquendo amplecti tutiora, si in praxim moraliter deduci possint. Proinde licet speculative probabile sit validum esse

religionis.

(1) Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 31; lib. 5, n. 47; Lacroix, de consc. n. 432-442.

(2) Cfr. Suarez, de leg. lib. 5 c. 18, n. 20, etsi non ita absolute loqui videatur Lugo de justitia et jure, disp. 16, s. 5, n. 99 et sqq. Legatur S. Alphonsus, lib. 1, n. 35.

(3) Prop. 2, ex damnatis ab Inn. XI.

(4) Cfr. S. Alph., lib. 5, n. 210.

baptismum cum lixivio, aqua rosacea etc. (1), nihilominus practice probabile non est posse, extra necessitatem, cum hujusmodi materia sacramentum confici. Diximus autem *ubi agitur de sacramenti valore*, scilicet de intentione, materia et forma. Diximus deinde *et defectus ab Ecclesia non suppletur;* si enim hæc defectum suppleat, v. g., in dubio conferendo jurisdictionem aut tollendo impedimentum juris, licite et valide proceditur ad sacramenti administrationem 2). Diximus tandem *per se loquendo, si moraliter fieri possit;* nam quando urget necessitas, licite amplectimur partem etiam parum probabilem; ut si infans esset moriturus sine baptismo et materia haberi non posset nisi incerta, oporteret uti hac materia; in eo enim casu minus tutum respectu sacramenti est tutius respectu salutis animæ, sacramenta autem instituta sunt pro hominibus (3). Ex quibus intelligitur quare et quo sensu damnata sit sequens propositio : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi : hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis et episcopalis. »

obedientiæ. 318. Tandem lex positiva, et idem dicendum de voto, aliquando nos obligare potest ad sequenda tutiora; in exemplum citari potest decretum Clementis III (4) ex quo habemus, quamvis speculative probabile sit mortem ex vulnere a sacerdote inflicto non esse secutam, non tamen practice probabile esse hunc sacerdotem posse in sacris ministrare, sed certum esse eum debere ab omni ministerio abstinere. Quod decretum

(1) Cfr. S. Alph., lib. 6, n. 103-104.

(2) Cfr. Lugo, de pœnit. disp. 19, sect. 2, § 1, n. 28 et sqq; S. Alphonsus, lib. 6, n. 572 et sqq. item, n. 901, 902.

(3) Cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 482.

(4) C. *Ad audientiam*, de hom. vo. 12.

egregie explicat Suarez (1); relatis enim verbis Pontificis quod « in dubio debeamus semitam eligere tutiorem, » sic pergit Doctor Eximius : « est (ibi) sermo de dubio speculativo, ex quo pendet dictamen conscientiæ, ut est in casu illorum textuum, an Petrus, v. g., fuerit mortuus ex vulnere inflicto a Paulo, nec ne. Ex quo infero, quando in illis textibus dicitur una pars securior et in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur quæstio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit quin operari cum periculo culpæ sit malum : peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu illo principio uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam quæ pauciora habet incommoda, et minoris momenti, omnibus pensatis ; periculum autem quod imminere dicit, non est aliud, nisi quia accidere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur, quod est contra decentiam ipsius rei et Ecclesiæ intentionem. Ex quo principio sic intellecto et ex judicio prudentiali in tali materia, nimirum tutius esse abstinere a ministerio sacro, colligit Pontifex legem quæ statuit ut ita fiat. Ut autem hoc statuat, necesse non est ut illud principium, in quo fundatur, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, sumatur in universum ut necessarium ad vitandam culpam, seu tanquam præceptum, satis enim fuerit quod Pontifex id existimaverit esse convenientius, et magis consentaneum prudentiæ, et juxta illud legem statuerit. Et ob eamden causam necessarium non est ut id, quod ibi Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium ex vi solius rationis naturalis : nam sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione, quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem, quæ necessitatem imponat. Si ergo Pon-

(1) De censuris, Disp. 40, s. 6, n. 8 et 9 ; cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 79 et lib. 7, n. 347.

tifex judicavit in hac materia expedire, ferri legem de sequenda tutiori parte, quia, in hoc quod dubius de tali facto abstineat, solum illud potest esse incommodum, quod hoc est onerosum tali personæ, et quod aliquando potest contingere, ut ille qui revera homicida non est, abstinere cogatur : at hoc quasi nihil existimatum sit a Pontifice, comparatum cum reverentia debita rebus sacris, et cum periculo quod aliquando homicida ministret. Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium ut in eo casu abstineret ; fuit autem sufficiens ut Pontifex lege sua id decerneret. Maxime, cum ipse potuerit judicare esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quod homo sua culpa vel negligentia actionem fecerit simili dubio expositam. Item, cum ad summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra. »

Præcedentium applicatio.

319. Generalem illam charitatis, justitiæ, boni ordinis etc. legem modo explicatam, supponunt axiomata communiter recepta, quibus practice resolvuntur non paucæ quæstiones speculative incertæ : « *In dubio pars tutior est sequenda ; in dubio, melior est conditio possidentis ; in dubio standum est pro valore actus ; quilibet præsumitur bonus nisi probetur malus ; in dubio favendum est reo ; factum non præsumitur nisi probetur* etc. Juxta unum vel alterum ex his principiis summi Pontifices non raro responderunt ad quæstiones particulares quid practice faciendum sit, quando speculative dubitatur an, v. g., matrimonium fuerit invalidum (1), an sacerdos sit homicida etc. (2). Advertendum tamen est sæpe contingere ut non satis constet an in casu particulari applicandum sit nec

(1) C. *Juvenis*, 3, de spons. Cfr. Sanchez, in præc. decal. lib. 1, c. 10, n. 15 ; item, S. Alphonsus, lib. 1, n. 79.

(2) C. *Ad audientiam* 12, *Significasti* 18. *Petitio tua* 24, de hom. vol. Cfr. Suarez, disp. 40, de censuris, sect. 6, n. 8 et 9 ; S. Alph. l. c. ; Wirceburgenses, de act. hum. c. 4, a. 3, n. 221.

ne aliquod hujusmodi principium, v.g., quando probabile est voto jam esse satisfactum (1), vel debita fuisse soluta (2), vel peccatum mortale in confessione fuisse expositum (3); nuper adhuc, ante declarationem datam die 17 decembris anni 1868 a S. Congregatione Inquisitionis, disputabatur de casu quo prior baptismus fuerit probabiliter nullus, relate ad obligationem confitendi peccata posterius commissa (4).

Confirmatio ex doctrina Lugonis.

320. Doctrinam quam hucusque exposuimus, egregie more suo tradidit J. De Lugo (5); cujus summi theologi verba liceat hic pro coronide referre claritatis et confirmationis causa: « Potest autem contingere quod detur probabilitas remota sine proxima: quia vel ex lege vel ex ipsa natura rei non sufficiet probabilitas remota ad spoliandum licite possessorem; nam iidem qui probabile credunt rem illam esse tuam, non dicunt probabile quod cum illa probabilitate remota possit condemnari Petrus ad reddendam tibi rem quam non constat esse tuam. Hanc autem differentiam utriusque probabilitatis agnovisse videntur Thomas Sanchez (6) et Suarez (7), dum dicunt nullum posse privata auctoritate rem sibi accipere quam alter possidet, quamvis probabilius judicet rem esse suam; posse tamen accipere si habet pro se opinionem dicentem fas esse possidentem spoliare: ubi apparet differentia inter utramque probabilitatem: prima enim est solum remota, quæ non sufficit ad licite operandum, proxima autem semper sufficit. Aliud exemplum ad hoc declarandum peti potest ex sacramentis: potest enim minister probabiliter, immo et probabilius opinari aliquam esse materiam vel formam sufficientem ad valorem baptismi, et tamen non poterit sine necessitate ma-

(1) Cfr. S. Alph., lib. 1, n. 29. (2) Cfr. Gury, tom 1, n. 721.
(3) Cfr. J. De Lugo, de pœnit. disp. 16, n. 59 et sqq.
(4) Cfr. Gury, tom. 2, n. 419; *Acta S. Sedis*, tom. 4, pag. 320.
(5) De just. et jure, disp. 16, n. 97.
(6) Lib. 6, in dec. c. 3, n. 7. (7) Lib. 5, de leg. c. 18, n. 20.

teriam illam vel formam probabilem adhibere : quia solum habet judicium probabile quod illa sit materia vel forma valida ; non tamen habet judicium probabile proximum quod licitum sit illam materiam vel formam adhibere. Ratio autem est, quia regula proxima operationis est illa a qua regulatur ejus bonitas ; parum ergo refert sola probabilitas remota, quæ extrinsece et materialiter se habere videtur ad operationem, si desit regula proxima probabilis. E contra vero, quando ultimum judicium et ultima regula probabiliter judicat hic et nunc licere hanc operationem, semper licite operamur. Unde dixi (1) in ipsis etiam sacramentis baptismi et ordinis sufficere aliquando opinionem probabilem, probabilitate scilicet proxima, ad licite operandum, v.g., quando est opinio probabilis doctorum dicentium non esse obligationem reiterandi baptismum vel ordinem collatum cum tali materia vel forma. Tunc enim probabilitas non versaretur circa materiam vel formam, sed circa obligationem reiterandi ; possum autem semper in qualibet operatione amplecti opinionem probabilem, quæ dicit me hic et nunc omnibus pensatis licite operari. »

IV.

COMPARATIO SENTENTIARUM PROBABILIUM.

321. Duæ sententiæ probabiles contradictoriæ comparari possunt vel quoad efficaciam rationum quibus innituntur, vel quoad securitatem quam præbent. Si comparentur *a)* quantum ad efficaciam rationum, una potest esse probabilior quam altera, vel potest utraque esse æque probabilis. Sententia *probabilior* ea dicitur quæ graviora habet fundamenta licet ad certitudinem moralem gignendam non sufficiant ; *minus pro-*

Sententia probabilior,

(1) Disp. 7, *de pœnit.* sect. 13, n. 275.

babilis illa dicitur cujus argumenta infirmiora quidem videntur quam sunt rationes alterius, solida tamen sunt et apta movere hominem prudentem. Aliis verbis : opinio probabilior est illa quæ « innititur fundamento graviori, sed pariter cum prudenti formidine de opposito : cum opinio opposita probabiliori possit etiam gravi fulciri fundamento, ac proinde pro illa potest revera stare veritas (1). » Posse aliquam sententiam remanere vere et solide probabilem, in concursu alterius probabilioris, per se patet et ex uniuscujusque experientia, in omni genere cognitionum, constat : « falsum est majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter et certo probabilis videatur. Secus tamen dicendum, si excessus non sit notabilis et probabilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit in opinionum concursu) vim accipiat ; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur (2) ; » quandonam vero hoc contingat, est quæstio *prudentis æstimationis ;* quam prudentem æstimationem melius quam ex doctorum definitionibus acquirere possumus pervolvendo opera theologorum, atque inspiciendo qua ratione controversias particulares tractent et de illis judicent auctores classici, inter quos sane eminet S. Alphonsus (3). Si vero eædem senten- minus probabilis;

(1) S. Alphonsus, Homo Apost. 1, edit. tr. 1, n. 29.

(2) S. Alphonsus, diss. anni 1755, n. 13.

(3) Ut tamen ejus mentem in hac materia rite assequamur, præ oculis semper habere debemus ejus monitum pro intelligentia totius operis. « Cæterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones approbare, ex eo quod non reprobem ; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, ut alii, pro sua prudentia, cujus ponderis sint adjudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem *veriorem* voco, tunc contrariam non habeo ut probabilem, etsi non expresse ut improbabilem damnem. Insuper quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo judicio dato de probabilitate alterius, aut

tiæ comparentur *b)* quantum ad securitatem quam præbent licet utraque vere tuta supponatur, utpote amovens omne periculum offendendi Deum, una tamen potest esse tutior quam altera : illa sententia vocatur *tutior* quæ magis removet a periculo legis violandæ etiam materialiter; *minus tuta* autem præ opposita vocatur illa quæ minus removet a periculo transgressionis materialis; quapropter sententia tutior illa dicenda est quæ legi favet, minus tuta autem quæ favet libertati; potest autem sententia probabilior esse minus tuta, et vicissim sententia tutior minus probabilis.

tutior,

minus tuta.

Exemplum.

322. Ea quæ modo diximus, exemplo familiari elegantissime proposuit A. De Sarara (1). Rem propriis ejus verbis dare liceat: « In convivio antecinerali, quod per noctem protrahitur, in æde D. Pauli audiebas horam proclamari; diligenterque attenta campanæ mole (minor enim est quæ dimidias præ ea quæ horas absolutas indicat), numeratisque sedulo ictibus, medium duodecimæ adhuc fluere recte et certo judicas. Ex hoc judicio formas conscientiam; statuis, inquam, sine fluctuatione ulla, actionem institutam te posse prosequi et ingenio indulgere. Hactenus recte et belle: omnia certa sunt. Certum enim est judicium quod conscientiam præit: nimirum necdum esse noctis medium; certum item est judicium quod de comedendis carnibus conscientia efformavit. At paulo post ex æde D. Petri nuntiatur horam esse duodecimam. Hic jam subito percelleris, suspendis paululum, quod ante indubitato tuleras, judicium illudque in opinionem decrescit. Neque enim jam amplius certo judicas licitum esse vesci carnibus, sed tantum opinaris ; judicas enim cum formidine, quam quidem ingessit, de dimidiata nocte, contraria opinio ab horologio D. Petri excitata.

utor hoc verbo: non audeo damnare ; non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed judicio prudentiorum remittere. »

(1) Op. cit., tr. 4, § 2.

At vero cum æque firma sit ratio quæ utramque fulcit; nimirum horologiorum æqualis, ut ita dicam, fama et auctoritas, conscientia hic stat inter duas opiniones perinde verisimiles et æque probabiles. Quod si vero sic inter utramque opinionem hærenti in mentem veniat, eo die aut alias sæpius horologium D. Petri præ D. Pauli horologio, a solis hora aberrasse; aut certe si in tertio D. Andreæ horologio, etiam audiatur medium duodecimæ, cum duodecima est in D. Petri, tunc sane accrescit opinio quam ex D. Pauli horologio prius conceperas; et sic medium tantum esse duodecimæ, ac proinde lege jejunii te nondum obstringi, opinio est præ altera probabilior. Quod si tunc statuis carnibus te vesci posse, opinionem probabiliorem secutus esse censeberis; nam plures firmioresque rationes cum sint quæ medium duodecimæ esse decernant quam quæ duodecimam, probabilius est etiam ita rem se habere. Denique, quamvis probabilius longe sit, legem necdum obstringere ideo quod dies Martis verosimilius evolutus adhuc non sit, si tamen ob formidinem, quam incutit D. Petri horologium, cujus sententia etiam adhuc est probabilis, nec per contrarias rationes plane elisa, statuat conscientia carnibus abstinendum, tum quidem minus probabilem, sed tamen magis tutam opinionem secuta vulgo dicetur. Longe enim a peccato materiali committendo remotior est eo casu carnis abstinentia quam comestio. Fieri enim potest, uti sæpe fit, ut opinionis illius, longe licet probabilioris, objectum esset falsum nihilominus; et sic lex jejunii infringeretur saltem materialiter. Infractionis autem nullum est periculum, si minus probabili adhæret opinioni conscientia: etenim si minus probabilis, est tamen magis tuta. Atque hic demum est quæstionis tantis studiis, tantaque contentione animorum per hos dies (anno sc. 1667) agitatæ, status, quantum reor, expositus dilucide. »

§ II.

QUÆSTIONIS SOLUTIO.

Indicatio materiæ.

323. Declarato statu controversiæ, sententiam quæ nobis certa videtur, proponemus, ejusque veritatem argumentis demonstrabimus; illam deinde, quantum necesse erit, explicabimus, ac demum ad quosdam casus particulares applicabimus.

I.

STATUS CONTROVERSIÆ.

Disputationis objectum et natura.

324. Gravis disputatio agitatur ad quid practice se possit vel debeat resolvere ille qui actionem aliquam, post diligentiam necessariam, apprehendit ut a parte rei non certo sed probabiliter tantum licitam. Omnes quidem theologi agnoscunt cum sola hujusmodi probabilitate non posse directe obtineri conscientiam certam; at alii, nullum admittentes principium reflexum saltem ut sufficienter probatum, existimant in prædicto casu semper tutius eligendum et consequenter standum esse pro lege; alii e contra, principia reflexa ut evidenter demonstrata habentes, statuunt tunc stari posse pro libertate, quia vi horum principiorum formatur indirecte conscientia omnino certa de liceitate actionis.

Distinguuntur ex una parte

325. Illi qui nullo modo aut accessorie tantum principia reflexa admittunt vocantur vel *antiprobabilistæ*, quia omnem proprie dictæ probabilitatis usum in re morali rejiciunt; vel *tutioristæ*, quia docent in dubio semper sequendam esse partem tutiorem; vel *rigoristæ*, quia consequenter ad suum systema plures hominibus imponunt obligationes graves et

difficiles. Distinguuntur autem in strictos et mites, pro gradibus certitudinis directæ quos exigunt ad licite operandum.

326. Juxta rigoristas strictiores requiritur ad licite operandum certitudo directa *absoluta*. Eorum doctrina, quæ ab Alex. VIII (1) damnata est, sic exponebatur: « Nemo nescit humanam quamcumque opinionem, eo ipso obnoxiam esse periculo erroris, quod non transcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam reipsa errare, prout contingere potest, quisquis ei se in operando vel in otiando conformaverit, opinione falsa decipietur. Non ergo ad vitam sed ad mortem verget, dicente Lactantio : in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit. Ubi notatu dignum est Lactantium loqui non de opinione improbabili, sed simpliciter de falsa : qualis potest esse ea quæ non solum probabilis, sed etiam inter probabiles probabilissima existit. *Sicut enim opinio sive minus probabilis, sive etiam minus quam probabilis, potest esse vera : ita ex adverso opinio probabilior, vel etiam probabilissima, potest esse falsa. Quamdiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plene obviatur. In materia autem morum necessaria, prout ex Lactantio mox audivimus, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur* (2). »

rigoristæ strictiores

327. Rigoristæ mitiores, quorum sententia non fuit damnata, docent ad licite operandum requiri certitudinem directam non quidem absolutam, sed tamen *latam* seu *moralem*. Ita Antoine: « Licet sequi opinionem minus tutam de licito, *quando post debitam veritatis inquisitionem, apparet certo ac valde probabilis, et multo probabilior opposita, ita ut excludat dubitationem et formidinem rationabilem errandi* (3). » Eodem modo Gaz-

et rigoristæ mitiores;

(1) Cfr. prop. 3.

(2) Sinnichius, Saul. ex-rex lib. 1, c. 95, n. 357. Cfr. Wendrochius sc. Nicole, in nota ad epistolam Provincialis v et quotquot extiterunt Janseniani.

(3) De consc. c. 4, q. 4.

zaniga : « Licitum est sequi opinionem minus tutam, dummodo sit vere et multis gradibus probabilior quam altera. » Quam thesim sic demonstrat : « *Ad licite operandum non requiritur semper metaphysica vel physica certitudo de liceitate actionis, sed, quando hæc deest, sufficit alia duntaxat moralis ; atqui, ubi opinio minus tuta est vere et multis gradibus probabilior, habetur hæc certitudo moralis de honestate actionis ;* ergo etc. Major est certa apud omnes.... Probatur autem minor..... ex ratione : *quando enim una pars alteri in probabilitate longe præstat, hic major probabilitatis excessus ita contraria argumenta elidit, atque enervat, ut levia ac pene nulla jam videantur, ex quo efficitur ut iis plane contemptis, veluti inanibus scrupulis, probabiliori sententiæ morali certitudine adhæreamus* (1). »

ex alia parte

328. Illi qui principia reflexa et consequenter proprie dictæ probabilitatis usum in re morali admittunt, vocari possunt *probabilistæ*, licet hoc nomine eorum pars tantum designari soleat ; distinguuntur enim in *probabilioristas*, *æquiprobabilistas*, *et probabilistas simpliciter*, pro diversis gradibus probabilitatis quos in aliqua sententia requirunt ut eam sequi liceat.

probabilioristæ,

329. Docent probabilioristæ licitum esse « *sequi opinionem manifeste et solide probabiliorem minus tutam seu faventem libertati in concursu minus probabilis tutioris seu faventis legi ;* » attamen « *in conflictu duarum opinionum æque probabilium de honestate objectiva actus, sequendam esse tutiorem ;* » a fortiori *licitum non esse* « *sequi sententiam minus probabilem et minus tutam, relicta probabiliori et tutiori* (2). »

aquiprobabilistæ,

330. Æquiprobabilistæ censent *licitum esse* « *sequi opi-*

(1) De consc. prob., n. 140, 141 ; cfr. Patuzzi, tr. 2, c. 9 § 2 ; L. Habert, de consc. c. 4, etc.

(2) Billuart, de act. hum. diss. 6.

nionem minus tutam vere probabilem, relicta opinione tutiore æque vel fere æque probabili; » *illicitum tamen esse sequi opinionem minus probabilem, relicta tutiore et certe probabiliore* (1). »

331. Probabilistæ puri existimant *licitum esse* « *sequi opinionem vere et solide probabilem relicta tutiore æque probabili vel etiam vere probabiliori, ubi de solo licito vel illicito agitur* (2). » et probabilistæ.

332. Infra Probabilistas recenseri solent Laxistæ ab Innocentio XI damnati (3); hoc autem nomine vocantur illi qui docuisse perhibentur *licitum esse sequi sententiam vel tenuiter et dubie probabilem, vel probabilem tantum speculative.* Laxismus igitur, prout systema, est abusus probabilismi, non sane ab ipso originem ducens sed ex hominum malitia aut imprudentia proveniens. A laxismo vero sic considerato quatenus est systema, distingui debent *propositiones laxæ;* hujusmodi enim propositiones, in quibus absque fundamento obligationes negantur vel temere in dubium revocantur, traditæ sunt a theologis cujuscumque scholæ (4). Laxistæ.

II.

ASSERTIO PROBABILISMI.

333. *Licitum est sequi sententiam certo probabilem practice, non quod sola probabilitas sufficiat ad præbendam agendi securitatem, sed quia stante hac probabilitate, per principium reflexum, obtineri potest moralis certitudo de honestate operationis.* Dicimus *a)* sententiam *probabilem;* Vera probabilismi indoles

(1) Müller, lib. 1, p. 1, § 84; Scavini, n. 97 et sqq.
(2) Gury, tom I, n. 60. (3) Prop. 3.
(4) Cfr. prop. 28-31 ex damnatis ab Alex. VIII; item *Propositiones per Belgium disseminatæ etc.*, Col. 1692.

quæ scilicet gravi fundamento sit innixa, et talis remaneat etiam in concursu alterius oppositæ, ita ut agens interrogatus an a parte rei existat obligatio, prudenter respondere debeat : fortasse, sed non possum affirmare. Dicimus *b)* « sententiam *certo probabilem*, non vero tenuiter aut dubie tantum probabilem ; nam imprimis tenuis probabilitas, probabilitas non est, sicut tenuis prudentia non est prudentia, adeoque opinio tenuiter probabilis non est reipsa probabilis, quod sæpe monuit S. Alphonsus (1) ; deinde cum opinione dubie aut probabiliter tantum probabili, ut ex sequentibus apparebit, non potest obtineri conscientia certa, siquidem probabilitas opinionis est una ex præmissis unde conclusio circa liceitatem actionis hic et nunc ponendæ, deducitur. Dicimus *c)* sententiam *probabilem practice;* nam probabilitas speculativa immediate non refertur ad honestatem operationis, atque idcirco per se non spectatur ut norma agendi (2). Dicimus *d) quia stante hac probabilitate* etc. ut innuamus ad quid per se et præcise deserviat probabilitas opinionis; non enim admittimus, si materialiter intelligatur, formulam « qui probabiliter vel probabilius agit, prudenter agit. »

Probabilismus rite intellectus nihil commune habet cum propositionibus ab Innocentio XI damnatis 3 et 4 ;

334. Hinc nihil cum thesi nostra commune habet propositio ab Innocentio XI damnata : « Generatim dum probabilitate intrinseca seu extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » In hac enim propositione admittitur usus probabilitatis *quamtumvis tenuis* : insuper videtur sumi probabilitas extrinseca disjunctive ab intrinseca ; præterea innuitur sufficere ad prudenter agendum solam probabilitatem ; demum nulla fit distinctio inter probabilitatem practicam et speculativam, quæ omnia principiis nostris omnino repugnant. Non magis huc pertinet alia propositio ab eodem Pontifice damnata :

(1) Cfr. supra, n. 308. (2) Cfr. supra, n. 312 et seqq.

« Ab infidelitate excusabitur infidelis, si non credat ductus opinione minus probabili; » secus dicendum esset ad credendum teneri illum qui nondum est certus de revelatione facta, sed eam factam esse probabilius existimat; atqui non solum tunc credere non tenetur, sed neque credere potest juxta doctrinam S. Thomæ (1), et ipsius Innocentii definitionem (2). Igitur infidelis qui ductus opinione probabili non credit, peccat quidem; at non ideo præcise peccat, quia cum hujusmodi incertitudine non credit, verum quia in tali statu constitutus non magis inquirit veritatem, ad quam, adjuvante Dei gratia, certo pervenire potest; adeoque defectus ulterioris investigationis et diligentiæ reddit ignorantiam ejus *culpabilem*. Probabilismus autem supponit diligentiam sincere et frustra adhibitam, et consequenter ignorantiam *invincibilem* (3). Bene A. de Sarasa (4) : « Potest aliquis, inquies, contra opinionem suam quam judicat esse probabilem, tuto sequi alienam eique acquiescere, ergo et hæreticus qui catholicam religionem judicat probabilem, poterit etiam hæresi suæ, quam ob auctoritatem magistrorum suorum judicat probabilem, semper adhærere, eique securus immori. Nego consequentiam; disparitas exinde est quod hæreticus ille probabiliter tantum opinatur circa rem quam scire potest, et cujus veritatem scit se posse deprehendere. Hinc imprudenter et male opinioni acquiescit ejus rei, cujus dari potest scientia vera et certa, dummodo moralem ei indagandæ diligentiam adhibeat. In aliis autem materiis cum veritas certa inveniri non possit, quocumque demum studio inquiratur, prudenter omnino opinioni acquiescit, ultra quam non datur propius ad veritatem accedere. Quod si enim morali adhibito labore, veritas rei possit erui, in quacumque materia sit, tum vero fateor in-

(1) 2. 2, q. 1, a. 5. (2) Cfr. prop. 21.
(3) Cfr. supra, n. 302.
(4) Ars semper gaudendi, tract. 5, § II, n. 17.

genue, probabilem opinionem, quamdiu talis esse noscitur et decernitur, ab errore materiali, quem certo potuit et debuit evitare, agentem ex tali opinione, ab infracta lege non absolvere aut excursare (1). » Neque ad rem facit decretum S. Inquisitionis de die 26 Februarii 1761, quo damnatum fuit folium inscriptum: « *Probabilismus publicæ disputationi... expositus etc.* ; siquidem iteratis vicibus S. Alphonso declaratum est tum a secretario Indicis, tum a Magistro S. Palatii, tum a Majori Pœnitentiario hoc decreto non attingi ullam ex illis quæstionibus quæ inter catholicos controvertuntur (2). » Quod demum attinet ad Clementinam *Exivi*, docet S. Alphonsus (3) quod in casu pro quo data est, « non agebatur de duabus partibus æque probabilibus, sed tantum, an adesset obligatio illam sequendi partem, quæ, juxta regulæ rigorem, et juxta id quod Nicolaus III jam declaraverat, non tantum tutior sed erat unice tuta; cum jam constabat, regulam ex vi verborum et gravitatis materiæ obligare ad observanda tanquam præcepta, non solum principalia tria vota religionis, sed etiam consilia evangelica, quæ in regula exponebantur, et ideo ipsa præteriri non poterant, sine gravi conscientiæ remorsu. Hinc dixit Clemens, advitandos hujusmodi remorsus tenendam esse securiorem partem quæ reipsa erat unice vera et unice secura, et ex illa parte nullæ rationes suppetebant, quæ transgressionem illorum consiliorum a gravi culpa excusare valebant. »

cum folio a S. Cong. Indicis proscripto ;

cum Clementina *Exivi*.

III.

DEMONSTRATIO PROBABILISMI.

Argumentorum indicatio.

335. Multa quidem afferri possunt et ab auctoribus afferuntur argumenta pro probabilismo, quæ tamen sæpe ejusdem argu-

(1) Cfr. Cardenas et Viva, in h. p.
(2) Cfr. syst. mor., n. 85 et 86.
(3) Syst mor., n. 79.

menti diversæ formæ potius sunt quam rationes reipsa diversæ; ex his duo tantum brevitatis simul et claritatis causa, evolvemus, unum a ratione, alterum ab auctoritate.

ARGUMENTUM A RATIONE.

336. Quando duæ circa legem, vel, quod idem est, circa legis extensionem, exstant sententiæ probabiles, obligatio objectiva, seu vis ligandi est incerta; atqui obligatio objectiva, seu vis ligandi incerta, non potest inducere obligationem subjectivam, seu necessitatem obediendi : ergo, etc. Major est evidens : obligatio enim objectiva, seu vis ligandi, pertinet ad essentiam legis (1); unde quando incertum est utrum lex existat, vel utrum lex existens sese extendat ad talem vel talem casum, objectiva illa obligatio etiam erit necessario incerta. Minor autem novo syllogismo evincitur : obligatio objectiva seu vis ligandi incerta, si inducere posset obligationem subjectivam seu necessitatem obediendi, hoc efficeret vel per se vel ratione principii superioris, scilicet alicujus legis generalissimæ; atqui neque per se, neque ratione principii superioris id efficere potest : ergo etc. Major hujus syllogismi per se satis patet; unde sola minor probatione indiget. Lex incerta

337. Itaque probatur prima pars minoris subsumptæ, scilicet *obligatione objectiva incerta non posse induci per se obligationem subjectivam.* Ratio est *a)* indirecte, quia objectiva obligatio seu vis ligandi est causa, obligatio vero subjectiva seu necessitas obediendi est effectus : ergo qui judicat se ad aliquid teneri, judicare debet adesse imperium ex quo tenetur; impossibile autem est ut quis modo absoluto et firmo judicet adesse imperium, et simul incertus maneat utrum imperium adsit. Ratio est *b)* directe, quia ut obligatio objectiva inducere possit obligationem subjectivam, debet ap- nec per se,

(1) Cf. supra, n. 86.

plicari voluntati, seu illi proponi; applicatur autem seu proponitur voluntati per scientiam, ut bene explicavit S. Thomas verbis jam superius (1) relatis: « Unde nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur; attingit autem ipsum per scientiam; unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti. » Jam vero obligatio objectiva, quousque incerta est, non est sufficienter voluntati applicata et proposita, siquidem de ipsa non habetur scientia; « quomodo enim dici potest aliquem scire præceptum, si ipse sciat præceptum esse dubium? Tunc omnino dicendum quod ille præceptum ignorat, cum dubitat an præceptum adsit vel non (2). » Cæterum in hoc puncto non multum adversarii a nobis discrepant (3).

nec ratione principii superioris,

338. Probatur secunda pars minoris subsumptæ, scilicet *obligatione objectiva incerta non posse induci obligationem subjectivam ratione principii superioris;* sive aliis verbis *nullam dari legem generalem certam nos adstringentem ad conformandas actiones nostras legibus particularibus quæ vel probabiliter non existunt vel probabiliter non urgent in casu.* Et sane unicum quod afferri potest et reipsa affertur hujusmodi principium, sequentibus formulis solet exprimi: « debemus vitare periculum peccandi, » et consequenter: « in dubiis debemus sequi tutius (4). » Jam vero ista intelliguntur vel de necessitate vitandi periculum peccati *formalis*, vel de necessitate vitandi periculum peccati *materialis*. Si intelligantur de necessitate vitandi periculum peccati formalis, fatemur quidem existere talem legem, sed omnino negamus ullum adesse in casu nostro ejusmodi periculum; nam peccatum formale habetur solummodo in transgressione obli-

(1) Cf. n. 288. (2) S Alph. syst. mor., n. 76.
(3) Cf. Billuart, diss. 6, a. 2, obj. 1.; Gazzaniga, de act. hum. diss. 3, c. 3, n. 65. (4) Cfr. Billuart et Gazzaniga, ll. cc.

gationis subjectivæ; ostendimus autem evidenter et adversarii concedunt obligationem subjectivam *per se* oriri non posse ex obligatione objectiva incerta; ergo quando obligatio objectiva est incerta nullum adest periculum peccati formalis, quin potius certissimum est peccatum formale non adesse. Si vero intelligantur de necessitate vitandi periculum peccati materialis, advertimus hujusmodi obligationem gravissimam non asserendam tantum esse, sed probandam, et quidem certo; secus enim procederemus in indefinitum. At non solum non probatur certo talem obligationem dari, sed probari potest eam non dari. Ratio autem est imprimis, quia, quamvis omnis legis violatio, etiam materialis, sit aliquod malum, rationabile tamen non est, ut ad præcavendas nonnullas transgressiones materiales, teneamur multa facere quæ a parte rei non præcipiuntur, idque cum periculo transgressionum formalium. Profecto incredibile videtur Deum bonum hominibus infirmis qui media omnia sibi possibilia ad veritatem cognoscendam adhibuerunt, eamque non cognoverunt, tale onus imposuisse (1). Præterea, si ista obligatio revera haberetur, non mansisset ignota tot viris piissimis ac doctissimis qui a longo tempore summa diligentia circa ipsam

(1) Hoc principium clarissima in luce positum est a R. P. Matignon in doctissimo periodico : *Études religieuses*. 1866. « Or, serait-il de la sagesse d'un législateur prudent d'étendre tellement les effets du précepte, qu'il embrasse même les cas auxquels son application est douteuse? En d'autres termes, lorsque, toutes choses pesées mûrement, une véritable incertitude subsiste, soit sur l'existence d'une loi, soit sur son interprétation par rapport à une circonstance donnée, faudra-t-il juger que le législateur prétend nous enchaîner, nonobstant cette incertitude et malgré notre ignorance? Ne devra-t-on pas penser au contraire que la loi, telle qu'on la connaît, ne disant rien de précis sur la matière, n'est pas manifestée suffisamment pour y être étendue? quand il s'agit de Dieu, sa bonté ne nous autorise-t-elle pas à croire qu'il aurait éclairé davantage le devoir s'il avait voulu l'imposer? et quand il s'agit d'une autorité purement humaine, ne sommes-nous pas en droit de la récuser, si elle parle d'une manière équivoque? »

inquisierunt: agitur enim de aliquo puncto juris naturalis ad omnes homines et ad praxim quotidianam pertinente (1).

obligationem inducere potest.

339. Quum itaque lex incerta non possit vi sua obligationem inducere, nec aliunde adsit lex generalis superior, qua tenemur observare leges particulares incertas, sequitur hominem liberum manere in iis omnibus quæ non moraliter certo constat esse prohibita, adeoque licet unicuique sequi sententiam certo probabilem practice de liceitate suæ actionis. Etenim « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te 2). Prius itaque Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo beneplacito libertatem, juxta id quod scribit Apostolus: Potestatem habens suæ voluntatis (3). Et postea mandata quæ tenebatur servare, adjecit, ac imposuit; et ideo hominis libertas cum certa sit, possideatque ante legis obligationem, ipsa non nisi a lege certa ligatur (4). »

(1) Cfr. Wirceburgenses, n. 269. (2) Eccli. 15, 14.

(3) 1 Cor. 7, 37.

(4) S. Alph., syst.mor.77. Fundamentale istud principium egregie rursus explicatum est a R. P. Matignon. l. c. «Le fondement sur lequel repose toute la théorie probabiliste, c'est que la conscience garde son indépendance tant qu'on ne lui montre pas une loi certaine qui y mette obstacle. C'est là ce que signifie ce principe qu'on n'a tourné en ridicule que parce qu'on ne l'a pas suffisamment compris : *libertas possidet*, la liberté a pour elle une sorte de *possession ;* elle ne peut être évincée que sur de bonnes preuves.

Les antiprobabilistes nous disent : vous supposez ce qui est en question ; l'homme n'est libre moralement qu'autant qu'il se démontre à lui-même la légitimité de son acte ; avant de rien affirmer, il faut qu'il examine s'il y aura conformité entre sa conduite et son devoir ; la loi et la liberté sont corrélatives, et l'on ne peut établir la *possession* au profit de l'une plutôt que de l'autre.

Ce raisonnement renverse l'ordre naturel et confond des choses essentiellement distinctes.

Oui, sans doute, avant de se déterminer, l'homme doit pouvoir prononcer avec certitude sur l'honnêteté morale de l'acte qu'il va accomplir;

ARGUMENTUM AB AUCTORITATE.

340. Ut tota hujus rationis efficacia percipiatur, breviter percurremus singulas ætates, examinando quomodo in ipsis sese habuerit doctrina quam defendimus.

341. Usque ad sæculum decimum sextum labens, probabilismus explicite quidem propositus non est; eum tamen implicite fuisse agnitum et in praxim communiter deductum, innumera probant SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum testimonia, quorum nonnulla hic speciminis gratia afferimus.

Probabilismus admittitur a SS. Patribus,

mais cette honnêteté ne saurait être révoquée en doute, tant que la voix de la conscience ne s'élève point pour la nier. *L'interdiction se prouve et ne se présume pas. Je n'ai pas besoin d'une permission explicite pour être libre, tandis que je dois voir une raison positive pour comprendre que je cesse de l'être.*

Il ne s'agit nullement ici de gravir jusqu'aux cimes ardues de la métaphysique, ni d'aller chercher, dans les mystères de l'essence divine, comment s'allient entre elles l'idée de la loi et l'idée de la liberté. Restons dans l'ordre purement humain; mettons-nous à un point de vue plus accessible et ne sortons pas de la question pratique, puisque, après tout, c'est celle-là qu'il faut terminer.

De fait l'homme existe et il se conçoit comme libre, avant de se concevoir comme soumis à une loi morale. Le précepte positif, et même le précepte naturel, présupposent la liberté et ils s'y surajoutent; tant que la conscience ne les a pas reconnus, elle n'a aucun motif pour circonscrire le champ assigné à son action ; la liberté règne alors sans conteste, elle occupe, pour ainsi dire, tout l'espace qui n'a pas été réservé, et, comme le fleuve, elle ne peut être refoulée dans un lit plus étroit, qu'à la condition de voir s'élever devant elle des digues qui lui ferment le passage.

Où sont ces digues ? Voilà ce qu'il faut montrer. C'est à l'obligation qu'il incombe de se prouver elle-même ; ce n'est pas à la liberté à établir son existence. Et je parle, on le comprend, de la liberté morale, puisque, aussi bien, elle ne se distingue de toute autre qu'autant que la loi existe et qu'elle est connue. Si la loi a posé son *veto* sur certains actes, ils échappent aussitôt au domaine de la liberté ; jusque-là on ne voit pas pourquoi ils lui seraient soustraits, puisqu'ils ne sont marqués d'aucun signe; puisque rien n'indique une interdiction provenant d'une autorité compétente. »

Lactantius, explicans quare ethica philosophorum nullum in vitam hominum habeat influxum, hanc affert causam : « Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod a scientia veniat. Sed *cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa et varia proferantur, stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint an falsa dubitatur; et ideo nemo paret quia nemo vult ad incertum laborare* (1). » S. Gregorius Nazianzenus,Novatianum quemdam alloquens, sic eum urget : « An ne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum, ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit..... Verum, inquis, hæc minime post baptismum. Quo argumento id confirmas? *Aut rem ita se habere proba : aut, si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas* (2). » Disputabatur sæculo quarto utrum ad episcopatum promoveri possent illi qui duas successive uxores duxerant, unam ante, alteram post baptismum; alii communius negabant, alii tamen affirmabant : utraque opinio in praxim deducebatur, ut multis exemplis præsertim ex Hispania constat. Quum autem a quodam Rufini discipulo reprehenderetur S. Hieronymus, quod posteriorem docuisset (3) sic respondit : « Audio præterea objici mihi a Chrysogono, sectatore ejus : cur in baptismate dixerim universa peccata dimitti, et mortuo bimarito novum virum in Christo resurgere : atque istiusmodi sacerdotes in Ecclesiis esse nonnullos. Cui brevi sermone respondebo : habent libellum quem in crimen vocant : ille respondeat; hunc sua disputatione subvertat, et scripta scriptis arguat. Quid austeritate frontis et contractis rugatisque naribus, concava verba trutinatur, et sanctitatem apud vulgus ignobile simulato rigore mentitur? Audiat nos iterum proclamantes : veterem

(1) Div. inst. lib. 3, c. 27.
(2) Or. 39 in sancta lumina n. 19, ed. Migne.
(3) Epist. ad Occanum.

Adam in lavacro totum mori et novum cum Christo in baptismate suscitari : perire choicum et nasci supercœlestem. Hæc dicimus non quod ipsi, propitio Christo, hac quæstione teneamur : sed interrogati a fratribus quid nobis videretur, respondimus, *nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes* (1). » Iisdem principiis aliam quæstionem, inter fideles suo tempore agitatam, solvit S. Augustinus : « Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. *Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus* (2). »

Similia habent præcipui scholæ magistri. Etenim S. Thomas ex una parte semper docuit neminem recte operari nisi habeat conscientiam certam de honestate suæ actionis (3); ex altera vero parte constanter agnovit legem non obligare nisi per ipsius *notitiam* applicetur (4), legem esse *mensuram* et hanc mensuram debere esse *certissimam* (5), nullum ligari per præceptum aliquod nisi mediante *scientia* hujus præcepti, etc. (6). Dixerunt nonnulli nomine scientiæ apud S. Thomam non intelligi cognitionem certam, sed tantum simplicem præcepti notitiam, quæ, juxta ipsos, in nostro casu sufficienter jam habetur ob utriusque opinionis probabilitatem. At bene respondet S. Alphonsus : « quod sub nomine scientiæ intelligatur probabilis notitia, hæc est novi vocabularii nova significatio,

et a Scholasticis;

(1) Apologia adversus Rufinum, lib. 1. Cfr. Christ. Lupus, diss. de op. prob.
(2) Epist. 54, al. 118, seu ad inquisitiones Januarii, lib. 1, c. 7, n. 9.
(3) Cfr. in 4, dist. 21, q. 2, a. 3, ad 3; quodl. 9, a. 15.
(4) 1. 2. q. 90, c. 4.
(5) 1. 2. q. 19, a. 4, obj. 3, cum resp.
(6) De verit. q. 17, a. 3.

dum philosophi omnes cum eodem S. Thoma distinguunt opinionem a scientia quæ accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis (1). » S. Bonaventura, de votis agens super quibus Papa dispensare possit, tres in medium adducit opiniones, et deinde concludit: « quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire et satis potest quælibet sustineri; si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum (2). » Non aliam doctrinam proposuit postea S. Antoninus, siquidem duo constanter requirit ad honestatem operationis: primum, ut agens non dubitet practice de bonitate actus (3), alterum, ut sententiam quam sequitur non sit contra auctoritatem expressam S. Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ catholicæ (4); « *Si dicerctur hic esse usuram, et usura est contra decalogum: respondetur, usuram esse contra præcepta decalogi verum est reductive; sed hunc contractum esse usurarium non est clarum, cum sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant* (5). » Advertatur autem, ante exortas circa aliquam materiam controversias, non solere auctores ita accurate loqui, easque formulas eligere quibus æquivocationis periculum removeatur; æquitas vero et logica postulant ut, quantum fieri potest, difficiliora hujusmodi loca juxta communem doctrinam interpretemur. Hinc conformiter ad hoc principium, quando quidam doctores scholastici videntur excludere omnem probabilitatem, vel exigere ut agamus juxta probabiliora, commode explicari possunt et debent sive de dubio practico (6), sive de conscientia vincibiliter errante (7), sive de majore probabilitate quæ sit certitudo moralis directa aut reflexa (8).

(1) Syst. mor. n. 76 et 78. (2) In. 4, dist. 38, a. 2, q. 3.
(3) Summa, p. 1, tit. 3, cap. 10, § 10, reg. 4. (4) Ibid.
(5) P. 2, tit. 1, c. 11 § 28
(6) Al. Alensis, in summa p. 2, q. 112, de ign. cas. 8; Scotus Prol. q. 2, n. 15.
(7) S. Thom. quodl. 8, a. 13; quodl. 9, art. 15; S. Bon. opusc. de prog. Relig. lib. 2, c. 12. (8) S. Antoninus, q. 1, t. 3, c. 10, § 10, reg, 4.

342. Quamvis itaque omnibus retro ætatibus in usu fuerit probabilismus, nondum tamen scientifice in systema redactus et propositus fuerat: id vero præstitit anno 1577 Bartholomæus De Medina O. P. Ejus autem doctrina, non ut novitas damnanda habita fuit, sed ita conformis regulæ morum in Ecclesia receptæ visa est, ut nemo adversus eam reclamaverit, omnes vero, mirabili consensu, statim eam sint amplexi. In propugnando enim probabilismo convenerunt cum laicis presbyteri, Episcopi, Cardinales; cum clero sæculari regulares; discipuli S. Thomæ cum Scoti discipulis; Dominicani (1) cum Jesuitis, eo præcise tempore quo celebres de gratia inter se controversias habebant; demum cum universitatibus Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, facultates Parisiensis (2), Lovaniensis (3), Duacena (4). Scriptores typis impressi probabilismum tuentes jam afferebantur anno 1664 ab Alphonso de Sarasa (5) centum quinquaginta novem, ac paulo post a Terillo (6) ducenti, qui idcirco affirmare audebat pro probabilismo citari posse quadraginta auctores, ubi pro opposito citatur unus. Hinc vere Mastrius (7): « *hæc est sententia communissima et receptissima in omni schola in hoc currenti sæculo.* »

explicatur a theologis recentioribus;

343. Acerrima quidem contra probabilismum mota est controversia sæculo decimo septimo mediante, et toto sæculo subsequente. At multa sunt circa hanc controversiam animadvertenda. Et quidem imprimis *a)* impugnatio exorta est non ex parte Ecclesiæ, sed ex parte hæreseos; quamvis enim postea multi viri optimi, sincero purioris ethicæ zelo, probabilismo in-

impugnatur occasione Jansenismi;

(1) Cfr. Didacus Alvarez, in 1-2, q. 19, a. 6, disp. 80, n. 1; Petrus Ledesma, theol. mor. p. 2, tr. 8, c. 22, dub. 2; D. Bannez, 2-2, q. 10, etc.

(2) Cfr. Isambertus, 1-2, q. 19, disp. 9. a. 4; Gammachæus, in 1-2, q. 19, c. 2, de act. hum.; Duvallius, de act. hum. q. 4, a. 12.

(3) Cfr. Malderus, 1-2, q. 19, disp. 86, concl. 3; Wiggers, 1-2, q. 19, a. 6, dub. 6, n. 44. (4) Cfr. Sylvius, in 1-2, a. 5, quær. 9, concl. 3.

(5) Ars semper gaudendi, t. 2, tr. 4. (6) De consc. prob. q. 22, n. 9 et sqq. (7) Disp. 5, q. 2, a. 1,

fensi fuerint, primum tamen plures adversus illum impulit, non sanctus amor doctrinæ sanioris, sed perversum sectæ studium : id manifestum esse debet unicuique consideranti bellum adversus probabilismum eo præcise tempore ortum habuisse, quo Jansenismus late divulgari cœpit; scriptores etiam, qui vehementius insectati sunt probabilismum, vel aperte Jansenianos, vel de Janseniano errore valde suspectos extitisse (1); Jansenianos item fuisse Præsules qui probabilismum, tanquam omnium malorum radicem, damnarunt (2); demum, arte sane Janseniana, soli fere societati Jesu, utpote sectæ debellatrici, per invidiam adscriptos fuisse veros et præsertim fictitios probabilismi abusus, dum tamen apud omnes constaret illud systema prius commune fuisse tum clero sæculari tum cœteris ordinibus religiosis. *b)* A multis impugnatus est non verus probabilismus, quem nimirum docuerant magni magistri, sed vel exaggeratus vel etiam omnino fictitius, et plenus, pro necessitate causæ, horridissimis sequelis. *c)* Præterea probabilismus impugnatus est non solidis rationibus, sed sæpe calumniis, conviciis et exclamationibus (3), fere semper meris æquivocationibus, vel textibus S. Scripturæ, SS. Patrum, RR. Pontificum nihil ad rem pertinentibus, immo aliquando plane ridiculis, aut etiam non genuinis (4). *d)* Tandem a non paucis probabilismus impugnatus est non libere, sed ex jussu aliorum, ita ut iidem viri docti qui theoretice ipsum impeterent, practice eum sequerentur, de quo amare conqueritur Gazzaniga (5).

(1) Cfr., v. g., Pascal, Nicole, Sinnichius, Gonet, Natalis Alexander, L. Habert, etc.

(2) Tales erant J. Boonen, Arch. Mechl.; Henricus de Gondrin, Arch. Senonensis; Episcopi *appellantes;* card. de Noailles, aliique quorum catalogum recenset Billuart. Cfr. *Mémoires du P. Rapin.*

(3) Cfr. S. Alph., syst. mor. n. 87-88.

(4) Cfr. supra, n. 291, 293, 302, 310, 314-318, 334.

(5) « De hoc uno probabilioristæ monendi sunt, ne (ut nonnullos facere non sine magno animi mœrore videmus) tutiorem, et probabiliorem sen-

344. Devicto autem, præsertim opera S. Alphonsi, practico jansenismo, principia probabilismi, melius eliquata occasione præcedentis controversiæ, rursus cœperunt communiter admitti, iisque in regionibus recipi ex quibus a tanto tempore proscripta videbantur. Jam enim traduntur in seminariis tanquam basis totius theologiæ moralis, defenduntur in Universitatibus, commendantur ab Episcopis (1). Auctores autem moderni fere omnes probabilismum proposuerunt: nam quamvis videantur distingui in duas classes, et alii vocentur æquiprobabilistæ, alii simpliciter probabilistæ, nulla tamen est inter ipsos quoad praxim et applicationem discrepantia, ut patet eorum libros pervolventi, et ipsi libenter fatentur (2); quoad theoriam vero, lis potius est de verbis et modo loquendi quam de re ipsa, quod nuperrime agnovit cl. Petrus Scavini. Relata enim doctrina probabilistarum, sic pergit : « Ita Voit, *innumerique* alii ; quorum tamen *fere omnes nobiscum conveniunt in re, etsi non in verbis ;* ut enim patet eorum opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorem, si ea talis sit quam nos exposuimus , nempe, *certe, sine ulla hæsitatione* et *notabiliter* probabilior. Si enim nonnisi levis sit præponderantia, neque a nobis attenditur : et en quo sensu vincit opera S. Alphonsi.

tentiam sequendam esse verbis tantum profiteantur, factis autem negent. Argumentum adversariis nostris suppeditamus imbelle illud quidem in se, et nullius momenti, sed quo tamen plerique imperito vulgo fucum facere solent. Nempe dicunt, probabilioristas in praxi tandem probabilistis victas manus dare ; cumque plus moveant exempla, quam verba, non facile dictu est, quot hac arte ad benigna probabilistarum castra pertrahantur, in quibus multo minori molestia, adeoque libentius militare homines possunt quam apud rigidos probabilioristas. . . . . Danda est opera ut hoc tametsi imbelle telum, de manibus hostium eripiamus ; quia eo nobis plurimum nocent : quid autem refert forti, an imbelli telo perire ? Sentiamus igitur ut probabilioristæ, loquamur ut probabilioristæ, sed quod magis nostræ, aliorumque saluti proderit, secundum probabilioristarum principia operemur. » De consc. prob. n. 137.

(1) Cfr. v. g. approbationes datæ operi P. Gury.

(2) Cfr. Martinet, de consc. lib. 1, a. 13, § 3.

S. Alphonsus in suis dissertationibus de usu probabili tuetur licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur sive intrinseco scilicet ratione, sive extrinseco nempe ex auctoritate doctorum. Ex hoc sensu plane assentimur cl. Ballerini (1). »

(1) Tom.1, n. 160. ed. Mediol 1865. Quæstio itaque nuper agitata est de morali systemate S. Alphonsi. R. P. Ballerini, quem cum aliis secutus est R. P. Montrouzier, in optimo periodico : *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1867, existimat S. Doctorem de facto adhæsisse communi et simplici probabilismo; e contra ipsum esse « Auctorem novi systematis æquiprobabilismi » alii plures contendunt, inter quos theologi qui scripserunt *Summarium additionale, in quo exhibentur, a quibusdam theologis elaborata responsa ad difficultates contra doctrinam moralem S. Alphonsi a clarissimo P. Antonio Ballerini S. J. objectas, et in animadversionibus R. P. D. Promotoris fidei allegatas.* Quid circa hoc punctum, verius nobis videatur, sequentibus exponemus.

1° *Negari non potest S. Alphonsum primitus, scilicet usque ad annum* 1762, *veterem probabilismum ex professo proposuisse, illumque omni argumentorum genere tanquam moraliter certum defendisse.* Id patet tum ex aliis locis, tum præsertim luculenter ex dissertatione « pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris » præfixa secundæ sui operis editioni Neapolitanæ. Ibi enim thesim suam ita statuit : « Ultimam benigniorem et communissimam (sententiam) probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili, etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum ac grave habeat fundamentum. » Aperit deinde quo in pretio eamdem thesim habeat : « Dicimus quod *nostra* sententia, nempe quod liceat sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliori, est longe probabilior, sive probabilissima, imo moraliter, seu lato modo certa : id patet ex argumentis supra expositis. » Quæ quidem argumenta, postquam S. Alphonsus breviter ibidem recensuit, hoc etiam mox subdit : « Adde his potissimum argumentum sub initium propositum, nimirum quod si sententia benigna fuisset falsa, minime quidem communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta est, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset, permittendo quod animæ communiter, per hanc perditionis viam, ut adversarii clamitant, a talibus cæcis ducibus deceptæ incederent. » (Cfr. Ballerini, Diss. de morali syst. S. Alph.)

2° *Non magis tamen aliunde negari potest S. Alphonsum postea, in omnibus fere suis operibus, protestatum esse se tenere « systema opinionis æque probabilis »; quod systema duabus propositionibus solet exprimere : prima, non licet « sequi opinionem minus probabilem, quum opinio*

345. Quatuor igitur distingui possunt epochæ probabilismi, quarum prima apte diceretur epocha *implicitæ agnitionis;* secunda, epocha *explicitæ propositionis et tranquillæ possessionis ;* tertia, epocha *controversiæ ;* quarta, epocha *victoriæ.* Ex harum autem epocharum consideratione apparet, proba-

quæ stat pro lege est notabiliter et certe probabilior ; » *altera,* «*cum opinio minus tuta est æque probabilis, potest quis eam licite sequi.* » Videndum igitur est, quid hujusmodi formulis S. Alphonsus significaverit; verba enim materialiter sumpta non sufficiunt ad mentem ejus manifestandam. Jam vero *a) arbitramur S. Alphonsum, novo suo loquendi modo, non intendisse recedere, quoad substantiam, a communi et simplici probabilismo.* Ratio nostræ sententiæ est primo, quia, juxta S. Alphonsum, eatenus sequi oportet opinionem notabiliter probabiliorem, et non licet, in ejus concursu, sequi minus probabilem, *quatenus illa in eo casu ut moraliter certa habenda est, hæc vero ut tenuitur vel dubie tantum probabilis* (Cfr. diss. de usu moderato opin. prob. ann. 1762; syst. mor. n. 54 et 56, et alibi passim); atqui probabilistæ puri idem communiter docent (Cfr. Lacroix n. 366; Gury tom. 1, n. 77 etc.). Altera ratio sententiæ nostræ est, quia, ex doctrina S. Alphonsi, licitum est sequi opinionem æque vel fere æque probabilem pro libertate, *propterea quod lex incerta non potest certam inducere obligationem :* « Sed ut homo hujusmodi præceptis ligetur, requiritur ut illa ipsi.... innotescant per rationis lumen ; sed donec præceptum non est homini manifestatum, possidet homo libertatem illi a Deo donatam, *quæ cum sit certa, nonnisi a præcepto certo ligatur ;* et cum lex sit regula et mensura, qua homo suas actiones regulare et mensurare debet, *oportet quidem, ut hæc regula et mensura non sit incerta...* Prius Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo beneplacito libertatem..... Et postea, mandata quæ tenebatur servare, adjecit ac imposuit, et ideo hominis libertas, cum certa sit, possideatque ante legis obligationem, *ipsa non nisi a lege certa ligatur* » (Syst. mor. n. 77). Atqui hoc est ipsissimum principium probabilistarum, quod a quibusdam æquiprobabilistis impugnatur (Cfr. Martinet lib. 1, a. 13, § 3). Ratio nostræ sententiæ demum desumitur ex modo quo S. Alphonsus regulas generales applicat ad casus et resolutiones particulares : « Cæterum, in dubiis discutiendis, æqualis mihi scrupulus fuit tum sententias libertati faventes et a ratione alienas uti probabiles admittere, quam damnare uti improbabiles eas quæ valido quodam fundamento innixæ mihi videantur : cum certum sit.... quod hominibus sub culpa gravi imponenda non sunt, *nisi evidens ratio id suadeat* (lib. 4, n. 547). » Et rursus : « Quod pœnitens velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad judicium confes-

bilismum nunquam quidem definitum esse ut verum, semper tamen fuisse non solum toleratum, sed etiam aliquomodo in Ecclesia admissum. Jam vero advertamus cum S. Alphonso hanc quæstionem esse talem « *quæ importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus;*

sarii, *nisi hic judicet opinionem pœnitentis esse evidenter falsam.....* Quoad vero alias opiniones quæ versantur circa obligationem pœnitentis, nempe circa ea quæ a pœnitente agenda aut vitanda sunt, confessarius non est judex, nec potest obligare ad sequendam opinionem suam pœnitentem qui vult sequi contrariam, quam *ipse putat non sine fundamento* licite posse teneri » (lib. 6, n. 604). *b) Nihilominus libenter agnoscimus S. Alphonsum, novo suo loquendi modo, intendisse recedere a communi forma sub qua probabilismus proponebatur, eique aliam meliorem et accuratiorem substituere.* Voluit nimirum S. Doctor, ad præcavendas principii veri falsas et imprudentes applicationes, distinctius determinare quid necessarium sit ut aliqua opinio remaneat solide probabilis in conflictu probabilioris; deinde, multum institit in eo quod probabilitas non sufficiat per se ad præbendam securitatem, sed tantum mediante principio reflexo. Fatetur autem probabilistas in neutro hoc puncto a se de facto discrepare; nam de priore ita loquitur : « *ipsi auctores probabilistæ nostri* dicunt sequendam esse opinionem pro lege quando hæc est notabiliter et cum excessu probabilior, quia in eo casu lex est moraliter satis promulgata » (Epist. 25 maii 1767). Et revera, hæc apud Suarez, v.g., legimus : « major probabilitas est quædam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit » (De leg. lib. 8, c. 3, n. 9); Terillus vero de *Conscientia probabili* q. 27, sæpius asserit, majorem probabilitatem, præsertim quando est notabiliter major, esse certitudinem moralem; unde Wirceburgenses, n. 240 : « Si de opinione *notabiliter et certo probabiliore* procedit quæstio, vix ullus prudens theologus opinionem suam affirmabit manifeste et notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam agnoscit *vere ac theologice* probabilem, quæ si cessat talis esse, cessat et quæstio. » De posteriore autem puncto ita loquitur S. Doctor : « Adverto jam plures auctores... pro *nostra* sententia tutanda innixos fuisse eidem nostro principio, nempe quod lex dubia non potest obligare. Præterea dico quod nec etiam illi auctores, solo præfato principio illo *qui probabiliter agit* etc., utebantur. » (Syst. mor. n. 80; Cfr. Lacroix, n. 307 et sqq.).

3° *Existimamus nostram interpretationem conformem esse explicitæ declarationi S. Alphonsi in sua apologia ann.* 1765. « Dicit adversarius meus (Patuzzi) credendum a me non esse quod proposuerim novum aliquod systema, statuendo licitum non esse sequi opinionem

unde si falsa esset, universi populi christiani deceptio invecta fuisset; » et iterum : « *Si sententia illa fuisset falsa minime quidem communiter a doctoribus fuisset recepta, ut vere recepta fuit; aut saltem Ecclesia eam non tolerasset permittendo quod animæ communiter, per hanc perditionis viam,*

benignam notabiliter et certo minus probabilem..... siquidem, ait, nullus probabilista asseruit unquam licitum esse sequi opinionem tenuiter vel dubie probabilem. Respondeo. *Ego non contendi, nec contendo nova systemata condere; et bene novi nullum probabilistam solidæ doctrinæ ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis.* Sed quia multi probabilistæ indiscriminatim dicunt licere sequi opinionem minus probabilem, quando habet aliquod fundamentum a ratione vel ab auctoritate, idcirco volui distinguere statuendo, quod non liceat sequi opinionem minus tutam, quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore....., quia tunc opinio minus tuta non potest dici certo probabilis. »

4° Juxta modo dicta explicari debent ea quæ habentur in Hom. Apost. lib. 1, tr. 3, n. 31, edit. anni 1771, et quæ secus difficilia videri possent : « *Utrum liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiæ, prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem minus probabilem, licet opinio pro lege sit certe probabilior. Hanc sententiam elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuere, sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse* (Cfr. syst. mor. n. 56.). » Jam vero omnino impossibile videtur S. Alphonsum his verbis attingere voluisse probabilismum illorum quos ipse tanquam magistros et principes theologiæ moralis reveretur, Suarez nempe, De Lugo, Laymann, Bannez, Azor etc. Secus enim non potuisset scribere sententiam suam olim fuisse communem (Cfr. syst. mor. n. 80.); et aliunde ei responderi potuisset quod ipse reponebat Probabilioristis et Tutioristis : « si sententia illa esset *laxa*, minime quasi communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit, aut saltem Ecclesia eam non tolerasset. » Cæterum vel solus loquendi modus quem adhibet S. Alphonsus (Syst. mor. n. 56.) ostendit aliam fuisse ejus mentem : « *Circa primam quæstionem* (nempe an licitum sit sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori) *citius me expediam : resolutio enim est patens.* » Nam non solet vir prudentissimus et modestissimus tam cito et tam facile se expedire a quæstionibus magni momenti, præsertim quando contra se habet omnes fere doctissimos theologos. Quod vero attinet ad rationem a S. Alph. deinde allatam : « *quoties enim intellectui certe apparet* etc., » advertimus, quod si hæc ratio nimis stricte intelligeretur, non cohæreret cum principio « *nullam esse obligationem nisi de ea certo moraliter*

ut adversarii clamitant, a talibus cæcis ducibus deceptæ incederent (1). »

IV.

EXPLICATIO PROBABILISMI.

Supposita sententia probabili de materiali liceitate operationis

346. Ex hucusque dictis difficile non est intelligere quomodo cum opinione probabili de existentia legis, atque idcirco de malitia materiali actionis, haberi tamen possit requisita moralis certitudo de formali liceitate operationis. Posito enim quod, omnibus sincere perpensis, incertus maneam utrum ad aliquid tenear nec ne, statim meæ menti occurrit principium, vi cujus dubium practice depono, certusque efficior de honestate formali meæ actionis, hoc vel simili modo : *Obligatio objectiva de qua agitur est incerta; atqui obligatio objectiva incerta non inducit necessitatem parendi; ergo hic et nunc ego tali obligatione non teneor;* item : *lex quæ mihi hoc vel illud præcipit aut prohibet, est incerta, siquidem probabile est illam non existere, vel saltem non sese extendere ad casum meum; atqui lex incerta non obligat; ergo in præsenti hujusmodi lege non adstringor.* Exemplum sumamus ex quæstione utrum confitendæ sint peccatorum circumstantiæ notabiliter aggravantes in eadem specie : ita unusquisque in praxi ratiocinari, seque resolvere potest : lex vi cujus istæ circumstantiæ essent confitendæ, tantum probabilis est, adeoque incerta : atqui lex incerta non obligat; ergo

obtinetur certitudo de liceitate formali,

ope principii modo demonstrati, quod lex incerta non obligat;

constet; » et insuper includeret aliquam confusionem ordinis practici cum ordine speculativo; ut enim bene Pallavicinus : « vel agitur de electione practica, et hæc debet esse tutissima, quia debet esse evidenter licita; vel agitur de electione speculativa, et circa eam quærenda quidem est major securitas sententiæ, non major securitas actionis (In 1, 2, disp. 9, c. 4, a. 11, n. 12.).

(1) Diss. ann. 1755, n. 3 et 10.

non debeo confiteri circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie. Adverti autem vix opus est illum, qui operatur secundum opinionem probabilem, non teneri ad longum et dialectice sibi componere hos discursus; nam eo ipso quod sciat se operari juxta opinionem probabilem, virtualiter habet et sufficienter sibi efformat hoc dictamen; ideo autem necesse fuit rem paulo fusius exponere ut clare videant omnes,quod operans secundum opinionem probabilem operetur ex dictamine conscientiæ certo.

quod principium,

347. Fundamentale itaque in materia nostra principium est: *lex probabiliter existens, vel probabiliter tantum sese extendens ad casum, non habet vim ligandi, seu non inducit necessitatem parendi;* vel etiam: *obligationes objective probabiles sunt obligationes subjective nullæ;* vel adhuc brevius: *lex incerta non obligat.* Hoc quidem principium majori in luce positum est primum a Terillo ac deinde a S. Alphonso; ipsum tamen supponebant veteres probabilistæ in his prima fronte diversis axiomatibus quæ communius afferebant: *quod prudenter judico mihi hic et nunc licere, certum est mihi hic et nunc licere; atqui prudenter judico mihi hic et nunc hoc vel illud licere, ergo etc.;* iterum: *licita est mihi omnis actio quam post idoneum examen prudenter judico non esse prohibitam, atqui ego, post idoneum examen, prudenter judico hanc vel illam actionem mihi non esse prohibitam, quia pro hoc judicio habeo grave motivum, ergo etc.;* pariter: *quod viri prudentes dicunt esse licitum, quodque rationes gravis momenti suadent esse licitum, hoc prudenter judico esse licitum; sed viri prudentes dicunt hoc vel illud esse licitum, idque etiam suadent rationes gravis momenti; ergo* etc. Optime S. Alphonsus de ea antiquiorum mente disserit: « Nec negari potest nostram sententiam, saltem per octoginta aut etiam nonaginta annos circiter, communem fuisse apud moralis scientiæ auctores, quos inter plurimi

clarius explicatum a Terillo et S. Alphonso, supponebatur ab antiquioribus.

fuerunt Cardinales, Episcopi, universitatum doctores, et signanter plures magistri dominicanæ religionis, in qua semper magna doctrina floruit... Nec valet dicere, horum auctoritatem in hac materia parum æstimandam esse, etiam a me, dum ipsi habentur a me tanquam decepti, cum ad nostram tuendam sententiam innixi sint principio illi, quod ego met reprobavi: *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Jam dixi sub initio dissertationis hujus, quod tale principium solum, et per se directe sumptum, non est sufficiens ad cohonestandum usum opinionis æque probabilis. Attamen adverto, jam plures auctores ...pro nostra sententia tutanda innixos fuisse eidem nostro principio, nempe quod lex dubia non potest obligare. Præterea dico, quod nec etiam illi auctores solo præfato principio illo *qui probabiliter agit* etc. utebantur. Et sic rem confero: Auctores illi ex una parte jam fatebantur, quod ad licite operandum necessaria esset moralis certitudo de honestate actionis. Contra vero ipsimet auctores eadem nostra principia in suis operibus in diversis locis jam statuerunt, nempe quod lex non sufficienter promulgata non obligat: et quod ubi libertas possidet, lex incerta nequit certam inducere obligationem, ex illo principio adeo ab ipsis acclamato, quod *in dubio melior est conditio possidentis.* Ergo si de hujusmodi principiis, loquendo de opinionum probabilium usu, expressam non faciebant mentionem, saltem ea indubitanter supponebant. Quapropter juste censendum, quod ipsi dicto illo, *qui probabiliter agit, prudenter agit*, potius utebantur tanquam corollario quodam, sive consequentia quæ a principiis reflexis inferebatur. Tanto magis, quod hæc materia opinionum probabilium tunc erat valde confusa, unde confuse de ea loquebantur, postquam antiquiores auctores confusius de illa locuti fuerant. Cæterum dictum illud, *qui probabiliter agit* etc. dupliciter accipi potest: si accipitur tanquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est;

si vero accipitur tanquam principium directum, seclusa judicii reflexione, falsum est (1). »

Certa itaque est conscientia formata ex sententia probabili,

348. Jam manifestum est conscientiam ex sententia probabili formatam non esse probabilem, quamvis hoc nomine improprie designari soleat, sed esse omnino certam: est enim consequens legitimum ex duabus præmissis certis; idcirco supra postulavimus, ut probabilitas sententiæ in praxi sequendæ non sit tantum dubia vel probabilis, sed *certa*; deinde tanquam *certum* etiam studiose demonstravimus principium reflexum. Si quis autem de uno vel altero dubitaret, is conscientiam tali modo efformare non posset; de qua re bene scripsit Laymann: « Sed contra instat aliquis, non deesse doctores qui negant majorem hujus ratiocinationis propositionem (sc. principium reflexum) veram esse; ergo ea non habet certam et indubiam veritatem; secundo ponamus esse doctores qui negent sententiam hanc vel illam probabilem esse, existimantes se manifestam demonstrationem de opposito habere, quo casu minor quoque propositio certa et indubia non erit. Respondeo hac objectione non plus probari quam, quod hi ipsi qui ita persuasi sunt, conscientiam practice certam formare haud possint; interim tamen tales non prohibent quominus alii doctores, tam majorem quam minorem propositionem pro certis habentes, ex iis certum judicium practicum concludant. Prohibere item non possunt, quominus alii, rem ipsam secundum se non ita penetrantes, horum doctorum auctoritatem secuti, certo sibi persuadeant, quod isti docti ac probi viri agunt, vel ab aliis agi posse fatentur, se bona conscientia sequi, quantumvis aliis reclamantibus (2). »

sive agens illi adhæreat opinando, sive non.

349. Demum ex præcedentibus apparet, quare supra dixerimus (3) in præsenti materia *perinde esse sive intellectus*

(1) Syst. mor. n. 80.
(2) Lib. I, tr. 1., c. 5., n. 8.
(3) Cfr. n. 305.

alterutri parti adhæreat sive neutri assentiatur, dummodo utramque existimet innixam solidis rationibus : ad certum enim conscientiæ dictamen efformandum non concurrit judicium directum de veritate objecti, sed judicium de ejus probabilitate. Atque exinde patet resolutio quæstionis, utrum possit quis sequi sententiam non solum propriam, sed etiam alienam; videlicet potest unusquisque sequi sententiam alienam *quam judicat certo probabilem*, quamvis ipse stet pro ejus opposita.

V.

APPLICATIO PROBABILISMI.

Particulares et generales probabilismi applicationes juxta S. Alphonsum.

350. Particulares probabilismi applicationes in singulis tractatibus passim locum habent (1); applicationes vero generales ejusdem systematis multæ apud S. Alphonsum leguntur, quarum nonnullas in præsenti referre juvat. « Quando probabile est quod obligatio legis nunquam incœperit, vel quod lex abolita sit, tunc cessat præsumptio pro lege, et possidet libertas (2); » item : « notandum circa consuetudinem id quod dicit Viva... scilicet quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo (3); » præterea : « in dubio an casus indigeat dispensatione..., potest subditus uti sua libertate (4); » similiter, quando dubitatur « an causa (pro dispensatione) falso allegata fuerit finalis an impulsiva, vel an causa fuerit vera vel falsa... valida censenda est dispensatio (5); » adhuc : « in dubio positivo an legem impleveris, non teneris implere (6); » unde « si du-

(1) Cfr. v. g. S. Alphonsus, lib. 4, n. 172, 279, 280, 283, 313, 383, 492, 552, 571, 584, 700, 711, 1030, 1036, etc.

(2) Lib. 4, n. 112, q. 3.

(3) Lib. 4, n. 290.

(4) Lib. 1, n. 192; cfr. lib. 4, n. 301 et 332.

(5) Lib. 6, n. 1133.

(6) Lib. 1, n. 99.

bium est positivum (an aliquid omiseris de officio) ita ut probabiliter judices dixisse, non teneris repetere, etc. (1). »

Regula de mutatione sententiæ probabilis.

351. Cæterum semper præ oculis habendum est, licitum non esse sequi nisi sententiam probabilem practice; atque advertendum, non esse licitum, eodem tempore, usurpare duas opiniones contradictorias, in præjudicium obligationis quæ eo modo certo violaretur; unde si, v. g., probabile est testamentum, in tui favorem factum, esse validum, probabile est te posse vi hujus testamenti hæreditatem accipere; at si hæreditatem adeas, non est probabile te non teneri ejusdem testamenti onera adimplere. Ex his intelligitur quandonam liceat, quandonam vero non liceat, ex duabus propositionibus probabilibus, modo unam, modo alteram sequi. Regulam tradit J. de Lugo (2): « quamvis liberum sit unicuique, regulariter loquendo, amplecti ex duabus sententiis probabilibus, quam voluerit, eam tamen quam amplectitur debet retinere, quamdiu de ejus improbabilitate non constat, quoties libera facultas variandi sententiam resultat in præjudicium tertii, qui eo modo fraudaretur jure suo, quod jus habet non probabile, sed certum ad aliquid exigendum; v. g., debes dare Petro ex justitia singulis diebus nummum aureum, quod sit pondus diei, ita ut si intra diem non solvas, non debeas dare duplum sequente die: hoc supposito, imminente jam sonitu mediæ noctis, exigit Petrus jus suum, respondes: sequor illud alterum horologium, quod post mediam horam sonabit, et hoc prætextu differs solutionem; postquam vero primum horologium dat signum mediæ noctis, mutata sententia, dicis: sequor magis hoc primum horologium, atque ideo, transacta jam omnino die præterita, nihil debeo: hæc certe variatio sententiæ licita non est, alioquin absque peccato posses per totum annum nihil solvere Petro, mutata singulis diebus sententia

(1) Lib. 5, n. 150.

(2) De Euch. disp. 15, n. 49.

post sonitum primi horologii. Fatendum ergo est, sicut Petrus habet jus non probabile sed certum ad nummos illos quotidie habendos, sic habere jus ut non mutes successive sententiam probabilem in ejus præjudicium, sed retineas eamdem; nam si ad hoc non habet jus, neque habet jus ad nummos, quos absque illo alio jure de facto obtinere non potest: jus ergo ad nummos obligat te ad retinendam eamdem sententiam, cujus variatio solutionem debiti certi certissime impediret. Hinc jam ad alias materias, præter justitiam, eamdem regulam applicare possumus; v. g., sit duplex sententia probabilis, altera dicit hodie jejunandum esse, altera non esse hodie jejunandum, sed cras; ego hodie amplector secundam sententiam et non jejuno, cras amplector primam, et dico, jam transiit dies qua debebat jejunari, liber sum a jejunio; eaque via, stante lege certa obligante ad jejunium, absque peccato omitterem jejunium, quod est absurdum, nam superior obligans ad jejunium, reddit etiam illicitam mutationem illam sententiæ, quæ omnino impedit legis observantiam... Aliud simile exemplum esse potest in præcepto audiendi sacrum, si, v. g., die festo meridie jam imminente dicas, amplector sententiam dicentem posse fieri sacrum paulo post meridiem, deinde post meridiem, mutata sententia, dicis, amplector contrariam sententiam, quod non liceat facere sacrum post meridiem, atque ideo liber sum a sacro faciendo. Ecce præceptum erat certum, et debitum certum audiendi sacrum; quare superior obligans ad sacrum, obligat ad retinendam sententiam semel acceptam, ex cujus mutatione impeditur observatio certi præcepti (1). »

Usus probabilismi in directione vitæ christianæ;

352. Ad quæstionem utrum melius sit animas dirigere secundum opiniones benigniores quam secundum rigidiores, ita respondendum censemus. *a)* Director animarum non est legislator, sed est tantum judex et legis interpres: unde non

(1) Cfr. Lacroix, n. 372.

tam debet inquirere quid censeatur rigidum, quid benignum, quam quid certo sit præceptum. *b)* Sicut aliquando, ubi nempe agitur de periculo peccati formalis seu occasione Deum offendendi, tenetur consulere vel etiam injungere ut omittatur illud quod in se est objective certo licitum, ita propter idem periculum peccati formalis tenetur aliquando consulere vel etiam injungere ut omittatur illud quod est in se et objective probabiliter licitum. *c)* Extra hunc casum, potest observationem legis incertæ *proponere per modum consilii*, non tamen *imponere per modum obligationis.*

353. Petitur aliquando, utrum in conscientia tutus sit ille qui habet usum atque propositum varios doctores consulendi, donec aliquem, juxta proprium desiderium respondentem, inveniat. Nonnulli dicunt hunc in pravo statu esse : at melius distinguit Sanchez, asserens talem in malo statu versari, quando « non recta veritatis indagandæ ratione, sed inveniendi doctoris ad libitum respondentis id efficit. Et similiter quando huic potius quam aliis fidem habet, nulla peculiari majoris hujus peritiæ ratione ductus, nec amplius investigat an ea opinio probabilis sit; secus quando recta indagandi ratione, an ea opinio sibi favens sit probabilis, animo firmo nil mali efficiendi, sed id solum quod sibi licere invenerit: quia unicuique est jus protegendi jus suum, et ad id rationes quærendi (1).

354. De ipso autem consiliario, optima habet Abelly (2) : « quæres an doctor aliquis dare possit consilium juxta sententiam probabilem, relicta probabiliori quam ipse sequitur? Respondetur cum Isamberto cum distinctione : vel enim per talem consultationem rogatur ejus mens et sententia circa casum propositum; vel tantum quid liceat; vel denique quid expediat. Si primo modo petatur consilium, debet consultus

in specie pro consiliario

(1) De præc. dec. lib. 1, c. 9, n. 24.
(2) Medulla theol. tr. 2, c. 1, s. 6, § 3.

respondere juxta propriam sententiam; alias non aget bona fide et videbitur mentiri. Si secundo modo, potest respondere illud, de quo consulitur, secundum aliquam opinionem probabilem esse licitum. Si denique tertio modo petatur consilium, debet prudenter omnia considerare, personam ipsam quæ consilium petit et omnes circumstantias rei de qua consilium petitur, et omnibus prudenter perpensis, id quod expedire videbitur, consulere (1). »

et confessario.

355. Quod attinet ad quæstionem utrum confessarius possit vel debeat absolvere pœnitentem, qui tenet sententiam oppositam sententiæ confessarii, multa sunt distinguenda. Nam vel agitur de sententia quæ respicit directe sacramenti administrationem, vel sermo est de sententia quæ versatur circa alias speciales pœnitentis obligationes. Si imprimis agatur de sententia quæ directe respicit sacramenti administrationem, manifestum est minime attendendum esse ad sententiam pœnitentis, sed a confessario procedendum juxta proprium prudens judicium. « Certum est quod, quantumcumque pœnitens judicet vel opinetur posse fieri sacramentum, si confessarius non putet saltem probabilem esse talem opinionem, non poterit se conformare opinioni pœnitentis; v. g., si confessarius judicat pœnitentem non habere sufficientem dispositionem, vel non fecisse diligens examen, vel se non habere jurisdictionem, non poterit absolvere, licet pœnitens contrarium opinetur, nisi confessarius saltem existimet opinionem pœnitentis esse probabilem. Ratio est clara : quia tunc non solum agitur de permittenda pœnitenti sua opinione, sed de amplectenda illa in operatione propria, ut confessarius operetur juxta illam : quod non potest facere nisi judicet illam esse probabilem(2). »

(1) Cfr. supra, n. 314 et sqq.

(2) Lugo, de pœn. disp. 22, n. 45. Cfr. S. Alph., lib. 6, n. 604 ; Lacroix, de consc. n. 92 et 443.

356. Si autem sermo sit de sententia quæ versatur circa alias speciales pœnitentis obligationes, videndum est, utrum confessarius sententiam pœnitentis habeat ut probabilem, an vero ipsam existimet falsam. Si confessarius sententiam pœnitentis habeat ut probabilem, potest et debet contra opinionem propriam etiam probabiliorem, eum absolvere; v. g., si pœnitens probabiliter putat sibi licere, ideoque etiam posthac velit rem inventam, domino non comparente, retinere, confessarius tenetur eum absolvere, etiamsi existimet probabilius esse quod non liceat. Fas igitur non est uti opinione tantum probabili ad imponendam obligationem; nec refert utrum pœnitens sciat se habere jus sequendi sententiam oppositam: « iniquissimum enim foret hominis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio quæ a Deo legislatore non imponitur, et quæ insuper pœnitenti in perditionis laqueum cedere posset (1). »

357. Quod si confessarius sententiam pœnitentis existimet omnino falsam, ulterius examinandum est, utrum illa sententia sit pœnitenti probabilis probabilitate publica, ita ut non modo ipse sed alii communiter eam ut talem reputent, soli autem confessario falsa appareat; an e contra probabilis sit pœnitenti probabilitate privata, ita ut non solum confessarius, sed alii etiam communiter eam rejiciant ut falsam. Si sententia pœnitentis sit probabilis probabilitate publica, confessarius prudenter deponet suam certitudinem in contrarium, reflectendo se non solum præ aliis omnibus sapere; quod si hoc facere non valeat, eo quod res evidens omnino ipsi videatur, poterit de errore suo monere pœnitentem, quem nihilominus dictis acquiescere nolentem ordinarie debebit absolvere, judicans eum adhuc versari in bona fide et in ignorantia invincibili: non enim a pœnitente tanti faciendæ sunt opiniones confessarii, ut

(1) Ballerini ad n. 80, tom. 1; Cfr. S. Alph. lib. 1, n. 84.

semper eas amplecti teneatur. Ad rem card. De Lugo: « Quando agitur de corrigendo pœnitente qui vult retinere rem alienam, vel pluralitatem beneficiorum, vel quidquam aliud juxta opinionem quam putat esse probabilem, debet prudenter advertere confessarius, ne sine maturo examine et debito consilio, judicet improbabilem sententiam quam ipse non tenet. Rursus contingit aliquando, quod vir doctus, qui vim argumenti attento studio magis penetravit, videat quod argumenta contrariæ sententiæ ex æquivocatione procedunt vel ex falso fundamento, et ideo apud se illam judicet improbabilem, et sine fundamento : non tamen ideo debet pœnitentem obligare ad eam deserendam, quia, licet illa sententia apud ipsum sit improbabilis, apud alios tamen multos et doctos, qui rem ita accurate non penetrarunt, existimatur adhuc vera, et per consequens est vere probabilis : quare pœnitens illam sequendo amplectitur opinionem vere probabilem (1). »

358. Verum si agatur de probabilitate privata tantum, confessarius pœnitentem instruet et adhortabitur ut hanc suam singularem opinionem deserat, nisi fortasse per accidens opportunius existimetur, illum in ignorantia ad tempus relinquere (2); quod si pœnitens admonitioni factæ obtemperare recuset, non erit absolvendus extra casum quo adhuc prudenter præsumi posset ipsum remanere in bona fide. « Quando clare sciret confessarius illam pœnitentis opinionem, et apud se, et apud alios esse omnino improbabilem, debet servare regulam..... circa obligationem auferendi ignorantiam pœnitentis. Si enim videt esse ignorantiam culpabilem, debet omnino docere pœnitentem, et repugnantem non absolvere; si vero sit ignorantia inculpabilis, et videat ex ejus ablatione majus malum secuturum, debet dissimulare

(1) L. c. n. 46 ; cfr. supra n. 311.
(2) Cfr. S. Alph. lib. 6, n. 610 ; Gury, tom. 2, n. 610 et sqq.

nisi in casibus supra exceptis (1) in quibus et in aliis quibus debet auferre ignorantiam invincibilem, debet etiam eum docere de improbabilitate illius opinionis : quem si viderit adhuc repugnare, et nolle confessario cedere, sed retinere suam sententiam, confessarius non debet connivere, quia hoc esset eum in suo errore positive fovere, sed debet urgere ut consulat homines doctos et pios, et proponat confessarii motiva ut judicent, et si hoc admiserit et proposuerit stare eorum judicio, poterit eum absolvere : sin minus Victoria.... dicit nullo modo esse absolvendum, quia jam illa est ignorantia vincibilis et culpabilis, imo videtur esse affectata, et ad minus præsumptio videtur esse contra pœnitentem, qui remedium ita facile non vult acceptare : quid enim facilius quam consulere homines doctos, præsertim si ipse confessarius sese offerat ad eos consulendos? Merito ergo poterit et debebit confessarius jam tunc præsumere pœnitentem non esse legitime dispositum, et negare absolutionem. Per quod patet responsio ad ea quæ pro contraria parte adducta sunt; nam in hoc casu pœnitens non præsumitur dispositus ad sacramentum, cum ignorantia illa cum tanta obstinatione retenta, non possit regulariter esse invincibilis (2). »

359. Et hæc quidem valent pro casu quo pœnitens, utpote doctus, *suam* habet opinionem ; quando autem res est cum homine rudi, et confessarius falsum reputat illud quod ab aliis probabile judicatur, nec potest hanc suam certitudinem ullo modo deponere, debet ipse juxta illam agere, atque obligationem denuntiare (nisi agatur de casu in quo oportet pœnitentem relinquere in bona fide); secus enim operaretur contra conscientiam. Quæ omnia applicari possunt per modum exempli quæstioni inter theologos disputatæ « an si quis velit incendere

(1) Cfr. Gury, l. c.
(2) De Lugo, l. c. n. 47.

domum Titii inimici et incendat domum Caii amici, teneatur Caio restituere damnum (1) ?»

Corollarium practicum.

360. Ex præcedentibus satis percipitur, quare necessarium confessario sit et directori animarum, scire quænam sint sententiæ extra controversiam positæ, et quænam solummodo probabiles; sive aliis verbis: quænam sint obligationes objective certæ quas imponere tenetur, et quænam obligationes objective incertæ quas non potest imponere. Ad hanc autem scientiam acquirendam necessarium non est ut unusquisque perpendat intrinsecas rationes diversarum opinionum: hoc enim multis ex vario capite impossibile esset, et fortasse periculosum; sed prudenter stari potest judicio eorum qui noscuntur quæstiones particulares cum diligentia examinasse; unde S. Thomas: « aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur (2). » Hinc etiam intelligitur, quare præstantiores theologi soleant in singulis materiis diversas opiniones reipsa fundatas proponere cum omnibus suis rationibus et auctoritatibus, nec contenti sint, more quorumdam, catalogum exhibere opinionum propriarum, quas nimirum ipsi verosimiliores reputaverint. Hujusmodi scilicet sollicitudo, qua eminuit S. Alphonsus, oritur ex principio, quod « *non est prohibenda quæcumque actio nisi certi simus quod illa sit contra fidem aut contra bonos mores* (3). »

(1) S. Alphonsus, lib. 4, n. 629; cfr. Gury, tom. 1, n. 664.
(2) 2. 2. q. 4, a. 8, ad 2. (3) Hom. Apost. lib. 1, n. 35.

ARTICULUS II.

De conscientia in dubio efformanda.

Dubii notio.

361. Dubium in præsenti sumitur in oppositione ad sententiam probabilem, et consequenter intelligitur vel *dubium negativum* vel *suspicio*. Jam dubium est negativum, quando adhibita morali diligentia ad veritatem inveniendam, nulla in utramvis partem apparet assentiendi aut dissentiendi ratio; suspicio autem habetur quando aliqua ratio sese offert, ea tamen tam exilis est ut virum prudentem movere non valeat (1). Rem accurate explicavit Th. Tamburini (2): «Si autem intellectus sit omnino anceps, nullamque rationem *saltem probabilem* habeat, per quam inclinet ad aliquam partem, dicitur et est dubium quod aliqui merito appellant dubium negativum, quia negative se habet in illa incertitudine intellectus, nec scilicet assentiendo nec dissentiendo..... Quod si aliqua ratio appareat, sed non adeo efficax ut intellectum movere possit ad aliquem prudentem assensum, recte ab aliquibus suspicio appellatur, quia tunc, quum non pertingatur ad probabilitatem, adhuc intellectus negative se habet ad assensum vel dissensum, sed solum ita esse a longe suspicatur.»

objectum.

362. Dubium, sicut et probabilitas, versari potest vel circa rei existentiam, qualitatem, valorem, efficaciam, vel circa actionis liceitatem: in primo casu dicitur dubium *speculativum*, *remotum*, *facti*, ut si quis dubitat an votum emiserit, an debita solverit, an justa sit bonorum quibus gaudet possessio, et alia hujusmodi; in altero casu vocatur dubium *practicum proximum*, *juris*, ut si quis dubitat an possit carnibus vesci, Missam omittere etc. (3).»

(1) Cfr. supra, n. 303.
(2) In Dec. lib. 1, c. 3, § 1, n. 5.
(3) Cfr. supra, n. 312.

363. Quæritur itaque quomodo conscientiam efformare possit ille qui post sinceram veritatis inquisitionem, manet in dubio : an tutiora sequi tenetur, an vero ipsi suppetunt quædam principia reflexa, quorum ope, nonobstante dubio objectivo, judicium proxime practicum de liceitate actionis obtinere valeat omnino certum et firmum. Solutionem hujus quæstionis proponemus in sequentibus, ipsam doctrinam demonstrando et deinde ad casus particulares applicando.

§ I.

DOCTRINÆ PROPOSITIO ET DEMONSTRATIO.

Principii possessionis pro casu dubii

364. *Dubium resolvendum est ex principio possessionis :* videlicet quando adhibita morali diligentia non habetur nisi dubium mere negativum, timor aut suspicio, standum est pro ea parte quæ ante dubium, timorem vel suspicionem in possessione erat.

demonstatio

365. Hæc sententia, communiter recepta, exprimi solet sequentibus formulis : « in dubio melior est conditio possidentis; » et rursus :« in ambiguis beatus qui possidet. » Ratio autem ejus est, quia mores componendi sunt ex prudenti judicio; prudens autem judicium non fundat dubium mere negativum, timor vel suspicio ; atque ideo, sicut per hæc induci non potest nova obligatio, ita nequit obligatio jam existens tolli; in directione igitur operationum tali dubio, timori, suspicioni innitendum non est, sed ab eis præscindi et abstrahi debet : quo facto vel aderit obligatio vel libertas remanebit, prout lex prius vigebat vel non. Aliis verbis, quia homo ad actiones ponendas vel omittendas prudenter sese determinare tenetur, idcirco rationabiliter et jure negliget dubium negativum et suspicionem : unde obligatio vel libertas æque

certa reputabitur ac si nunquam dubium vel suspicio in contrarium extitisset.

366. Nonnulli olim censuerunt præsentem regulam valere in materia justitiæ, minime vero in aliis materiis, puta temperantiæ, obedientiæ, religionis etc. Verum « hoc est falsum et sine fundamento dictum : quia non minus est vitandum peccatum in materia justitiæ quam aliarum virtutum; et sicut in materia justitiæ occurrere potest sufficiens ratio, ob quam, nonobstante illo generali dubio, potest in particulari esse certitudo practica de honestate actus, ita in materia aliarum virtutum, potest similis ratio occurrere (1). » Et sane « hoc (regulam valere tantum in materia justitiæ) gratis dicitur. Primo, quia jura ex quibus regula illa desumitur, generatim et sine restrictione loquuntur....; secundo, quia nulla ratio differentiæ assignatur, nec assignari posse videtur, quod in hunc modum declaro. Quia in materia justitiæ principium illud vel fundatur in hoc, quod *quando est dubium circa fundamentum obligationis, ut, v. g., an hæc res sit mea vel aliena, est quædam æqualitas inter obligationem restituendi et potestatem retinendi,* et alioquin possessio rei confert aliquod jus, et ideo prævalet jus possidentis. Vel fundatur in hoc *quod propter solum dubium non sunt immutandæ res ab antiquo statu,* in quo bona fide existebant, quia cum in dubio sit quædam æqualitas utrinque, non est cur potius in unam partem obliget quam in aliam. Vel fundatur in hoc quod *interveniente ignorantia invincibili, exsurgit excusatio obligationis;* interveniente autem dubio, intercedit ignorantia rei de qua dubitatur, et facta diligentia ad expellendum dubium et perseverante nihilominus dubio, fit illa ignorantia invincibilis, quia non fuit in potestate hominis illam depellere, et ideo impedit obligationem. Vel fundatur in hoc quod *obligatio est*

et confirmatio.

(1) Suarez, de censuris, disp. 40, s. 5, n. 15.

onerosa, et suo modo odiosa, et ideo restringenda ut non oriatur nisi ubi fundamentum ejus moraliter certum est..... At hæ omnes rationes habent locum extra materiam justitiæ (1). »

§ II.

DOCTRINÆ PROPOSITÆ EXPLICATIO ET APPLICATIO.

Possessio libertatis vel obligationis

367. Quamvis certum sit in dubio meliorem generatim esse conditionem possidentis, nihilominus in casibus particularibus non raro valde difficile est determinare utrum habeatur nec ne obligatio, quia non sufficienter constat quænam pars possideat. Mirum igitur esse non debet, si theologi, qui eadem principia sequuntur, aliquando ad adversas et oppositas conclusiones deveniant. Interim, ad multas quæstiones rite expediendas, juvare poterunt sequentes regulæ.

in dubio de legis constitutione vel abrogatione;

368. Regula I. *Quando dubitatur utrum lex aliqua existat, vel utrum lex existens hunc aut illum casum comprehendat, libertas manet in possessione; e contra quando certum est legem esse latam et promulgatam, sed dubitatur utrum adhuc vigeat, manet in possessione obligatio* (2). Exempla prioris partis hujus regulæ : dubitans an pro tali die indictum sit jejunium, non tenetur jejunare; confessarius dubitans utrum aliquis casus sit reservatus, potest illum habere ut non reservatum, ideoque pœnitentem absolvere; quando dubitatur utrum lex aliqua præcipiat sub excommunicatione, judicari potest illam non esse tali pœna affectam; quando dubitatur an consuetudo aliqua hactenus obser-

(1) De voto, lib. 4, c. 5, n. 7.

(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 27, 97, 99, coll. lib. 4, n. 112, q. 3 et 290; item Suarez, 1, 2, tr. 3, disp. 12, s. 5, n. 7.

vata, v. g., servandi abstinentiam, peregrinationem obeundi etc. habeat vim legis obligantis, an vero solum devotionis et honestatis, potius inclinandum est in eam partem quod consuetudo sit devotionis et honestatis, non obligationis (1). Exempla partis posterioris : constat legem esse latam de non portandis armis, etc. dubito autem, utrum talis lex jam sit abrogata vel per non usum cessaverit, teneor illam observare; constat hodie esse indictum jejunium, dubito an me obliget propter laborem, teneor jejunare; sciens casum fuisse reservatum et dubitans utrum reservatio adhuc maneat, non potest absolvere; sciens legem fuisse latam affectam excommunicatione, et dubitans de dispensatione, si crimen commiserit censendus est excommunicatus.

369. Regula II. *In dubio facti fundantis obligationem, manet in possessione libertas ; e contra in dubio facti adimplentis obligationem, manet in possessione obligatio* (2). Huc pertinet axioma : « factum in dubio non præsumitur sed demonstrari debet. » Exempla prioris partis : qui dubitat an emiserit votum, fecerit juramentum vel promissionem Deo aut homini, item qui certo scit se aliquid mente decrevisse, dubitat autem utrum nude proposuerit, an vero reipsa promiserit ac animum se obligandi habuerit, non tenetur votum adimplere, promissionem exequi (3). Exempla posterioris partis : dubitans an vesperas vel alias horas persolverit, an votum impleverit, an alicujus obligationis remissio facta fuerit, his adhuc obstrictus manet; qui certus est de debito et dubius de solutione, debet solvere (4); qui dubitat an fuerit absolutus ab excommunicatione, debet se habere ut excommunicatum; qui certo novit se peccatum mortale commisisse,

in dubio de legis applicatione et impletione ;

(1) Cfr. Suarez, de leg. lib. 7, c. 15, n. 13; S. Alph., lib. 1, n. 107.
(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 28.
(3) Cfr. S. Alphonsus, lib. 4, n. 220.
(4) Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 34.

dubitat autem utrum illud confessus sit, debet illud declarare (1).

in dubio de obligationis inchoatione et cessatione;

370. Regula III. *Hinc etiam in dubio circa tempus obligationis inchoandæ, manet in possessione libertas; e contra in dubio circa tempus finiendæ obligationis, manet in possessione ipsa obligatio* (2). Exempla prioris partis: si quis dubitat die Jovis an jam sonuerit hora duodecima noctis, potest adhuc edere carnes; si dubitat an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur jejunio. Exempla posterioris partis: si quis ipsa die jejunii, v. g., sabbati vel vigiliæ, dubitat an sonuerit hora noctis duodecima, vesci carnibus non potest; si dubitat utrum habeat ætatem sufficientem ut profiteatur aut promoveatur ad ordines, neutrum potest facere.

in dubio de actus valore;

371. Regula IV. *Quando constat aliquem actum fuisse positum et dubitatur utrum adfuerint conditiones debitæ, istæ censentur adfuisse.* Huc pertinent axiomata: in dubio standum est pro eo pro quo stat præsumptio; ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio; factum in dubio præsumitur, quoties de jure faciendum erat. Hinc si recitasti horas, audivisti Missam, explevisti pœnitentiam, et dubitas an hæc peregeris cum debita attentione vel intentione, censeri potes recte tuis obligationibus satisfecisse; item in dubio an, dum matrimonium contraxisti, habueris animum te obligandi, præsumeris habuisse; similiter si constet votum emissum esse post usum rationis, censetur adfuisse sufficiens deliberatio.

in dubio de obligationis susceptæ extensione.

372. Regula V. *In dubio de modo, gravitate, extensione obligationis sponte contractæ, præsumendum est id quod dubitanti favorabilius seu minus onerosum est:* nam in dubio nemo censetur se velle gravare; unde axioma: favores ampliandi, odia restringenda; vel: in obscuris quod minimum est, tenen-

(1) Cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 477; J. De Lugo, de pœnit. disp. 16, n. 59.
(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. 1, n. 32 et 99.

dum. Hinc qui vovet aliquid et dubitat an sub mortali vel veniali tantum obligare se voluerit, tenetur quidem votum adimplere, sed solum sub veniali; qui vovit rosarium et dubius est an integrum quindecim decadum an vero tertiam tantum partem, ad hanc solam adstringitur; qui certus est se vovisse castitatem et dubitat an voverit castitatem perpetuam, an vero temporaneam, videlicet usque ad tempus opportunum conjugii, potest eligere quod minus est et occasione data matrimonium contrahere, etc.

Possessio dubia.

373. Istæ sunt regulæ quas apud theologos reperire potuimus: his autem regulis innixi, tanquam principiis quibusdam boni sensus, facile est resolvere, tuto et absque scrupulis, casus in humana vita frequentius contingentes. Sunt tamen nonnullæ quæstiones de quibus auctores non conveniunt, quia, ut jam innuimus, non satis constat pro qua parte stet possessio; hujusmodi sunt, v. g., an potest manducare ille qui dubitat utrum sit hora duodecima noctis, si cras debeat celebrare (1); an pater possit irritare votum filii, si dubium sit utrum illud votum emissum fuerit ante vel post annos pubertatis (2); quid agendum quando non solum debitor sed etiam creditor dubitat de solutione facta etc. (3).

COROLLARIUM.

Sensus axiomatum:

374. Ex dictis per totum hunc tractatum apparet quo sensu in materia de conscientia admittamus vulgatissima axiomata: *in dubiis pars tutior est sequenda; in dubiis standum est pro valore actus; in dubiis melior est conditio possidentis.*

in dubio pars tutior est sequenda;

375. Primum valet quando agitur de dubio proxime practico seu de conscientia revera incerta (4); vel etiam quando

(1) Cfr. Sporer, de consc. n. 87.
(2) Cfr. Suarez, de rel. tom. 2, lib. 4, c. 6, n. 1.
(3) Cfr. Sporer, n. 85. (4) Cfr. supra, n. 293.

agitur de probabilitate mere speculativa eo quod adsit absoluta obligatio consequendi aliquem finem (1). In hunc autem solum sensum fuisse idem principium a SS. Pontificibus adhibitum, sufficienter ostendimus pluribus in locis (2).

in dubio standum est pro valore actus ;

376. Alterum axioma obtinet tum in dubio negativo (3), tum in probabilitate speculativa, quando nimirum intercedit principium boni ordinis vi cujus illi actus qui magni momenti sequelas post se trahunt, *ordinarie* reputari debent validi, quousque non constet de eorum nullitate : hujusmodi sunt baptismus, ordinatio, matrimonium, solemnis professio etc. (4).

in dubio melior est conditio possidentis.

377. Tertium denique applicationem suam semper habet in dubio negativo (5) ; in dubio autem positivo valet quotiescumque intercedit ratio boni communis quæ efficit ut ex probabilitate remota non oriatur probabilitas proxima (6) ; manifestum autem est quod in his casibus axioma *possessionis* nihil aliud sit quam formula generalis in qua supponitur et sub qua intelligitur lex justitiæ, charitatis, religionis etc. Sic, v. g., etsi probabile sit mandatum superioris esse injustum, subditus nihilominus debet obedire, quia, aiunt, *superior possidet jus suum præcipiendi :* at vero ideo superior possidet jus suum, quia ita postulat bonum commune, ordo sc. et stabilitas. Extra hujusmodi casus speciales, dum agitur de probabilitate practica seu quando habentur circa existentiam obligationis duæ sententiæ probabiles, libertas semper possidet, ideoque homo non tenetur ad observationem legis, quia melior est conditio possidentis sc. libertatis (7). Eamdem esse sententiam S. Alphonsi, patet luculenter ex iis quæ retulimus agendo de probabilismi demonstratione et de ejus applicatione generali (8).

(1) Cfr. supra, n. 314-319.
(2) Cfr. supra, n. 318, 319, 334.
(3) Cfr. supra, n. 371.
(4) Cfr. supra, n. 314-319.
(5) Cfr. supra, n. 363-373.
(6) Cfr. supra, n. 314 et sqq.
(7) Cfr. supra, n. 339, cum nota.
(8) Cfr. supra, n. 339 et 350; item Ballerini, tom. 1, n. 80.

378. In utroque articulo, de probabilitate et de dubio negativo, iteratis vicibus monitum fuit (1), sæpe non satis constare, utrum et quousque unum vel alterum ex prædictis axiomatibus sit in casibus particularibus applicandum. Jam vero auctoribus tunc in diversas sententias abeuntibus, res incerta manet, et consequenter ex principiis probabilismi solvenda est, quum in ejus dominium indirecte recidat.

(1) Cfr. 319 et 371.

LIBER IV.

DE MORALITATE.

PROŒMIUM.

DE GENERALI NOTIONE MORALITATIS.

Moralitas est habitudo actus humani ad suam regulam.

379. Moralitas non consistit in *voluntario* et *libero*, quæ sunt ejus *conditiones* et *fundamenta*, nec in *imputabilitate*, quæ est aliquid ad moralem actum *consequens* (1), sed definitur *habitudo actus humani ad suam regulam.*

Ex ipsius regulæ distinctione, oritur moralitatis distinctio:

380. Porro actus humani regula duplex est, altera *extrinseca*, quæ dicitur etiam objectiva et remota; altera *intrinseca*, quæ vocatur subjectiva et proxima ; priorem explicavimus in secundo hujus operis libro, posterior autem materia fuit libri tertii. Præterea regula extrinseca considerari debet, vel prout est mere *approbans*, sc. permittens aut consulens, vel prout est formaliter *imperans*, sc. præcipiens aut prohibens (2). Demum ipsa regula imperans distinguenda est in *primariam*, quæ est lex naturalis (3), et in *secundariam*, a suprema dependentem, quæ est lex positiva (4).

in bonam et malam.

381. Jam ex his intelligi possunt præcipuæ moralitatis species. Si enim imprimis spectetur diversus modus quo actus humanus se habere potest ad regulam, statim percipitur distinctio moralitatis in *bonam* et *malam* : nam vel actus huma-

(1) Cfr. supra, n. 29.
(2) Cfr. supra, n. 91-94.
(3) Cfr. supra, n. 94.
(4) Cfr. supra, n. 109.

nus convenit cum sua regula eique conformis est, vel cum sua regula non convenit atque ab ea est difformis: in primo casu dicitur *rectus,* bonus, honestus; in altero dicitur *pravus*, malus, turpis. Moralitas igitur bona, quæ sita est in convenientia actus cum regula, vocatur *bonitas;* moralitas vero mala, quæ sita est in disconvenientia actus cum sua regula, vocatur *malitia;* qui autem utramque hanc moralitatis speciem in ipsa definitione exprimere volunt, dicunt moralitatem esse « *rationem convenientiæ vel disconvenientiæ actus humani cum sua regula.* »

in materialem et formalem;

382. Si dein spectetur distinctio regulæ intrinsecæ et extrinsecæ, jam habemus duplicem aliam moralitatis speciem, sc. *materialem* et *formalem.* Moralitas *materialis* est relatio convenientiæ vel disconvenientiæ qua actus se habet ad regulam extrinsecam; *formalis* vero est convenientiæ vel discrepantiæ relatio qua actus humanus se habet ad regulam intrinsecam, sc. conscientiam agentis. Quum autem contingere queat ut lex ignoretur vel male cognoscatur, fieri potest ut harum relationum adsit altera, altera desit, quo casu actus bonus erit aut malus materialiter, quin talis sit formaliter, et vicissim. Ita, v. g., actus qui legi consentaneus est, sed quem agens legi oppositum putat, materialiter bonus, formaliter malus est; e contra actus legi oppositus, quem agens citra culpam legi congruere existimat, materialiter malus est, sed formaliter bonus.

in liberam et obligatoriam;

383. Si præterea spectetur distinctio regulæ extrinsecæ in approbantem et imperantem, moralitas discerni potest in *liberam* et *obligatoriam.* Quamvis enim quidquid est malum, semper sit prohibitum; non tamen vicissim quidquid est bonum, lege naturali aut positiva præceptum est; nam lege naturali solum illi actus præcipiuntur, quos necessario exigit hominis conditio secundum triplicem respectum quem habet ad Deum, seipsum et proximum (1); lege vero positiva illi

(1) Cfr. supra, n. 94.

soli actus præcipiuntur qui conferre possunt ad bonum societatis specialis (1).

in intrinsecam et extrinsecam.

384. Demum si spectetur distinctio ipsius regulæ obligantis in primariam et secundariam, moralitas apte dividetur in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Moralitas *intrinseca* dicitur si ex ipsa ordinis naturalis exigentia et rei natura oriatur, quomodo, v. g., odium Deum et perjurium sunt intrinsece mala; *extrinseca* vero moralitas dicitur quæ exsurgit ex sola lege positiva, quomodo, v. g., manducare carnes die veneris est extrinsece malum. Huc pertinet distinctio inter ea quæ jubentur vel prohibentur quia bona vel mala sunt, et ea quæ ideo bona vel mala sint quia præcipiuntur vel vetantur. Priorum videlicet bonitas aut malitia præcedit omne mandatum liberum; posteriorum autem ex mandato libero oritur. Porro ea quæ sunt mala tantum extrinsece non sunt mala absolute, immo bona fieri possent, casu nempe quo juberentur; ea vero quæ intrinsece mala sunt, mala esse absolute et nunquam permitti posse ne ab ipso quidem Deo, doctores unanimi consensu tradunt, et nos cum ipsis supra explicavimus (2).

385. Hisce præmissis, tota materia de actuum humanorum moralitate tractabitur duobus capitibus, quorum prius erit de moralitate in genere, posterius de actuum moralium distinctione.

CAPUT PRIMUM.

DE MORALITATE IN GENERE.

Materiæ indicatio.

386. Duobus articulis præsens tractatio absolvetur: primum enim agemus de moralitatis *principiis*; deinde inquiremus de ejus *extensione*.

(1) Cfr. supra, n. 118-122.

(2) Cfr. n. 102 et sqq.

ARTICULUS I.

De principiis moralitatis.

Moralitatis principia indicata.

387. Consistere moralitatem in ratione convenientiæ vel disconvenientiæ actus humani cum sua regula, supra vidimus. Illa autem convenientia vel disconvenientia plene expendi non potest, quin actus totus cum regula comparetur; si enim comparatio ex parte aliqua deficiat, moralitatis existimatio manca erit. Jam vero, cum agens ratione præditus, operatione sua ad aliquid tendat in determinatis adjunctis, actus humanus generatim complectitur objectum et circumstantias. Ut ergo de actus humani moralitate rectum habeatur judicium, conferri debet ille actus cum sua regula tum quoad objectum, tum quoad circumstantias; atque hoc sensu *objectum* et *circumstantiæ* dicuntur *principia*, *elementa*, *fontes* moralitatis. Quapropter principia moralitatis, prout ea nunc intelligimus, definiri possunt: ea quæ in actu humano possunt esse regulæ conformia vel ab ea difformia, et ex quibus fit ut actus humanus sit bonus vel malus. Porro inter circumstantias una est, scilicet finis, quæ ratione sui momenti, seorsum ab aliis considerari solet; unde tria communiter assignantur principia moralitatis, *objectum*, *finis* et *circumstantiæ*.

§ I.

DE OBJECTO ACTUUM HUMANORUM.

Objecti notio

388. Objectum dicitur *id circa quod actus versatur*, seu *operationis terminus*; consideratur autem non physice, prout est aliquod ens, sed *moraliter*, *prout determinato modo ab agente attingitur*; *adeoque bonum vel malum dicitur non in*

se, sed quatenus ab agente attingitur modo regulæ convenienti vel disconvenienti. Rem optime declaravit Æg. De
et explicatio. Coninck (1) : « Bonitas vel malitia objectiva cujusvis rei consistit in aptitudine vel ineptitudine quam res in se habet, ut talis aut talis actio circa eam versetur prout convenit naturæ intellectuali : v. g., Deus est objectum aptum ut a nobis ametur ac laudetur, ineptum ut odio habeatur vel vituperetur, etc., ideoque illud hominem decet et laudabile est, hoc dedecet et vituperabile est. Item vita innocentis est objectum aptum ut conservetur, ineptum ut a nobis perimatur; virtutes aptæ sunt ut eas amemus, vitia ut ea detestemur..... Ubi nota primo, objectum actionis esse id circa quod aliqua actio versatur : quod quandoque est res aliqua non operabilis, sive talis quæ per nostram actionem nec fieri debet nec perimi, aut secundum sua intrinseca mutari : tale objectum est Deus respectu amoris, uxor respectu adulterii etc.; quandoque vero est aliquid operabile vel tollibile, sive quod potentia respicit quatenus per actum suum poni aut tolli potest : sic actus externi sunt objectum actuum voluntatis, quatenus per hos aut imperantur, aut odio habentur; et miseria pauperis est objectum eleemosynæ, quatenus per hanc tollitur; vita periclitantis ex fame est objectum pascentis, quatenus ab eo conservatur. Alii dicunt objectum eleemosynæ esse partim rem ipsam quæ datur, v. g., pecuniam, vestem, etc.; partim personam cui datur : sed hæc sunt objecta quasi materialia et remota. Inopia autem ut tollibilis est, proximum et quasi formale objectum quod eleemosyna directe et per se spectat, ut a quo habet ut hominem deceat, ac laudabilis sit : nam ideo præcise illa datio habet quod sit actus externus eleemosynæ, et expetenda ac laudabilis, quia est apta tollere vel saltem minuere hanc miseriam. Nota secundo, per dictam ineptitudinem intelligi hic quandam repu-

(1) De act. supern., disp. 3, dub. 2, n. 32 et seqq.

gnantiam cum ipsa decentia; ex qua sequitur, naturam intellectualem non posse nisi inhoneste circa talem rem tali actione versari. Nota tertio, dictam aptitudinem vel ineptitudinem quandoque consistere in ipsa re secundum se considerata: sic Deus omnesque virtutes sunt objecta apta amari, inepta odio haberi, et contra vitia sunt apta ut habeantur odio, inepta ut amentur. Alias consistit in re prout subest alicui accidenti physico aut morali ab ea separabili : sic res mea est apta ut a me licite usurpetur, aliena inepta; quæ autem modo est aliena atque ita inepta ut eam mihi licite usurpem, potest sine ulla physica sua mutatione fieri mea, atque ita apta ut eam licite usurpem. Nota quarto, etsi quævis objecta sint apta ut aliqui actus honeste circa ea versentur,et respectu aliorum inepta : nam Deus honeste amatur, inhoneste odio habetur; vitia inhonesta amantur, honeste odio habentur: atque ita quævis objecta aliqua ratione sint objective bona, et alia ratione mala ; tamen absolute sola illa dicuntur objective bona, quæ honeste amantur, et objective mala, quæ honeste amari non possunt. Quare nec illa possunt dici objective mala nec hæc objective bona, nisi addendo respectu odii et aversionis ; sunt enim virtutes objectum malum sive ineptum, vitia vero bonum sive aptum ut odio habeantur : hæc enim non significant illas in se aliquid malitiæ, aut hæc aliquid bonitatis habere, sed solum illas male, hæc bene odio haberi. » Egregie etiam Sylvius(1) : « Objectum ex quo bonitas aut malitia actus moralis desumitur non est ipsa res in se et absolute considerata, sed est illa ut importans ordinem et respectum ad rationem cui est consentanea vel dissentanea : vel ad actum humanum qui circa eam convenienter vel inconvenienter versatur : ut proinde objectum conveniens dicatur quatenus homo circa illud versatur consentanee ad rationem rectam ; discon-

(1) 1. 2, q. 18, a. 2.

veniensautem quatenus versatur circa illud aliter quam recta ratio dictet ; v.g., objectum ex quo sumptio cibi vel potus habet quod sit bona, non est cibus vel potus secundum se, sed est ipse consideratus ut sumitur secundum dictamen rectæ rationis; et objectum ex quo furtum habet quod sit malum, non est res aliena spectata in quantum est res quædam, sed in quantum est contra rectam rationem quod res aliena surripiatur, et sic de cæteris. »

Objectum latius vel strictius considerari potest.

389. Ex dictis patet objectum actus strictius vel latius determinandum esse prout actus ipse sumitur generice vel specifice : ita objectum copulæ carnalis est femina, objectum fornicationis est femina soluta, objectum adulterii est femina alteri conjugata, objectum incœstus est femina consanguinea, affinis, cognata; hinc quod est accidens seu circumstantia respectu actus sumpti generice,non est accidens respectu actus specifice sumpti,sed ad objectum ejus pertinet. Jam vero advertendum est,in theologia,actus considerari hoc posteriori modo, quod præ oculis haberi debet ut vitetur confusio in quæstione undenam actio habeat suam moralitatem, ex objecto an ex circumstantiis (1).

Bonitas objecti non malitia intendi debet ut contrahatur.

390. Bonitas objecti ab agente non contrahitur nisi in se intendatur; e contra ad contrahendam objecti malitiam necesse non est illam intendere, sed illam apprehendere sufficit. Ratio est, quia bonum appeti debet, malum vero non solum appeti non potest, sed vitari debet; non vitatur autem ab illo qui libere ponit actionem, cui malum est adnexum. « Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, id est, *quod velit bonum et propter bonum* (2). » Hæc doctrina quæ est communis, omnino vera est ; cavendum tamen ne præpostere intelligatur, ac si necessaria esset intentio bonitatis

(1) Cfr. Lessius in 1, 2, q. 18, a. 10, n. 77.
(2) S. Thomas, 1, 2, q. 19, a. 7, ad 3.

reflexa; sufficit enim intentio confusa quæ habetur satis quotiescumque agens non considerat actum suum tanquam merum ac nudum medium, præscindens utrum bonum vel malum sit, et paratus illud adhibere etiamsi malum. Placet hic referre ipsa verba nonnullorum auctorum, ut, quid sibi in re magni momenti velint, melius percipiatur. Ita, v. g., Sporer(1) : « Ad hoc ut actus sumat bonitatem ab objecto bono et honesto cognito, debet objectum esse volitum ut bonum et honestum est, seu debet appeti a voluntate intuitu ipsius bonitatis ac honestatis, saltem implicite ac virtualiter (confuse), ad minimum sic ut voluntas eo actu ita disposita sit ut nullo modo agere vellet si non esset bonum et honestum, vel si esset illicitum. Unde voluntas exercens aliquem actum, etsi secundum se et ex objecto suo honestum, nulla tamen prorsus habita ratione ipsius honestatis, sed præcise propter ejus utilitatem et delectationem, forte etiam actura, etiamsi minime honestus vel etiam inhonestus esset, revera non faceret actum honestum. » Idem docet Æg. De Coninck; ad objectionem enim, quod si bonitas actus intendi deberet, rustici vix facerent ullos actus bonos, quia vix unquam reflectunt super eorum honestate, sic respondet (2) : « nego assumptum, quia quicumque sincera intentione actus aliquos virtutum exercent, communiter in iis amant ipsam honestatem; quod vel inde patet quia communiter existimant, se aliquid agere dignum laude ac præmio, et gratiam apud Deum inire. Unde si eos roges quare ea opera faciunt, respondere solent quia hominem probum ac christianum decet ita agere; aut, ut gratiam Dei mereantur etc., nec ad hoc opus est ut cognoscant in quo consistat formalis ratio honestatis, sed *sufficit quod eam actionem apprehendant, ut honestam et ut talem expetant.* Item Reuter (3) : « Debet intendere honestatem, saltem sub

(1) Tr. 1, c. 3, s. 2, n. 9.
(2) Op. cit. disp. 3, dub. 4, n. 60.
(3) P. 1, t. 1, q. 6, n. 43.

ratione confusa : quia necesse non est ut intendat eam explicite sub ratione propria, clare cognita, vel sub convenientia cum voluntate Dei approbante; sed sufficit quod objectum cognoscatur tanquam decens, vel conveniens rectæ rationi, vel tanquam laudabile, conducens ad beatitudinem, convenienter amabile, tanquam debitum, tanquam opus virtutis, v. g., temperantiæ, justitiæ etc., sic enim reipsa intenditur honestas. » Tandem Scavini (1) : « Necesse non est ut operans *in actu signato*, uti aiunt, seu reflexe bonitatem actus sui intendat, v. g., ut dicat secum : *volo id agere, quia bonum est*, quod esset onus importabile; sed sufficit ut eam intendat *in actu exercito*, nempe ut velit rem quam scit vel judicat esse bonam, uti, v. g., si in eleemoysna intendat sublevare pauperem, etiamsi hoc non velit reflexe, ideo quia bonum est. »

§ II.

DE FINE ACTUUM HUMANORUM.

Notio finis.

391. Finis est *id propter quod aliquid fit*, seu est illud omne cujus causa et intuitu agens operatur; vocatur etiam *motivum*, quia voluntatem agentis movet ad operandum, id est, ad adhibenda media.

Distinctio finis in finem operis

392. Finis distinguitur in finem *operis*, seu intrinsecum, et in finem *operantis*, seu extrinsecum. *Finis operis dicitur illud ad quod opus ex natura sua ordinatur*, qua ratione sublevatio miseriæ pauperis est finis intrinsecus respectu eleemosynæ, maceratio carnis respectu jejunii, cultus Dei respectu sacrificii, etc. *Finis vero operantis dicitur illud ad quod opus est ordinatum non per se, sed juxta operantis voluntatem*, qua ratione gloriæ vel pecuniæ consecutio potest esse finis medici ægrotum curantis. Duo isti fines interdum in idem

et operantis;

(1) Lib. 1, tract. 1, disp. 1, c. 4, n. 49.

recidunt, quando, v. g., aliquis facit eleemosynam præcise in sublevamen pauperis; interdum alius alii superadditur, quando, v. g., eleemosyna datur simul in sublevamen pauperis et in satisfactionem pro peccatis; interdum, secluso operis fine intrinseco, solus extrinsecus actum dirigit, quando, v. g., miseria pauperis sublevatur unice propter vanam gloriam.

finis vero operantis distinctio

393. De fine operis, utpote qui in objecto includitur, nihil nunc habendum est; unde de solo fine operantis in sequentibus agemus. Jam vero finis ille distinguitur in ultimum et non ultimum, in primarium et secundarium. Finis *ultimus* est ille in quo sistitur, et qui ad ulteriorem finem non refertur; finis *non ultimus* seu *intermedius* est ille qui ad aliquem ulteriorem finem refertur; unde finis non ultimus comparatus ad media, quæ ad illum obtinendum adhibentur, proprie quidem habet rationem finis, sed comparatus ad finem ulteriorem, habet rationem medii. Finis *primarius* dicitur si sit causa totaliter ad actum movens, *secundarius* vero, si sit causa mere impellens: sic canonicus assistendo choro et sacerdos celebrando Missam, primario intendunt Dei cultum, sed secundario intendere possunt stipendium.

in ultimum

et intermedium,

in primarium et secundarium.

Intentio finis et relatio mediorum ad finem.

394. Actus quo voluntas sese fert in finem dicitur *intentio;* actus quo media ordinantur ad finem dicitur *relatio*. Jam vero intentio finis, et idem dicendum de relatione, est explicita vel implicita, actualis vel virtualis: intentio explicita actualis habetur, quando quis finem aliquem sibi proponit eumque actu mente versat dum media applicat; explicita vero virtualis habetur, quando quis finem actuali intentione antecedenter sibi proposuit, et quamvis de eo postea non cogitet, agit tamen ex illius intentionis præcedentis influxu; demum intentio implicita habetur, dum quis finem actu non spectat, nec eum antea sibi proposuit, sed aliud vult vel voluit quod natura sua ad illum finem est ordinatum (1).

(1) Cfr. supra, n. 40-41.

Finis objective sumptus bonus, malus vel indifferens; intentio finis bona vel mala.

395. Finis objective sumptus bonus vel malus dicitur, prout modo regulæ morum convenienti vel disconvenienti intendi potest, vel ad ipsum media ordinate aut inordinate possunt referri. Quamvis autem illud, in quo finis constituitur, possit esse vel bonum, ut est, v. g., ædificatio proximi, vel malum, v. g., seductio, vel indifferens, v. g., scientia; intentio tamen finis semper bona est vel mala; nam eo solum sensu dicitur indifferens quod possit ordinate vel inordinate appeti, de facto autem semper uno vel altero modo appetitur. Quum igitur in præsenti agamus de influxu finis in moralitatem actus, manifestum est sermonem esse de *intentione*, atque idcirco sex fieri possunt hypotheses, prout intentione bona vel mala ponitur actus ex objecto bonus, malus aut indifferens.

Finis boni influxus in actum objective bonum;

396. *Actus ex objecto bonus in finem bonum relatus, accipit a fine novam speciem bonitatis, immo tot novas species bonitatis accipit, quot ei diversi fines boni præfiguntur.* Sic, v. g., eleemosyna data pauperi in honorem Dei et simul in satisfactionem pro peccatis, ex objecto, dummodo debitæ adsint conditiones (1), habet bonitatem misericordiæ, ex duplici vero adjecto fine duplicem acquirit bonitatem, religionis sc. et pœnitentiæ.

in actum objective indifferentem;

397. *Actus in specie indifferens in finem bonum relatus, accipit a fine primam et unicam suam bonitatem:* sic, v. g., deambulatio suscepta devotæ peregrinationis causa, est opus virtutis Religionis. Ut igitur actus in specie indifferens fiat honestus, necessaria est intentio finis extrinseci boni; hæc autem intentio, quæ explicita quidem esse debet non tamen reflexa (2), sufficienter haberi censetur quando aliquis vult quidpiam rationabiliter, seu quando actiones indifferentes moderate exercentur; ipsa enim moderatio ordinarie indicat quod sublevamen

(1) Cfr. supra, n. 390.

(2) Cfr. supra, n. 390.

naturæ et rectam habitudinem corporis ad animæ potentias et functiones, aut alium finem honestum intendat agens (1).

(1) Cfr. Ballerini, tom. 1, n. 28. Atque exinde patet responsio ad quæstionem *an malus sit actus positus voluptatis causa.* Voluptas scilicet seu delectatio, quæ est quies appetitus in bono (S. Th. 1, 2, q.34, a. 1; a. 2 ad 1), aliquando videtur esse finis operationis proximus a natura intentus; ipsa vero tunc intrinsece dirigitur ad legitimam homini recreationem præbendam: talis voluptas est illa quæ oritur v. g. ex olfactu florum, aspectu amœni campi, auditione suavis concentus etc.; aliquando vero ordinatur ad operationem sicut ad finem, siquidem « propter delectationem attentius et decentius operationi insistimus.... Videmus enim quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quæ sunt manifesto ad fines necessarios ordinatæ, sicut in usu ciborum quæ ordinantur ad conservationem individui, et in usu venereorum quæ ordinantur ad conservationem speciei: nisi enim adesset delectatio, animalia a prædictis usibus necessariis abstinerent » (S. Th. cont. gent. lib. 3, c. 26). Jam vero in primo casu licet profecto agere propter delectationem, seu eam quærere, dummodo tamen finis bonus ad quem natura sua ordinatur, non excludatur; in altero autem casu non licet ita agere propter delectationem ut opus ad ipsam ordinetur, siquidem ex dispositione creatoris delectatio sit propter opus et non vicissim opus propter delectationem; licet tamen ex intuitu delectationis applicari ad opus, ipsum saltem implicite ordinando ad debitum finem, siquidem ad hoc ut decentius et attentius operaremur, delectatio operi fuerit annexa. Rem optime explicaverunt Salmanticenses tr. IX, de Matr. c. 3, pu. 3, n. 32 et 33). « Dupliciter potest quis intendere finem profanum in celebratione matrimonii: vel ut *finem operis*, ordinando videlicet ipsum matrimonium ad illum; et in hoc est inordinatio et perversitas, ut si quis ob stipendium celebraret tanquam propter finem operis; alio modo.... tanquam *applicationem voluntatis* vel ad matrimonium absolute, vel ad matrimonium cum tali aut tali celebrandum, quod proinde non contraherent, nisi propter amorem talis finis applicarentur.... et in hoc nulla datur inordinatio, quia bonum, quod in tali matrimonio intenditur, non assumitur ut finis matrimonii, nam in ipsa contractione matrimonii finis proprius ejus intenditur; sed ut finis illius voluntatis, quæ, cum nollet contrahere, movetur ad contrahendum ex hoc vel illo fine, vel cum nollet cum ista contrahere, movetur ad contrahendum cum illa ob ejus pulchritudinem, divitias etc. Dicimus ergo, quod, quando aliquis, qui nolebat nubere, modo movetur ad hoc, quia sibi occurrit femina vel nobilis, vel pulchra, vel dives, vel cum non vult contrahere cum tali movetur ad contrahendum cum alia, in qua similes qualitates reperit, solum intendat

in actum objective malum.

398. *Actus ex objecto malus ad finem bonum relatus non amittit suam malitiam, eam tamen minorem habet.* Ratio prioris partis est, quia existit inordinatio in eo quod velit quis uti medio turpi ad bonum effectum consequendum; ut enim monet Apostolus (1), non sunt facienda mala ut eveniant bona; et juxta S. Augustinum (2): « etiam ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. » Ratio posterioris partis est, quia finis bonus minorem indicat malitiam in voluntate; hinc rursus S. Augustinus: « in suo quippe genere aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt quæ bono animo videntur admitti (3). » Quinimo sæpissime, hac in re, ignorantia, bona fides, simplicitas omnino excusant a peccato.

Finis mali influxus in actum objective bonum;

399. *Actus ex objecto bonus ad finem malum relatus vel simpliciter malus est, vel partim bonus et partim malus.* Simpliciter malus est, si finis malus in actum influat tanquam causa totalis: ita si quis unice miseros levaret ad vanam gloriam, non

illum finem ut applicationem ad matrimonium, non ut finem matrimonii, quamdiu finem proprium illius non excludit, in quo nullum peccatum est, ut patet in exemplo.... ejus qui erat determinatus ad non celebrandum; adveniente amico, ut illi morem gerat, ad celebrandum movetur: quia in tali casu voluntas amici non assumitur ut finis sacrificii, sed ut applicatio voluntatis ad illud, non excluso fine proprio ejus, et sic excusantur a peccato matrimonia, quæ communiter ob magnam dotem, ob divitias, ob pulchritudinem contrahuntur.... Quando actus est ex se bonus et finis proprius non excluditur, jam in eo finis bonus apponitur: et sic quamvis fines indifferentes apponantur, ut applicationes voluntatis ad illum, non propterea vitiatur actus, aut malus ob defectum finis honesti redditur.... Quare actus bonus est si quis moderate comedat, non attendendo ad finem comestionis, sed nec excludendo illum, etiamsi ex gustu et voluptate ad talem comestionem applicetur. Et in nostro casu quando quis ex voluptate capienda ex copula maritali applicatur ad illam, talis actus est bonus, quia est actus justitiæ, et redditio debiti, etiamsi ad hoc non attendatur, sed ad voluptatem capiendam quod frequentius accidit, quia semper retinetur finis honestus illius actus, et talis voluptas solum est applicatio voluntatis ad illum. »

(1) Rom. 3, 8. (2) De mendacio, c. 21, n. 42.

(3) Contra mendacium, c. 8, n. 19.

misericors sed vanus haberetur; talis enim vellet bonum sub ratione mali (1). Partim bonus et partim malus est, si finis malus in actionem influat tanquam causa partialis : ita si quis eleemosynam daret ex vero misericordiæ affectu, sed simul ob vanam gloriam, hujus gloriolæ amor ex integro operationem non corrumperet. Quomodo autem idem opus possit esse simul bonum et malum, intelligi potest ex eo quod tota bonitas vel malitia formaliter sit in voluntate; in casu vero de quo agimus, duplex est voluntas, altera tendens in bonum, sc. levamen miseriæ proximi, altera tendens in malum, sc. vanam gloriam. Jam vero voluntas mala non excludit voluntatem bonam, quum hæ voluntates, quamvis distinctæ, non tamen sint subordinatæ : unde reipsa duplex quasi actio est in uno opere, altera qua bonum amatur propter se, altera qua bonum amatur propter malum finem.

400. *Actus in specie indifferens ad malum finem relatus, accipit a fine primam et unicam suam malitiam :* ita aspectus fornicationis causa, est opus intemperantiæ. — in actum objective indifferentem ;

401. *Actus ex objecto malus in malum finem relatus, duplicem accipit malitiam, unam ab objecto, seu medio malo electo, aliam a fine malo præfixo et intento, immo tot malitias habet, quot fines mali diversi præfiguntur.* Illæ autem malitiæ aliquando specie diversæ sunt, ut si velis furari adulterandi gratia, aliquando vero diversæ sunt numero tantum, ut si ab uno velis furari claves et instrumenta ut alterius pecunias auferas. — in actum objective malum.

402. Antequam finem huic quæstioni imponamus, advertere liceat, finem extrinsecum, etsi respectu objecti sit accidens et circumstantia, esse nihilominus, si tota series actionum consideretur, primum movens et ultimum in quo voluntas quiescit; ac proinde illum qui, v. g., furatur ut adulterium

(1) 1, 2, 19, q. a. 7, ad 2.

committat, merito dicendum esse mœchum potius quam furem (1).

§ III.

DE CIRCUMSTANTIIS ACTUUM HUMANORUM.

Circumstantiæ notio.

403. Circumstantiæ sunt speciales quædam actus humani conditiones: ita autem vocantur quia actum humanum *accidentaliter* afficiunt et quasi *circumstant.* « Nomen circumstantiæ ab his quæ in loco sunt derivatur ad actus humanos; dicitur autem in localibus aliquid circumstare quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam vel appropinquat ei secundum locum: et ideo quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumstantiæ dicuntur; quod autem est extra substantiam rei ad ipsam pertinens, accidens ejus dicitur: unde circumstantiæ actuum humanorum, accidentia eorum dicenda sunt (2). » Exemplum accipiatur ex actu malo furti, et ex actu bono eleemosynæ. De substantia furti tantum sunt homo accipiens, res aliena, et ejus ablatio invito domino; jam vero actum ipsum, operantem et materiam multæ conditiones afficere possunt, et in furtum diversimode influere, v. g., *quis* furetur: dives an pauper, sacerdos an laicus; *quid* furetur: rem sacram an profanam, pretiosam an vilem; *ubi* furetur: in platea, in Ecclesia etc. Similiter de substantia eleemosynæ sunt homo dans, egenus accipiens, et traditio medii apti ad miseriam sublevandam; hic autem rursus diversæ conditiones supervenire possunt, v. g., *quid* datur: an parum, an multum; *quis* dat: an dives, an pauper; *quomodo* datur: an cum charitate christiana, an dure etc.

(1) Cfr. S. Thomas, 1, 2, q. 18, a. 6. (2) S. Thomas, l. 2, q. 7, a. 1.

Diversus respectus sub quo circumstantia considerari potest.

404. Circumstantiæ considerari possunt vel quatenus sunt conditiones accidentales *actus humani* in ejus moralitatem quocumque modo influentes, vel quatenus sunt conditiones accidentales actus humani *jam in suo esse morali constituti*. Si considerentur sub priori respectu, circumstantiæ aliquando actui tribuere dicuntur primam moralitatem: ita, v. g., labor servilis habet rationem mali ex eo quod exerceatur die dominico vel festivo, manducatio carnis, ex eo quod fiat die abstinentiæ, copula conjugalis ex eo quod exerceatur in loco sancto etc. Si vero considerentur sub posteriori respectu, manifestum est nunquam primam actus moralitatem derivare posse a circumstantiis. Jam vero auctores nomine circumstantiarum intelligere solent eas tantum conditiones quæ actum in suo esse morali constitutum afficiunt; cæteras autem reducunt ad objectum et substantiam actus. Hunc posteriorem modum loquendi, quia communiter est receptus, sequemur; cæterum, ut patet, quæstio est non de re, sed de nomine tantum; jam enim advertimus objectum intelligi posse vel latius vel strictius, et consequenter illud quod est conditio tantum accidentalis respectu actus latius et generalius sumpti pertinet ad substantiam actus sumpti strictius et specialius (1).

Circumstantia mutans speciem;

405. Actum humanum in esse morali constitutum conditiones accidentales moraliter afficere possunt diverso modo. *Aliquando enim actui bono vel malo novam bonitatem vel malitiam addunt;* nam bonitas et malitia desumuntur ex ordine ad regulam morum; sunt autem quædam circumstantiæ quæ secundum se, seorsim et independenter a specie morali petita ab objecto, important distinctum ordinem conformitatis vel difformitatis ad morum regulam, ut si quis fornicetur voto castitatis obstrictus. Istæ circumstantiæ communiter vocantur *mutantes speciem;* melius fortasse dicerentur *addentes novam*

(1) Cfr. supra, n. 389.

speciem, siquidem prior species non destruitur nec mutatur, sed altera diversa ipsi accedit, propter quam novum aliquando adhibetur vocabulum, utramque speciem designans : sic, v. g., adulterium significat actum contra castitatem et contra justitiam debitam alteri conjugi ; incœstus, actum contra castitatem et contra reverentiam debitam proprio sanguini etc.

aggravans vel minuens,

Aliquando circumstantiæ bonitatem vel malitiam quæ in actu etiam sine ipsis habebatur, augent vel minuunt, et ideo aggravantes vel minuentes dicuntur. Possunt autem illæ circumstantiæ moralitatem augere vel minuere dupliciter. Imprimis notabiliter vel non notabiliter : « circumstantia notabiliter augens in materia quantitatis, seu quæ sita est in numero, pondere et mensura, tunc censetur, quando seorsim sumpta et disjuncta ab ipso actu sufficit ad constituendum peccatum mortale : v. g., si supponamus libellas tres in furto constituere materiam gravem, in furto libellarum sex erit circumstantia graviter augens. In aliis vero materiis censetur adesse circumstantia notabiliter augens, quando excedit modum ordinarium peccandi, v. g., si quis per mensem vel per annum integrum perseveret in odio (1). »

notabiliter vel non notabiliter.

in eadem specie theologica vel non.

Deinde circumstantiæ possunt ita moralitatem augere vel minuere ut actum relinquant in eadem specie theologica, vel ita ut eam in aliam speciem theologicam transferant, videlicet e veniali reddant mortalem, vel e mortali venialem : ita quantitas materiæ, prout magna vel parva est in ablatione rei alienæ, constituit peccatum mortale vel veniale.

406. Notari hic potest quod supra (2) diximus relate ad objectum, nimirum ut actus sumat bonitatem a circumstantia, v. g., ut dans eleemosynam personæ sacræ, addat bonitati eleemosynæ novam bonitatem religionis, necessarium omnino esse ut ipsa circumstantia bona in se volita et intenta

(1) Scavini, n. 52. (2) Cfr. n. 390.

fuerit; si enim, quamvis cognita, nullo modo intenta aut etiam præcisa seu exclusa fuerit, nullam conferre poterit bonitatem. At contra, ut actus sumat malitiam ex circumstantia mala sufficit illam esse cognitam, nec requiritur illam esse ullo modo intentam et in se volitam ; sic, v. g., furans scienter rem sacram contrahit malitiam sacrilegii ex circumstantia rei sacræ, etiamsi illam minime velit, immo quam maxime nolit rem esse sacram (1).

Circumstantiarum numerus :

407. Septem distinguuntur circumstantiæ quæ hoc versiculo continentur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

« Ratio hujus annumerationis, sic accipi potest. Nam circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod aliquo modo attingit ipsam. Contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo in quantum attingit ipsum actum. Alio modo in quantum attingit causam actus. Tertio modo, in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut tempus et locus ; vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi. Ex parte autem effectus, ut cum consideratur quid aliquis fecerit. Ex parte vero causæ actus : quantum ad causam finalem, accipitur propter quid ; ex parte autem causæ materialis sive objecti, accipitur circa quid ; ex parte vero causæ agentis principalis, accipitur quis egerit ; ex parte vero causæ agentis instrumentalis, accipitur quibus auxiliis (2). » De his igitur circumstantiis, præter finem jam supra explicatum, in sequentibus agemus.

quis,

408. *Quis* significat non ipsum operantem secundum se, sed ejus qualitatem seu conditionem accidentalem. Hæc circumstantia sæpe actui bono vel malo novam bonitatis vel

(1) Cfr. Sporer, tr. 1, c. 3, s. 4, n. 21. (2) S. Thomas, 1, 2, q. 7, a. 3.

malitiæ speciem confert : ita si *voto obstrictus* jejunium servet vel continentiam, non solum mortificationis et castitatis, sed etiam religionis actum ponit ; e contra si *castitatis voto obstrictus* fornicetur, peccat tum contra temperantiam, tum contra religionem. Eadem circumstantia interdum operis bonitatem vel malitiam intra eamdem speciem auget vel minuit: ita si vir *doctrina excellens* aliis se postponat, si *pauper* eleemosynam det, actus humilitatis et misericordiæ specialem bonitatem acquirunt; e contra gravius, cæteris paribus, est peccatum hominis *fidelis* quam infidelis, *docti* quam indocti, *episcopi*, *religiosi*, *clerici* quam sæcularis aut laici. Hoc tamen intelligendum est de peccatis quæ cum deliberatione perfecta committuntur, non item de peccatis ex fragilitate aut subreptione : hæc enim in viris sanctis minus deliberata, adeoque leviora esse solent. « Duplex est peccatum. Quoddam enim ex subreptione proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ, et tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere : quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit. Alia vero peccata sunt ex deliberatione procedentia, et ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto major est. Et hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem, quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia, virtute... Secundo, propter ingratitudinem, quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, et quantum ad hoc quælibet majoritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggravat... Tertio, propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si princeps justitiam violet qui ponitur justitiæ custos... Quarto, propter exemplum sive scandalum, quia, ut Greg. ait in Pastorali, in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur (1). »

(1) S. Thomas, 1, 2, q. 73, a. 10.

409. *Quid* significat non ipsum objectum circa quod actus versatur, sed accidens illi conjunctum, puta qualitatem, quantitatem. Hæc circumstantia quandoque actui bonō novam bonitatis speciem confert, ut si *pauperi sacerdoti* eleemosynam largiaris, erit is actus in duplici specie virtutis, nempe misericordiæ et religionis, in supposito quod utriusque virtutis honestatem intendas. Quandoque e contra actui malo novam addit malitiæ speciem, ut in furto rei *sacræ*, in percussione *clerici*, *parentis*, etc. Non raro eadem circumstantia bonitatem actus intra eamdem speciem auget, ut si *viduis*, *pupillis* humanitatis ac liberalitatis officia præstes; aut e contra malitiam aggravat, ut si injuriam inferas homini *innocenti*, *sancto* etc. quid,

410. *Ubi* significat accidentalem loci qualitatem, quod nimirum sit sacer, profanus, publicus, privatus. Raro hæc circumstantia, intra eamdem speciem, peccatum notabiliter aggravat, interdum tamen actui malo novam addit malitiæ speciem, tum contra religionem ratione loci *sacri*, tum contra charitatem ratione loci *publici*. Et quidem de ratione loci sacri ita loquitur J. De Lugo (1) : « An peccata in Ecclesia commissa, licet non contrahant malitiam gravem sacrilegii necessario explicandam in confessione, contrahant tamen aliquam malitiam majorem ratione loci sacri? Respondetur per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, videri quod contrahant ex loco sacro aliquam irreverentiam specialem; immo eam, licet levis sit, pertinere ad specien sacrilegii: non enim apparet cui virtuti opponatur nisi religioni, propter specialem reverentiam quæ debetur loco sacro... Indecens enim est ut locus orationi et cultui divino deputatus, convertatur in locum peccandi et offendendi eumdem Deum. » De ratione autem loci publici sic Sporer (2) : « Peccata facta in loco publico ordinarie habent adnexam malitiam scandali contra charitatem. » ubi,

1) De pœn. disp. 16, n. 466. (2) L. c. n. 26.

quibus auxiliis,

411. *Quibus auxiliis* significat sive accidentalem qualitatem mediorum, sive specialem conditionem hominum quibus utimur ad aliquid perficiendum. Hæc circumstantia interdum addit actui malo novam malitiæ speciem, ut si adhibueris *vestes sacras* ad alterum decipiendum, interdum malitiam aggravat, ut si ad alterum interficiendum selegeris arma ad *cruciandum exquisita*.

quomodo,

412. *Quomodo* significat modum accidentalem quo ponitur actus, intensive vel remisse, ex contemptu, levitate, vi vel dolo. Hæc circumstantia aliquando actui malo novam malitiæ speciem addit, ut in furto *violento* malitiam rapinæ; aliquando intra eamdem speciem operis malitiam auget vel minuit: huc scilicet pertinent quæstiones utrum peccatum commissum sit ex scientia ac mera malitia, an ex culpabili ignorantia; utrum ex voluntate plene deliberata, an vero ex metu, suasione, precibus importunis etc.

quando.

413. *Quando* significat non temporis moram quo actus duravit, sed ejus qualitatem accidentalem, quod nempe fuerit *sacrum* vel non. Quisnam sit hujus circumstantiæ in moralitatem actus influxus, non omnino convenit inter auctores. Sic, v. g., J. De Lugo (1): « Ego imprimis puto non omnia peccata mortalia in die festo contrahere circumstantiam necessario confitendam... Adverto secundo, negari non posse quod circumstantia illa (temporis sacri) per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, aggravet aliquantulum ac consequenter det malitiam specialem sacrilegii saltem levem, ut supra dicebamus de circumstantia loci sacri: quia sicut persona sacra aggravat quodlibet peccatum mortale quod committit, quia per quodlibet peccatum grave profanatur persona Deo sacra, sic etiam quolibet peccato mortali profanatur Deo sacra dies, et specialiter destinata ad Dei cultum... Hinc infero

(1) L. c., n. 518.

neque etiam in die jovis aut veneris sancti, nec in die qua accepta est Eucharistia, omnia peccata mortalia contrahere malitiam gravem necessario explicandam... Ratio autem est quam attulimus, quia, licet illa circumstantia refundat malitiam aliquam irreverentiæ specialis, non tamen tantam ut fiat gravis : sicut neque est locus ita sanctus in quo omnia et singula peccata mortalia accipiant specialem malitiam necessario explicandam. Addo tamen posse aliquod peccatum ratione temporis sacri contrahere malitiam gravem necessario explicandam, sicut id diximus supra, posse etiam contingere ratione loci. Exempla autem in præsenti esse possunt : primo, si illo die veneris sancti aliquis vellet ludos publicos, comœdias et ludicra spectacula exhibere, sicut in diebus bacchanalium : illa certo viderentur gravissima irreverentia contra sacratissimum diem Passionis Christi Domini (1). » E contra Laymann (2): « Temporis circumstantia, ut quod dominico vel festo die eleemosynam dederis, ebrius fueris vel fornicatus, non reddit actionem moraliter meliorem deterioremve, multo minus novam malitiam addit, per se loquendo, juxta probabiliorem sententiam. »

414. A circumstantiis proprie dictis distinguenda sunt mala quædam, quæ actum aliunde bonum comitari possunt, atque eidem se miscere : ita, v. g., in curandis infirmis non raro exurgunt motus impatientiæ, iræ, etc. Hæc et alia hujusmodi non tam sunt circumstantiæ actus quam actus plane diversi, atque ideo non obstant quominus agens honestatem actionis præcipuæ intendat; ejus autem actio, quamvis ex parte imperfecta, utpote cujus bonitas ex consortio circumstantiæ aut actus de se mali minuitur, non omnino depravatur. Id Patrum doctrinæ conforme est et suavi Dei providentiæ consentaneum, quæ pretiosum a vili separans, bonorum operum paleas purgat

(1) Cfr. etiam Lessius, de Justitia et jure, lib. 2, c. 45, dub. 4, n. 20.
(2) Lib. 1, tr. 2, c. 9, n. 9.

flammis piacularibus, et, quod superest virtutis, pro auro mundo habet (1).

COROLLARIUM.

Concursus triplicis principii ad moralitatem actus.

415. Ex præcedentibus intelligitur *objectum*, *finem* et *circumstantias* non ita dici principia moralitatis, ac si bonitas vel malitia actuum derivari non posset nisi ex his tribus simul. Ut enim actus sit bonus, sufficit vel quod objectum bonum in se intendatur, quin oporteat illud referre ad aliquem finem extrinsecum, vel quod objectum in specie indifferens ad aliquem finem extrinsecum bonum referatur. Ex altera parte, ut actus sit malus, sufficit quod vel objectum, vel finis, vel circumstantia sit contra honestatis normam, etiamsi horum aliquid ab hac regula non deficiat. Hæc autem est inter bonitatem et malitiam differentia, quod, licet ad bonitatem non tria elementa concurrere debeant positive, tamen si habeantur, non possint esse a norma difformia, dum e contra ad malitiam satis sit quod aliquid reperiatur contra normam, saltem intra limites pluries determinatas (2), etiamsi cætera sint secundum ipsam. Atque hic est sensus axiomatis in præsenti materia recepti : « bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. »

SCHOLION.

Actus relatio in Deum implicita et naturalis ;

416. Bonitas actus exigit relationem, saltem implicitam ad finem ultimum qui est Dei gloria. Verum hæc implicita relatio habetur satis, quando ex una parte finis ille ultimus positive non excluditur, et, ex altera parte, actus ex objecto bonus propter se intenditur, vel in specie indifferens ad finem aliquem extrinsecum bonum dirigitur. Pulchre S. Augustinus : « Suggero tibi remedium unde tota die laudes Deum, si vis :

(1) Cfr. Wirceburgenses, de act. hum. n. 152. (2) Cfr. supra, n. 399 et 414.

quidquid egeris, bene age et laudasti Deum ; quando cantas hymnum, laudas Deum.... et quoties cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris, noli ebriari et laudasti Deum ; discedis ut dormias, noli surgere ad male faciendum et laudasti Deum ; negotia agis : noli fraudem facere et laudasti Deum ; aurum colis : noli litem movere et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die (1). »

explicita et supernaturalis.

417. Præter hanc relationem implicitam, alia habetur supernaturalis explicita a S. Paulo indicata : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (2) ; » et rursus : « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum (3). » Verum hæc relatio vel juxta S. Bonaventuram præcepta non est (4), vel, si ut præcepta habetur, sufficienter juxta S. Thomam ejus obligatio impletur quando debitis temporibus actus charitatis elicitur (5). Quidquid autem de hoc sit, ab ista obligatione independens est moralitas actuum. Aliud enim omnino est, teneri homines ad referendos omnes suos actus in Deum, *ut illi actus sint moraliter boni*, aliud homines ad hoc teneri *ut satisfaciant præcepto alicui affirmativo quod urget tantum identidem.* Supposito namque hujusmodi præcepto, sequitur quidem peccare homines qui illud non adimplent, quando hic et nunc urget; at minime sequitur actus subsequentes eorum qui ita præceptum non adimpleverunt, propter illam omissionem, non esse bonos moraliter, sive esse malos (6).

(1) Serm. 2, in ps. 34, n. 16. (2) 1 C. x. 31. (3) Coloss. III. 17.
(4) In 2, Dist. 41, a. 1, q. 3, ad 3 et 6.
(5) Cfr. in 2, dist. 40, q. 1, a. 5 ad 6 et 7 ; q. 2, De charitate, a. 11, ad 2 ; 1. 2, q. 100, a. 10 ad 2. S. Franciscus Salesius, Traité de l'amour de Dieu, lib. 12, c. 8.
(6) Cfr. Perrone, De fide, spe et charitate n. 270 et sqq.

ARTICULUS II.

De extensione moralitatis.

Indicatio materiæ.

418. Tres sunt præcipuæ quæstiones sub hoc titulo agitandæ: prima versatur circa actuum indifferentiam moralem, altera respicit actus imperatos, tertia est de culpabilitate actus voluntarii in causa.

§ I.

DE ACTUUM INDIFFERENTIA.

Prænotanda ad intelligentiam quæstionis.

419. Ad omnem æquivocationem præcavendam, statumque controversiæ rite percipiendum, quædam adnotari debent. *a)* Actuum indifferentia intelligi potest vel relate ad meritum aut demeritum vitæ æternæ, vel relate ad bonitatem aut malitiam moralem: non de priori sed de posteriori tantum hic sermo esse potest, siquidem apud omnes certum est quædam peragi sive ab infideli, sive a fideli peccatore quibus nec æternum præmium nec pœna tribuitur. *b)* Actus aliquando procedunt a ratione deliberativa, aliquando autem « ex quadam imaginatione, ut cum aliquis fricat barbam vel movet manum aut pedem (1); » de illis tantum quæstio in præsenti movetur; hi enim, juxta omnes, moralitatis incapaces sunt, et, ut ait S. Thomas (2), « quasi extra genus moralium actuum existentes. » *c)* Actus autem deliberati spectari possunt *in specie*, scilicet juxta *essentiam* et præcisione facta ab illis conditionibus in quibus exercentur, vel *in individuo*, scilicet juxta *existentiam* et simul cum illis conditionibus in quibus exercentur: priori modo spectantur magis *abstracte*, posteriori

(1) S. Thomas, 1, 2, q. 18, a. 9. (2) l. c.

magis *concrete*, eadem fere ratione qua *homo* concipitur absque eo quod sit doctus vel indoctus, sanus vel æger, quamvis non possit existere quin sanus sit vel æger, doctus vel indoctus.

420. *Si actus consideretur secundum speciem potest esse nec bonus nec malus, sed indifferens.* Est sententia communis cum S. Thoma (1). Ratio autem est, quia actus in specie indifferens ille dicitur qui non habet finem intrinsecum bonum aut malum, sed bonitatis vel malitiæ acquirendæ capax est, prout ad finem extrinsecum bonum vel malum ab agente dirigitur; atqui hujusmodi actus multi sunt, ut, v. g., movere brachium, ambulare per agrum etc. Dari actus indifferentes in specie probatur ratione;

421. *Si vero actus consideretur in individuo, disputatur inter scholas utrum possit esse indifferens, an vero necessario debeat esse bonus vel malus : dari enim actus etiam in individuo indifferentes, Scotistæ passim affirmant; multo tamen communius alii cum S. Thoma negant.* Innituntur autem isti tum argumento ab auctoritate, tum argumento a ratione. Quantum ad auctoritatem producunt imprimis verba Christi Domini (2) : « Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii; » multa dein SS. Patrum testimonia afferunt, quibus vel prædictus Evangelii textus urgetur, vel sententia generatim asseritur : ad priorem classem pertinet testimonium S. Bernardi (3) : « otiosum verbum est quod nullam rationabilem causam habet; » ad posteriorem pertinet testimonium S. Augustini (4) : « Mirum si potest voluntas in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit : aut enim justitiam diligimus et bona est; et si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est; aut si omnino non non dari indifferentes in individuo, probatur ab auctoritate

(1) 1, 2, q. 18, a. 8.
(2) Matth. XII, 36.
(3) Sermo de triplici custodia, n. 3.
(4) Lib. 2, De pecc. mer., c. 18, n. 30.

diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? » Quantum deinde ad rationem, sic discurrit Doctor Angelicus (1): « Contingit quandoque aliquem actum esse indifferentem secundum speciem, qui tamen est bonus vel malus in individuo consideratus : et hoc ideo quia actus moralis... non solum habet bonitatem ex objecto a quo habet speciem, sed etiam ex circumstantiis quæ sunt quasi quædam accidentia : sicut aliquid convenit individuo hominis, secundum accidentia individualia, quod non convenit secundum rationem speciei. Et oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali ; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni : necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem : unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum (2). »

et ratione.

§ II.

DE MORALITATE ACTUS IMPERATI.

Prænotanda.

422. Actus imperatus liberæ voluntatis, v. g., *eleemosynæ datio*, *rei alienæ acceptio*, duobus modis considerari potest. Primo, ut objectum circa quod actus elicitus, scilicet voluntas dandi vel furandi versatur. Secundo, ut executio et effectus

(1) 1, 2, q. 18, a. 9.

(2) Cfr. supra, n. 397.

ejusdem actus eliciti. Priore consideratione, habet actus imperatus bonitatem aut malitiam non formalem sed fundamentalem, quia formalis bonitas aut malitia actus eliciti desumitur ab actu imperato tanquam proximo objecto suo : ideo enim velle furari est malum et velle dare eleemosynam est bonum, quia malum est furtum et bona eleemosyna. Posteriore consideratione, habet actus imperatus formalem bonitatem et malitiam, non quidem ut intrinsece ipsi inhærentem, sed tributam dumtaxat per extrinsecam denominationem liberæ voluntatis a qua imperatur : ideo scilicet furari est formaliter malum, quia volitio a qua procedit est formaliter mala. Itaque bonitas vel malitia fundamentalis actus imperati prior est bonitate vel malitia actus eliciti; sed bonitas vel malitia formalis ejusdem actus imperati posterior est bonitate vel malitia actus eliciti : non quasi sint duæ bonitates vel malitiæ formales, sed unica, quæ est in actu elicito tanquam forma intrinsece denominans, in imperato autem, ut denominans extrinsece (1).

Duplex quæstio tractanda.

423. Hisce præmissis, jam duæ quæstiones hic examinandæ veniunt : prima vere practica et satis magni momenti est, quinam actus indeliberate facti retineant suam malitiam objectivam et fundamentalem, ita ut habeatur obligatio præcavendi ne hujusmodi actus ponantur; altera magis speculativa est, an executio actus imperati bonitatem vel malitiam formalem actus eliciti augeat, ita ut, v. g., melius sit eleemosynam de facto largiri, quam velle tantum illam facere, et e contra pejus sit, v. g., fornicationem committere, quam intendere tantum fornicari.

Quandonam actus imperatus indeliberate factus retineat suam malitiam objectivam.

424. Quæstionem utrum et quandonam actus indeliberate facti retineant suam malitiam objectivam, sequentibus resolvit Reuter (2): « *Retinent malitiam objectivam actus externi*

(1) Cfr. Laymann, lib. 1, tr. 2, c. 7, n. 5.
(2) De act. hum. q. 9, tr. 1, p. 1, n. 52.

indeliberate facti, si hoc retinent ob quod alias prohibentur, ita ut, si accederet sola advertentia et libertas, hoc ipso in illos prosecutive tendens peccaret formaliter; si autem ex parte objecti illud desit propter quod alias prohibentur, non retinent malitiam objectivam. In exemplis: homicidium prohibetur, quia est *violatio juris alieni in vitam vel ejus usum;* pollutio innaturalis, seu procurata turpibus cogitationibus vel tactibus aliave actione, prohibetur, quia est *damnosa proli et generi humano;* esus carnium prohibetur, quia est *roboratio corporis adversus spiritum rebellis:* hæ autem rationes manent licet ista fiant sine libertate et advertentia; proinde sine his facta manent objective mala; et hinc voluntas non potest in iis licite complacere, etiam ut factis sine advertentia, multo minus desiderare ut sine advertentia fiant, nec licet quemquam (qui sit subjectus legi) inducere ad ea etiam sine advertentia facienda; sed est obligatio vitandi vel emendandi causas illorum proximas. E contra mendacium prohibetur, quia est *locutio contra mentem, ideoque turbativum commercii in societate humana quam everteret licentia mentiendi;* perjurium prohibetur, quia est *interpositio testimonii divini pro re cognita ut falsa, ideoque abusus divini testimonii ad confirmandum falsum;* hæresis prohibetur, quia est *dissensus pertinax ab objecto proposito tanquam a Deo revelato:* hæ autem rationes non manent si verba mendacia seu falsa, vel hæretica, aut perjura inadvertenter, v. g., in somno vel ebrietate proferantur; nam sic verba falsa non proferuntur contra mentem seu judicium proprium, nec hæretica cum cognitione revelationis divinæ, nec perjura cum cognitione interpositi divini testimonii: proinde verba talia sic prolata non retinent malitiam objectivam, ideoque non est obligatio ob eam vitandi causam illorum proximam, v. g., ebrietatem ideo præcise quod talia verba sine advertentia in illa proferantur. Ita Lacroix (1): hoc

(1) Lib. 5, n. 48.

teste, putant multi verba blasphema et imprecatoria non retinere quoque malitiam objectivam, si proferantur sine animo inhonorandi Deum vel male volendi proximo; sed recte notat Lugo (1), quod retineant turpitudinem objectivam, si proferantur ab habente usum rationis, quia fiunt cum advertentia ad substantiam actus, qualis est inhonoratio materialis Dei, et imprecatio contra proximum; imo si quis nesciret quid verbis istis significaretur, etsi tum malitiam proprie dictam objectivam non retinerent, tamen non carerent omni turpitudine, quia audientibus ingerunt malum sensum: unde non licet stultum incitare ad verba blasphema, et diras imprecationes, etsi id a mortali excuset Gobat (2). » Ex citatis patet non semper in quæstionibus particularibus clarum esse utrum aliquis actus indeliberate factus retineat vel non illud propter quod alias prohiberetur, et consequenter objectivam suam malitiam habeat nec ne : ideo remittimus ad tractatus speciales theologiæ moralis, quorum est particulares illas quæstiones elucidare : in præsenti enim principia solum explicare debemus.

An executio actus imperati augeat moralitatem formalem actus eliciti

425. Quoad alteram quæstionem, de influxu scilicet actus imperati in moralitatem actus eliciti, hæc statui possunt. *a)* Nemini dubium est, voluntate Christi et Ecclesiæ, aliquos effectus, v. g., gratias sacramentales, satisfactiones, annexos fuisse executioni quorumdam actuum, ita ut ad eosdem effectus consequendos sola bona voluntas, quantumvis perfecta, non sufficiat. *b)* Certum est etiam non raro, occasione executionis actus imperati, actum elicitum vel pluries repeti, vel intensiorem aut diuturniorem fieri, quo sensu dici posset per actum imperatum moralitatem actus eliciti augeri. *c)* Item omnes admittunt actum elicitum inefficacem non eam habere bonitatem quam haberet executio actus ejusdem speciei: ita qui

augere potest occasionaliter

(1) De pœn. disp. 16, n. 210.

(2) Cfr. Lacroix et Lugo ll. cc. Sasserath, de act. hum. diss. 2, q. 3, n. 25.

vellet tantum Deo placere et obsequi quantum B. Virgo et omnes sancti, non tantum mereretur quantum illa et ipsi: ut enim quis tantum Deo placeret quantum B. Virgo et omnes sancti, saltem deberet non unicum, sed tot et cum eodem fervore elicere actus interiores, quot elicuerunt B. Virgo et omnes sancti. *d)* Demum apud omnes constat actum imperatum haberi posse tanquam perfectionem et consummationem actus eliciti, cujus est terminus et objectum. Unde S. Thomas (1): « Si loquamur de bonitate actus quam habet actus exterior secundum se, sic actus exterior complet interiorem in bonitate vel malitia, sicut terminus motus complet motum. » Et rursus (2): « Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet secundum materiam et debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem ut terminus et finis: et hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis: quia omnis inclinatio vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem vel attingit terminum; unde non est perfecta voluntas nisi sit talis quæ opportunitate data operetur. » *e)* Tota ergo controversia est de augmento moralitatis quod *per se* et non occasionaliter præberet actui elicito efficaci actus imperatus prout est mera ejusdem executio: v. g., Petrus dat eleemosynam pauperi, Joannes vult efficaciter eamdem eleemosynam largiri, sed intentionem suam exequi non potest, quia fur abstulit nummos paratos: quæritur utrum melior sit coram Deo Petrus quam Joannes. Affirmare videntur plures Scotistæ; multo tamen communius negant alii cum S. Thoma (3). Sententiam suam isti probant imprimis argumento ab auctoritate, cum in SS. litteris voluntas sincera reputetur pro facto, et non minus laudetur aut damnetur, ac si quis factum exercuisset; sic Deus ad Abraham: « quia *fecisti hanc rem* et *non*

non per se.

(1) In 2, dist. 40, a. 3. (2) 1. 2, q. 20, a. 4.
(3) L. c.

pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi (1); » et Christus Dominus : « Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, *jam mœchatus est eam* in corde suo (2). » Unde S. Chrysostomus : « Voluntas est quæ aut remuneratur pro bono, aut condamnatur pro malo : opera autem sunt testimonia voluntatis (3) ; » S. Augustinus vero : « Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id eum cupere, et si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur (4) ; » et S. Bernardus : « Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas (5). » Argumentum autem a ratione desumitur ex hoc quod actus imperatus non habet moralitatem formalem distinctam ab actu elicito : ergo actus eliciti moralitatem augere non potest ; ita S. Thomas : « Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur, si posset, defectus perfectionis, quæ est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem, sicut non meretur pœnam vel præmium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de præmio vel de pœna si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum (6). »

§ III.

DE MORALITATE EFFECTUS VOLUNTARII.

425. Effectus, ex aliqua actione vel omissione secutus, non est moraliter bonus nec imputatur ad laudem, nisi sit voluntarius in se : bonitas enim non contrahitur nisi intendatur ; potest

Effectus non est bonus nisi intendatur ; malus autem esse potest, quamvis non intentus.

(1) Gen. 22, 16. (2) Matth. 5, 28. (3) Hom. 19, in Matth.
(4) De lib. arb. lib. 1, c. 3, n. 8. (5) Epist. 77, seu tr. de baptismo ad Hugonem de S. Victore, c. 2, n. 8. (6) L. c.

tamen hujusmodi effectus esse moraliter malus et imputari ad culpam, etiamsi sit tantum voluntarius in causa: malitia enim non solum nequit intendi, sed vitari debet (1). Videndum igitur est quandonam effectus ex aliqua causa secutus, sit ponenti causam moraliter malus seu imputabilis ad culpam, deinde quanta sit malitia talis effectus, demum quandonam hæc malitia contrahatur.

I.

DE REQUISITIS AD MORALEM IMPUTABILITATEM EFFECTUS.

Effectus est malus quando datur obligatio illud vitandi.

426. *Effectus, aliquo modo prævisus et liber, ex causa voluntaria secutus, tunc solum moraliter malus est et ponenti causam imputabilis ad culpam, quando iste tenetur causam non ponere vel positam auferre, et quidem ideo sive ex justitia, sive ex charitate, sive ex officio ad hoc præcise tenetur ne talis effectus sequatur.* Rem egregie explicavit Suarez (2): « Non satis est quodcumque præceptum quod sit veluti extrinsecum et per accidens ratione talis operationis, sed necessarium est præceptum quo quis teneatur vitare (causam), ne inde sequatur alius effectus... Ut si quis teneatur abstinere a cibo ratione præcepti ecclesiastici, non vero ne sequatur inde, v. g., pollutio nocturna, quamvis transgrediatur præceptum jejunii, non ideo censebitur voluntaria talis pollutio; nec tenebitur illam (transgressionem) vitare propter vitandum alterum effectum (sc. pollutionem), sed aliunde (nempe propter præceptum ecclesiasticum). Bene etiam Præpositus (3): «Notandum quod, quemadmodum supra dictum est (4), non sufficiat

(1) Cfr. supra, n. 390. (2) In 1, 2, tr. 2, disp. 1, s. 4, n. 11.
(3) In 1, 2, q. 6, a. 3, dub. 4.
(4) Ibid. « Notandum 1° Ad hoc ut effectus subsequens omissionem censeatur voluntarius, non sufficere ut aliquis teneatur actum ponere, sed

obligatio operis omittendi, sed requiratur obligatio illud omittendi intuitu effectus secuturi : unde si opus ex alio capite sit prohibitum, etiam jure naturæ, non propterea effectus... nobis moraliter imputabitur. » Ita sacerdos, judex, medicus incumbere tenentur studio sive Theologiæ, sive legum, sive medicinæ, ne in exercitio sui officii errores admittant; unde si studere neglexerint, hujusmodi errores in suo ministerio admittendi, erunt ipsis culpabiles in causa, scilicet in defectu studii, quia præcavere debebant *ne effectus isti sequerentur.* Similiter, ut trito exemplo utamur, qui ligna projicit per fenestram, prævidens homines in via transituros, reus est mortis eorum qui transeuntes interficiuntur, quia, ne mors illa sequeretur, tenebatur actionem omittere.

Ad quæstionem utrum liceat ponere causam effectus mali propter effectum bonum quod sequitur ex eadem causa

427. Hinc quæstio *quandonam effectus sit culpabilis in causa*, ad sequentem reducitur : *quandonam teneatur quis præcavere aliquem effectum, et ideo, ne effectus ille quem præcavere debet, sequatur, teneatur causam non ponere vel positam auferre;* quæ rursus similis est huic alteri : *quandonam liceat ponere causam quæ duos effectus habeat, unum bonum, alterum malum :* quærere enim, utrum et quandonam liceat ponere causam hujusmodi perinde est ac quærere, quid sit necessarium ut effectus malus alicujus causæ, quamvis prævisus et liber, non sit tamen ponenti causam imputabilis ad culpam. Jam vero vidimus generatim effectum non imputari ad culpam quando ille, qui causam ponit, non tenetur omittere hanc causam ne effectus sequatur, seu quando jus habet ponendi causam nonobstante effectu malo quem secuturum prævidet. Tale autem jus quis habet quando datur ratio gravis ad actionem vel omissionem ; hæc vero ratio gravis, alia profecto

requiri ut debeat ponere, ad hujusmodi effectum impediendum ; unde etiamsi quis ex alio capite teneatur operari, si tamen hæc obligatio non oriatur ex ordine ad effectum de quo agitur, talis effectus non censebitur voluntarius propter omissionem actus. »

esse nequit nisi effectus bonus ex eadem actione aut omissione oriturus. Porro in hujusmodi casu, licet, ob gravem rationem, ponere causam quæ habet etiam effectum malum, quia propter effectum bonum, lex quæ effectum illum malum prohibebat, cessat; ac proinde, cessante lege, effectus qui alioquin prohibitus fuisset et moraliter malus, erit tantummodo malum aliquod physicum et materiale.

attendendum est

428. Quamvis verum et certum sit principium generale modo declaratum, non possunt tamen universali regula casus in specie determinari in quibus, ratione effectus, aliquis interdicatur nec ne a ponenda causa. Recte nihilominus statuitur, semper attendendum esse *ad naturam et indolem causæ, ad necessitatem eam ponendi, ad ejus causalitatem an sit proxima vel remota, per se vel per accidens; demum ad effectus probabilitatem :* quæ omnia jam breviter explicabuntur.

utrum causa una habens duplicem effectum

429. Ante omnia notandum est questionem agitari de casu, quo duplex effectus ex una eademque causa revera sequitur, ut si, v. g., remedium aliquod sit simul matri proficuum et proli quam ipsa gerit nocivum, non vero de casu quo unus quidem effectus ex hac causa immediate sequitur, alter vero per aliam causam, seu mediante primo illo effectu, producitur, ut si, v. g., remedium aliquod per se produceret tantum mortem prolis, ipsa vero mors prolis deinde matri prodesset.

sit nec ne mala per se ;

430. Itaque imprimis videndum est an causa non sit mala ac prohibita per se et independenter a quocumque effectu, prout sunt mendacium, blasphemia, fornicatio : nunquam enim fas est talem causam ponere, juxta axioma : « non sunt facienda mala ut eveniant bona. »

quisnam effectus prævaleat;

431. Effectus bonus, qui ex causa sequitur, comparandus est cum effectu malo; ideoque perpendendum est quam grave sit malum quod sequi potest : nam quo majus est istud malum, eo major necessitas et utilitas requiritur ad ponendam causam illius : hinc contingere potest ut sit ratio sufficiens exponendi

se, v. g., periculo alterum leviter lædendi, et tamen non sit sufficiens ad exponendum se periculo alterum occidendi.

utrum effectus bonus et malus sequuntur per se vel per accidens; proxime vel remote,

432. Fieri potest ut effectus bonus non prævaleat effectui malo, et nihilominus liceat ponere causam utriusque : ulterius scilicet considerandum est, utrum effectus malus ex causa sequatur per se, an vero per accidens, et si per se, examinandum utrum sequatur proxime an remote tantum. Si effectus malus ex causa posita sequatur per accidens, facilius poterit quis se ad illum habere permissive : sic quandoque possumus, propter aliquod bonum temporale, nos habere permissive ad aliquod malum spirituale : v. g., licet nobis exigere juramentum a juraturo per falsos deos, vel mutuum petere ab eo quem scimus non daturum nisi sub usura etc., quia peccatum eorum per accidens tantum sequitur ex actione nostra.

magis vel minus probabiliter;

433. Præterea attendendum est ad effectus probabilitatem, ejusque connexionem cum causa : per istam connexionem intelligimus mutuam in existendo causæ et effectus relationem : sublata actione quam pono, non erit locus malo effectui, quia non est alia causa quæ illum producat; sublata mea actione, nihilominus malus complebitur effectus, quia nempe ab alia causa producetur : in primo casu perfecta est connexio inter actionem meam et effectum, in altero casu non ita; eo igitur major est connexio quo probabilius est, sublata actione mea, effectum malum non esse aliunde producendum, et consequenter gravior ratio necessaria est ut agere mihi liceat.

utrum non sit obligatio specialis vitandi effectum malum.

434. Demum ratio habenda est obligationis e speciali titulo aut officio ortæ, qua fortasse præ cæteris agens adstringitur ad impediendum istud genus mali quod in casu timetur. Nam si obligatio generalis impediendi malum non tollitur, nisi propter bonum aliquem effectum eventurum, obligatio specialis huic generali obligationi quasi superaddita, evidenter majorem necessitatem in causa legitimæ excusationis, majoris boni spem ex omissione obligationis postulabit. Hinc, v. g.,

fieri potest ut in casu speciali liceat homini privato materialiter cooperari ad furtum, et tamen non liceat ministris publicis.

II.

DE GRAVITATE MALITIÆ EFFECTUS IN CAUSA IMPUTABILIS.

Ad discernendam gravitatem malitiæ in effectu malo

435. Ex præcedentibus apparet quosdam esse effectus quos aliquo titulo præcavere debemus; quia autem hos effectus præcavere debemus, ideo nos teneri non ponere causam ex qua illi effectus sequuntur. Unde *tota obligatio vitandi causam* (prout eam nunc consideramus) *provenit ex obligatione impediendi effectum, ac proinde causa, qua talis, omnem suam malitiam habet ab effectu.* Ut ergo intelligamus quantam malitiam contrahat ille qui causam ponit, attendere oportet *ad naturam hujus effectus*, utrum scilicet talis sit ut ratione justitiæ, vel officii, vel charitatis tum nobis tum aliis debitæ, aut quovis alio titulo, *sub gravi* illum præcavere teneamur. Dein attendere etiam oportet *ad rationem causalitatis quæ intercedit inter causam et effectum*, utrum scil. ille effectus ex causa sequatur per se, an per accidens, et si per se, utrum proxime an remote. Hinc si aliquis effectus leviter contra charitatem, justitiam etc. esse existimetur, nunquam grave peccatum erit causam hujus effectus ponere; si vero effectus sit graviter contra justitiam, charitatem etc. et insuper per se et proxime sequatur ex causa, gravis erit malitia in positione hujus causæ; tandem si effectus graviter quidem sit contra charitatem etc. per se tamen et proxime non sequatur, abesse *poterit* in positione hujus causæ gravis malitia.

attendendum est ad naturam effectus

et ad rationem causalitatis.

Consequentiæ.

436. Hinc intelligitur quomodo causa, per se et independenter ab effectu, mala, possit ratione effectus aliam habere malitiam priori superadditam; intelligitur præterea quomodo

eadem causa, per se et independenter ab effectu, leviter mala, possit habere malitiam gravem ratione effectus, ac vicissim, quomodo causa, in se et independenter ab effectu graviter mala, possit ratione effectus habere malitiam tantum levem superadditam priori.

Explicatio axiomatis : effectus non est magis culpabilis quam sua causa.

437. Quando ergo dicitur *effectum in sua causa dumtaxat voluntarium non esse magis culpabilem quam est sua causa*, illud non potest intelligi nisi de *causa formaliter spectata*, quatenus nimirum est causa hujus effectus, non vero de causa spectata in se et independenter ab effectu; malitia enim quam habet causa præcise oritur ex eo quod sit causa hujus effectus : sic effectus etiam in se gravis, venialiter tantum culpabilis erit illi qui causam ponit quam sub levi omittere debet ne effectus ille sequatur. Unde fieri potest ut homicidium, v. g., in causa voluntarium, sit solummodo venialiter malum, casu nimirum quo oriatur ex causa solummodo leviter mala : at bene advertatur ideo causam illam esse solummodo leviter malam, quia remote tantum et per accidens homicidium ex ipsa provenire supponitur; nam si homicidium istud per se et proxime sequeretur, daretur gravis obligatio causam omittendi, ac proinde causam ponens graviter peccaret, et homicidium in ipsa voluntarium graviter culpabile esset. Quia autem remote tantum et per accidens homicidium sequitur, potest non dari nisi levis obligatio causam non ponendi, ideoque causam ponens nonnisi leviter peccat, et homicidium in causa voluntarium est tantum peccatum veniale.

III.

DE TEMPORE QUO CONTRAHITUR MALITIA EFFECTUS.

Probatur malitiam effectus contrahi dum ponitur causa.

438. *Malitia effectus, in causa dumtaxat voluntarii, tunc contrahitur, quando causa voluntarie et libere ponitur, non*

vero quando effectus actu sequitur. Ratio est, quia nemo potest actualiter peccare eo tempore quo vel sui compos non est vel non fruitur libertate. « Respondent nonnulli omissionem (missæ) vel homicidium in somno aut ebrietate esse quidem liberam, quia ex libera voluntate quæ dedit causam, ortum habuit, et hoc satis esse ut sit actu peccatum, et homo in somno aut ebrietate dicatur peccare, etiamsi tum non sit sub ejus potestate talem omissionem vel opus impedire. Hoc tamen responsum manifesta ratione refellitur. Sequeretur enim posse hominem justificari aut justum esse in eodem temporis momento quo peccat mortaliter exteriori omissione : nam si aliquis libere causam dedit omissioni, recedens in locum remotum in quo jam missam audire nequit, eo tempore quo præceptum obligabat, jam non potest in Ecclesiam redire, tunc sane imputabitur illi omissio, et peccabit peccato omissionis; atqui eodem momento vel paulo antea per contritionem justificari poterit; ergo simul poterit peccare mortaliter et justus manere, quod est absurdum (1). »

Exempla.

439. Hinc quando potitans advertit se ulteriori potu inebriandum, insuper expertus scit, se in ebrietate solere rixari, et occidere, et tamen vult ulterius bibere, hoc ipso puncto peccat mortaliter et ebrietatis et homicidii in causa voliti peccato, et non amplius tunc quando actu usu rationis destitutus aut plene jam ebrius rixatur et percutit. Qui vesperi decumbens voluntarie vacat turpibus cogitationibus, prævidens vel expertus jam sciens secuturam in somno pollutionem, tunc quidem peccat peccato impudicitiæ, non amplius autem quando dormienti turpitudo contingit. Qui die dominica vel festo mane voluntarie sese inebriat aut somno tradit, prævidens omnino sacrum negligendum, tunc peccat contra præceptum ecclesiæ, non vero quando ipso

(1) Vasquez in 1, 2, disp. 94, c. 3, n. 9.

jam ebrio aut dormiente, sacrum reipsa negligitur etc. (1).

An effectus malus vocandus sit peccatum?

440. « Jam solum potest superesse quæstio, quæ videri potest de nomine, utrum actus illi exteriores vel omissiones quæ in somno, ebrietate aut cum alio impedimento usus rationis, et libertatis fiunt, denominandi sint peccata a causa libera quæ præcessit. Nam, licet hoc modo juramenta indeliberata vocentur peccata mortalia, parum refert, dummodo constet ipsa in se non afferre novam malitiam nec novum demeritum coram Deo... Adde non deesse doctos theologos qui negant actus vel omissiones contra præcepta contingentes tempore somni vel ebrietatis, etiam si fuerint voluntarii in causa, denominari *tunc* peccata, sed effectus peccati præcedentis, ut late defendit Vasquez (2). »

An effectu sequente augeatur malitia causæ ?

441. Siquidem tunc solum peccatum committitur, quum causa voluntarie ponitur, non item quum in potestate agentis amplius non est, tametsi maxime velit, effectum impediri, ideo *in se et coram Deo* neque majus neque minus peccatum est sive effectus sequatur, sive non. De quæstione vero utrum necessarium sit in confessione explicare an effectus secutus sit nec-ne, agitur in tractatu de pœnitentia (3).

Si effectus impediri potest, fit voluntarius in se.

442. Diximus malitiam effectus contrahi quando causa ponitur, non vero quando effectus de facto sequitur nec amplius impediri potest; si autem contingeret effectum malum prævisum sequi, eo tempore quo ponens causam utitur ratione, et illum effectum impedire potest, eo casu effectus, si non impeditur, fit *voluntarius in se* et consequenter duplicem habet malitiam, unam contractam in voluntaria positione causæ, alteram novam contractam ex illa directa voluntate non impediendi effectum : sed in hoc casu effectus non est amplius in causa

(1) Sporer, de act. hum. ass. 4, n. 25. Cfr. supra, n. 84.

(2) Suarez, tom. 2, de rel. lib. 3, de jur. c. 7, n. 7.

(3) Cfr. Laymann, de act. hum. c. 3, n. 5; Sporer, l. c.; Lugo, disp. 16, n. 437 et sqq.; Gury, tom. 2, n. 490.

dumtaxat voluntarius, sub quo respectu solum hic consideramus ejus malitiam.

443. Quæ in hac quæstione dicta sunt de tempore quo contrahitur malitia effectus voluntarii in causa, dici debent de voluntario in se: puta si aliquis ex proposito venenum homini porrigat, tunc peccat interno et externo peccato, quando causa mortis præbet, non vero quando mors ipsa sequitur independenter jam ab arbitrii potestate (1); attamen ad incurrendas pœnas sive jure ecclesiastico sive jure civili in perpetrantes quædam crimina statutas, regulariter loquendo requiritur ut effectus sequatur, et ut crimen opere externo consummetur (2).

CAPUT SECUNDUM.

DE ACTUUM MORALIUM DISTINCTIONE.

Quæstiones tractandæ.

444. Tres sunt præcipuæ quæstiones hic examinandæ: prima, de actuum moralium distinctione specifica; altera, de eorumdem actuum distinctione numerica; tertia, de distinctione quantitativa seu de moralitatis gradu et inæqualitate. Distinctio quidem specifica explicatur non solum actuum malorum, sed etiam actuum bonorum; numerica autem distinctio et moralitatis gradus ac inæqualitas expendi solent tantum relate ad actus malos, siquidem quoad illos quæstio est præcipuæ utilitatis propter præceptum confessionis integræ (3).

(1) Cfr. Laymann, l. c. n. 6.

(2) Cfr. Reiffenstuel, th. mor. dist. 1, q. 3, n. 25.

(3) « Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri *omnia* et *singula* peccata *mortalia*... et *circumstantias quæ peccati speciem mutant*... a. s. » (Conc. Trid. sess. 14, c. 7. Cfr. cap. 5).

ARTICULUS I

De actuum moralium distinctione specifica.

Divisio articuli.

445. Agemus in primo paragrapho de distinctione specifica actuum bonorum seu de diversa *bonitate* quæ in actibus humanis reperiri potest; in altero autem de distinctione specifica actuum malorum, seu de diversa *malitia* quæ potest in iisdem actibus reperiri.

§ I

DE DISTINCTIONE SPECIFICA ACTUUM BONORUM.

Distinctio actuum bonorum

446. Inter actus bonos, nonnulli sunt aliis præstantiores, utpote qui Deum attingunt tanquam finem supernaturalem, ipsumque Deum immediate respiciunt ut objectum materiale et formale: quapropter vocantur isti actus *theologici* seu *divini*, cæteri vero qui versantur immediate circa objecta creata, dicuntur simpliciter morales.

theologicos

447. Jam vero actus theologici sunt triplicis speciei: alii enim Deum, quatenus est summa veritas, attingunt per assensum propter ejus sapientiam et veracitatem præstitum: et hi sunt actus *fidei;* alii Deum, quatenus est summum bonum nostrum, attingunt per fiduciale desiderium propter ejus omnipotentiam, misericordiam et fidelitatem habitum: hi autem sunt actus *spei;* alii denique Deum, quatenus est summa bonitas, attingunt per amorem propter ejus perfectionem elicitum: et hi sunt actus *charitatis.*

fidei,

spei,

et charitatis;

et in morales qui reducuntur ad quatuor classes

448. Actus simpliciter morales distribui solent in quatuor classes, cujus distributionis ratio hæc assignari potest. Bonitas actus est ejus conformitas cum regula, quæ radicaliter fundatur in natura rationali, seu in essentialibus hominis relationi-

bus (1); sunt autem essentiales relationes hominis ad alios, *quibus debitum est reddendum;* sunt deinde essentiales relationes hominis ad creaturas, quibus, si ut delectabiles apprehendantur, *moderate* utendum est, vel a quibus est *rationabiliter* refugiendum, si apprehendantur ut nocivæ; demum omnes operationes ita sunt dirigendæ per rectam rationem, ut semper in ipsis vitetur tum *defectus* tum *excessus*. Hinc juxta diversas illas relationes quibus actus sunt conformes, diversa ipsorum bonitas distinguitur: videlicet bonitas consistens in eo quod operatio dirigatur secundum dictamen rectæ rationis, dicitur *Prudentia;* bonitas consistens in eo quod aliis debitum reddatur, vocatur *Justitia;* bonitas in eo consistens quod homo rationabiliter se habeat ad difficilia, appellatur *Fortitudo;* tandem bonitas consistens in eo quod agens moderate utatur delectabilibus, nuncupatur *Temperantia*.

comprehendentes plures species.

449. Sic igitur intellectæ Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, sunt quædam *genera* rectitudinum, quæ sub se comprehendere possunt plures *species* (2). Inter illas autem species ea quæ modo perfecto rationem communem continet, et a qua nomen generale derivatur, dicitur *principalis* et *cardinalis;* cæteræ autem vocantur *secundariæ*, *annexæ*, *subordinatæ*, vel etiam alterius partes *potentiales*. In ipsa vero specie principali adhuc distinguuntur pro diversis materiis diversæ partes quæ dicuntur *subjectivæ*. Ita S. Thomas (3): « Tribus modis possunt assignari partes alicui virtuti. Uno modo ad similitudinem partium *integralium*, ut scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicujus quæ necesse est concurrerre ad perfectum actum virtutis illius.... Partes autem *subjectivæ* virtutis dicuntur species ejusdem diversæ.... Partes autem *potentiales*

(1) Cfr. supra n. 91.
(2) Cfr. S. Thomas, 1, 2, q. 60, a. 3.
(3) 2, 2, q. 48, a. unic.

alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. »

Prudentia.

450. Et quidem species prudentiæ sunt *Prudentia stricte dicta*, quæ principalis est, in eo consistens quod operationes rite ordinentur ad finem honestum; deinde *Eubulia* quæ pertinet ad consultationem, *synesis* et *gnome* quæ sunt in judicio per regulas communes et per Epikeiam. Stricte dictæ autem prudentiæ partes subjectivæ sunt *personalis* quæ sita est in directione sui ipsius, et *gubernativa* quæ est in directione aliorum; hæc autem rursus distinguitur in domesticam, pastoralem et civilem (1).

Justitia.

451. Species justitiæ sunt *Justitia stricte dicta*, cujus partes subjectivæ indicantur commutativa et distributiva (2); præterea, *Religio*, *Obedientia*, *Gratitudo*, *Pietas*, *Observantia*, *Veracitas*, *Affabilitas* et *Liberalitas*; de quibus pulchre admodum S. Thomas (3): « In virtutibus quæ adjunguntur alicui principali virtuti, duo sunt consideranda. Primo quidem, quod virtutes illæ, in aliquo cum principali virtute conveniant; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Quia vero Justitia ad alterum est..... omnes virtutes quæ ad alterum sunt, possunt ratione convenienti justitiæ annecti. Ratio vero justitiæ consistit in hoc quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem..... Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens a ratione justitiæ deficit. Uno quidem modo in quantum deficit a ratione æqualis. Alio modo in quantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidem quidquid ab homine Deo redditur, debitum est, non tamen potest esse æquale, ut scilicet tantum

(1) Cfr. S. Thomas, l. c.
(2) Cfr. S. Thomas, 2, 2, q. 61, a. 1.
(3) 2, 2, q. 80, a. unic.

homo ei reddat quantum debet, juxta illud psalm. (1) : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? » Et secundum hoc adjungitur justitiæ *Religio*, quæ, ut dicit Tullius (2), superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. Secundo, parentibus non potest secundum æqualitatem recompensari, quod eis debetur, ut patet per Philosophum (3). Et sic adjungitur justitiæ *Pietas*, per quam, ut Tullius dicit (4), sanguine junctis patriæque benevolis, officium et diligens tribuitur cultus. Tertio, non potest secundum æquale præmium recompensari ab homine virtus, ut patet per Philosophum (5). Et sic adjungitur justitiæ *Observantia*, per quam, ut Tullius dicit (6), homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu et honore dignantur. A ratione vero debiti, justitiæ defectus potest attendi secundum quod est duplex debitum, scilicet morale et legale. Unde et Philosophus, (7) secundum hoc, duplex justum assignat. Debitum quidem legale est ad quod reddendum aliquis lege adstringitur ; et tale debitum proprie attendit *Justitia*, quæ est principalis virtus. Debitum autem morale est quod aliquis habet ex honestate virtutis. Et quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum. Quoddam enim est sic necessarium, ut sine eo honestas morum conservari non possit; et hoc habet plus de ratione debiti. Et potest hoc debitum attendi ex parte ipsius debentis; et sic ad hoc debitum pertinet quod homo talem se exhibeat alteri in verbis et in factis, qualis est. Et ideo adjungitur justitiæ *veritas*, per quam, ut Tullius dicit (8), immutata ea quæ sunt aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Potest etiam attendi ex parte ejus cui debetur, prout scilicet aliquis recompensat alicui secundum ea quæ fecit. Quandoque quidem in

(1) 115, v.2. (2) Lib. 2, De inventione. (3) Ethic. 8, c. ult.
(4) L. c. (5) Ethic. lib. 4, c. 13. (6) L. c.
(7) Ethic. lib. 8, c. 3. (8) L. c.

bonis; et sic adjungitur justitiæ *Gratia*, in qua, ut Tullius dicit (1), amicitiarum et officiorum alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur. Quandoque autem in malis; et sic adjungitur justitiæ *Vindicatio*, per quam, ut Tullius dicit (2), vis aut injuria et omnino quidquid obscurum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Aliud vero debitum est necessarium, sicut conferens ad majorem honestatem, sine quo tamen honestas conservari potest. Quod quidem debitum attendit *Liberalitas*, *Affabilitas*, sive *Amicitia* aut alia hujusmodi, quæ Tullius prætermittit in prædicta enumeratione, quia parum habent de ratione debiti. »

Fortitudo.

452. Species fortitudinis sunt *fortitudo stricte sumpta*, in eo consistens quod animus difficilia, imprimis mortis pericula, sustineat vel repellat ita ut nec anxie timendo, neque temere audendo a divina voluntate discedat; deinde *Magnanimitas*, qua, ob Dei honorem vilia spernimus et ad vere magna contendimus; *Patientia*, in eo sita quod animus tristitia non frangatur in adversis; *Perseverantia* in eo consistens quod persistatur in bonis operibus quamdiu recta ratio persistendum esse dictat, nonobstante eorum diuturnitate (3).

Temperantia.

453. Demum species temperantiæ sunt *Temperantia proprie accepta* quæ comprehendit tanquam partes subjectivas *Abstinentiam*, *Sobrietatem et Castitatem;* præterea *Mansuetudo*, *Clementia*, *Studiositas*, *Modestia*, *Eutrapelia*. De quibus rursus S. Thomas (4): « Est *Temperantia* circa delectationes tactus, quæ dividuntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum : et in his quantum ad cibum est *Abstinentia*, quantum ad potum, proprie *Sobrietas*. Quædam vero ordinantur ad vim generativam : et in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus est *Castitas*, quantum autem ad

(1) Lib. 2, De ino.
(2) L. c.
(3) Cfr. S. Th. c. 2, q. 128, a. unic.
(4) 2, 2, q. 143, a. unic.

delectationes circumstantes, puta quæ sunt in oculis, tactibus et amplexibus, attenditur *Pudicitia*. Partes autem potentiales alicujus virtutis principalis dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa aliquam principalem materiam, eumdem observant in quibusdam aliis materiis, in quibus non est ita difficile. Pertinet autem ad temperantiam moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari. Unde quæcumque virtus moderationem quamdam operatur in aliqua materia, et refrænationem appetitus in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta. Quod quidem contingit tripliciter: uno modo in interioribus motibus animi; alio modo in exterioribus motibus et actibus corporis; tertio modo, in exterioribus rebus. Præter motum autem concupiscentiæ, quem moderatur et refrænat temperantia, tres motus inveniuntur in anima in aliquid tendentes. Primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis: et hunc motum refrænat *Continentia*, ex qua fit ut licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincitur; alius motus interior in aliquid tendens est motus spei et audaciæ quæ ipsam consequitur: et hunc motum moderatur sive refrænat humilitas; tertius autem motus est iræ tendens in vindictam, quam refrænat *Mansuetudo* sive *Clementia*. Circa motus autem et actus corporales, moderationem et refrænationem facit *Modestia* quam Andronicus in tria dividit. Ad quorum primum pertinet discernere quid sit faciendum, et quid dimittendum, et quid quo ordine sit agendum, et in hoc firmiter persistere: et quantum ad hoc ponit *bonam ordinationem*. Aliud autem est quod homo in eo quod agit decentiam observet: et quantum ad hoc ponit *ornatum*. Tertium autem est in colloquiis amicorum vel quibuscumque aliis: et quantum ad hoc ponitur *austeritas*. Circa exteriora vero duplex moderatio est adhibenda. Primo quidem ut superflua non requirantur: et quantum ad hoc ponitur a

Macrobio *parcitas*, et ab Andronico *per se sufficientia*. Secundo vero ut homo non nimis exquisita requirat; et quantum ad hoc ponit Macrobius *moderationem*, Andronicus vero *simplicitatem* (1). »

(1) Ex præcedentibus difficile non est virtutum theoriam intelligere. Virtus enim proprie sumpta est « *bonus habitus mentis quo recte vivitur et nemo male utitur* » (S. Thomas 1, 2, q. 55 a. 4). Dicitur autem *habitus mentis*, scilicet animi dispositio et inclinatio, qua fit ut aliquis facile operetur; unde quamvis virtus sit in *potentiâ*, ab ea tamen differt, siquidem potentia *possibilitatem*, virtus *facilitatem* operandi præbet; dicitur etiam *quo recte vivitur*, id est, juxta legem moralem agitur; subditur præterea *et nemo male utitur*, ut virtus discernatur ab aliis habitibus quibus homo vel ad bonum vel ad malum uti potest, cujusmodi sunt *scientiæ*.

Virtutes præsertim distinguuntur tum ratione objecti, tum ratione originis.

1° Ratione objecti tot distinguuntur species virtutum quot sunt species actuum bonorum ad quos inclinant : hinc tres sunt virtutes theologicæ, multæ autem virtutes morales : inter has vero quatuor præcipuæ, quibus cæteræ adnectuntur, vocantur cardinales. De prioribus agit Apostolus (1. Cor. XIII, 13): « Nunc autem manent Fides, Spes et Charitas, tria hæc ; » et S. Bonaventura (Brev. pars. v, c. 4): « Sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiæ, sic imago recreationis consistit in trinitate habituum cum unitate gratiæ, per quos anima fertur recte in summam trinitatem secundum tria appropriata tribus personis, ita quod fides dirigit in summum verum credendo et assentiendo, spes in summe arduum, imitando et expectando, charitas in summe bonum desiderando et diligendo. » De posterioribus vero Sapiens (VIII,7 : « Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes : sobrietatem enim et prudentiam et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominis. » S. Ambrosius vero : « Quod his viris principalium virtutum officium defuit? quarum primo loco constituerunt Prudentiam, quæ in veri investigatione versatur et scientiæ plenioris infundit cupidinem : secundo Justitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit ut communem æquitatem custodiat : tertio Fortitudinem, quæ et in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, et domi eminet, corporisque præstat viribus : quarto Temperantiam, quæ modum ordinemque servat omnium quæ vel agenda vel dicenda arbitramur. » (De officiis, lib. 1, c. 24, n. 115).

2° Ratione originis virtutes distinguuntur in *acquisitas* seu *naturales* et *infusas* seu *supernaturales*. Virtutes *acquisitæ* illæ vocantur quæ

§ II.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA ACTUUM MALORUM.

Diversitas speciei actuum malorum desumitur

454. Nomine actus mali seu peccati hic intelligitur quævis positio vel omissio ab honestatis norma difformis; malitia enim essentialiter dicit defectum rectitudinis debitæ seu *inordinationem*, et *legis transgressionem*. Ex hoc autem duplici

per frequentatos actus bonos obtinentur, per indefessum earum exercitium augentur, diminuuntur per cessationem ab earum exercitio et per exercitium actuum contrariorum, tandem amittuntur per habitus vitiosos; *naturales* etiam dicuntur, quia hominis potentias perficiunt in ordini naturali, sc. prudentia rationem, justitia voluntatem, fortitudo appetitum irascibilem, temperantia appetitum concupiscibilem. Virtutes *infusæ* illæ vocantur quæ a Deo nobis sine nobis dantur cum gratia sanctificante, et cum ipsa per peccatum mortale vel amittuntur vel informes fiunt; dicuntur etiam *supernaturales*, quia hominem perficiunt ad operandum supernaturaliter.

3° *Ad septem præcipuas virtutes infusas referuntur septem dona Spiritus Sancti, quæ sunt habitus infusi quibus homo mobilis redditur ad inspirationes divinas recipiendas, atque ad actus excellentes virtutum exercendos.* Conveniunt igitur dona Spiritus Sancti cum virtutibus infusis in eo quod æque sint habitus infusi; differunt autem primum in eo quod virtutes disponant hominem ut dictum legis divinæ prompte sequatur, dona autem disponant hominem ut ipsi Spiritui Sancto motori et duci prompte obediat; deinde in eo quod virtutes expediant hominem ad facienda opera necessaria salutis, dona expediant hominem ad actus etiam majoris excellentiæ atque supererogationis operandos; ad invicem vero ita referuntur ut donum *timoris Dei*, juvet *temperantiam*, donum *fortitudinis* ad virtutem ejusdem nominis pertineat, donum *pietatis* ad *justitiam* spectet, donum *consilii* perficiat *prudentiam*, donum *intellectus fidei* subserviat, donum *scientiæ spem theologicam* juvet, denique donum *sapientiæ* pertineat ad *charitatem* (Cfr. S. Thomas 1, 2, q. 68).

4° *Porro a virtutibus modo imperfectiori, a donis vero modo excellentiori proficiscuntur beatitudines, seu actus boni præstantes, qui peculiari ratione conducunt ad æternam beatitudinem adipiscendam;* videlicet ad *paupertatem spiritus* disponunt virtus temperantiæ et donum timoris, ad *mititatem*, virtus justitiæ et donum pietatis; ad *luctum*, virtus spei theologicæ et donum scientiæ; ad *esuriem justitiæ*, virtus et donum fortitudinis; ad *misericordiam* virtus prudentiæ et donum consilii; ad *munditiam cordis*, virtus fidei et donum intellectus; ad *pacem*,

respectu sub quo malitia considerari potest, duæ ad diversas ejusdem species discernendas, desumuntur regulæ, quæ non sunt adæquate distinctæ, sed se mutuo juvant et sæpe simul adhiberi debent.

ex diversitate, tum rectitudinis cui actus opponitur,

455. Regula I. *Diversitas speciei in actibus malis oritur tum ex diversitate rectitudinum quibus illi actus opponuntur, tum ex diversitate modi quo opponuntur eidem rectitudini* (1). Dicitur primum *ex diversitate rectitudinum seu virtutum quibus opponuntur :* ita, v. g., specie distinguuntur *furtum* et *ebrietas :* hæc enim *temperantiæ*, illud *justitiæ* opponitur. Dicitur deinde *ex diversitate modi quo eidem rectitudini opponuntur,* nimirum per *excessum* aut *defectum*, et ita specie differunt prodigalitas et avaritia, quæ sunt oppositæ eidem rectitudini liberalitatis; item non raro per *commissionem* aut *omissionem*, et ita specie differunt odium Dei et omissio actus amoris, quæ sunt opposita eidem rectitudini charitatis; vel etiam *per materiam circa quam versantur*, et ita specie differunt furtum et detractio, quæ sunt opposita eidem rectitudini justitiæ.

tum modi quo opponitur,

et ex formali diversitate legum violatarum.

456. Regula II. *Diversitas speciei in actibus malis oritur ex formali diversitate legum quæ violantur* (2). Dicitur *ex diversitate formali legum quæ violantur ;* est enim inter leges diversitas *materialis* tantum vel etiam *formalis :* diversitas *materialis* tantum habetur, quando *una eademque obligatio*

charitas et donum sapientiæ. « Octava autem beatitudo est quædam confirmatio et manifestatio omnium præcedentium : ex hoc enim quod aliquis est confirmatus in paupertate spiritus et mititate et aliis sequentibus provenit quod ab his bonis propter nullam persecutionem recedit : unde octava beatitudo quodammodo ad septem præcedentes pertinet (Cfr. S. Thomas 1, 2, q. 69).

(1) Cfr. Mastrius, Th. mor. disp. 15, q. 4, a. 1, n. 65 ; Reiffenstuel, Th. mor. tr. 3. dist. 1, q. 4, n. 41 et Scotistæ passim.

(2) Cfr. Castropalao, tr. 2, disp. 3, pu. 1 ; Platel, p. 2, c. 3, § 3, n. 183 ; Lacroix, lib. 5, n. 130 etc.

imponitur diversa auctoritate, aut eadem auctoritate sed diversis vicibus; diversitas autem *formalis* habetur, quando leges versantur circa materias notabiliter diversas, vel circa eamdem materiam sub diverso motivo. Jam vero, si violentur leges materialiter tantum diversæ, una est malitiæ species, siquidem ejusdem obligationis fiat transgressio : e contra, si violentur leges formaliter diversæ, diversæ sunt malitiæ species, siquidem transgressio fiat plurium distinctarum obligationum. Hinc una malitiæ species est, si quis committat homicidium lege naturali, divina, ecclesiastica et civili prohibitum, quia leges illæ materialiter solum diversæ sunt; e contra specie differunt violatio jejunii per esum carnis et per duplicem refectionem in cibis licitis, quia unum præceptum *qualitatem*, aliud *quantitatem* præscribit, atque ita illa duo præcepta sunt diversa formaliter ob materiam notabiliter diversam ; item si jejunium ab Ecclesia præscriptum, injungatur a superiore ex obedientia, a confessario imponatur in pœnitentiam, et simul illud quis voverit, sunt quatuor quasi leges formaliter diversæ : prima, Ecclesiæ, ex motivo temperantiæ; secunda, superioris, ex motivo obedientiæ; tertia, confessarii, ex motivo virtutis pœnitentiæ in satisfactionem pro peccatis ; quarta, voti, ex motivo religionis : hinc si quis illas transgrediatur per actum physice unum, committit quatuor peccata specie distincta.

Alius modus explicandi.

457. Solent quidem Thomistæ rem paulo aliter proponere : dicunt enim malitiæ species distingui « *per ordinem ad objecta specie distincta in esse moris ;* » verum sententiam suam ita deinceps explicant ut ostendant se de facto a cæteris minime dissentire. Sic, v. g., Billuart : « Quæstio est unde objectum habeat quod specie distinguatur in esse moris ? R. Generaliter loquendo objecta specie in esse moris distinguuntur, quando habent specialem et distinctam repugnantiam cum lege æterna et recta ratione. Habent autem specialem et distin-

ctam repugnantiam cum lege æterna et recta ratione ex multiplici capite : 1. quando opponuntur diversis virtutibus; sicut enim quælibet virtus habet specialem et distinctam bonitatem, ita objectum illi oppositum habet specialem et distinctam malitiam : unde furtum quod opponitur justitiæ distinguitur a perjurio quod opponitur religioni. 2. Objecta habent distinctam malitiam seu repugnantiam cum lege, quando opponuntur etiam eidem virtuti, sed diverso modo, puta unum per excessum, aliud per defectum, vel aliis diversis modis..... Sic furtum et rapina, contumelia et detractio licet opponantur eidem virtuti justitiæ, quia tamen illi opponuntur diversis modis, specialem repugnantiam cum ratione habentibus, specie distinguuntur. 3. Objecta habent specialem et distinctam malitiam seu deformitatem, quando opponuntur præceptis diversis, non materialiter et ex parte principii, sed formaliter et ex parte rei præceptæ, seu motivi intrinseci..... *Itaque dum objecta opponuntur diversis virtutibus, vel eidem sed diverso modo, vel præceptis diversis ex parte rei prohibitæ seu motivi intrinseci, specie distinguuntur in esse moris, et inde peccata specie distinguunt. Et ideo dixi in initio articuli verum esse aliquo sensu, scilicet radicaliter, mediate aut illative, peccata specie distingui a virtutibus et præceptis quibus opponuntur* (1). »

Applicatio difficilis.

458. Quamvis regulæ modo indicatæ veræ ac certæ sint, earum tamen applicatio non raro difficilis est, quia nimirum non sufficienter constat utrum actus, præsertim internus, reipsa oppositus sit diversis rectitudinibus vel prohibitus diversis formaliter legibus. Exempla sunt, quando aliquis inimico *optat* varia mala, puta mortem, infamiam, paupertatem, vel varias contumelias in eum profert, ipsum appellando, v. g., furem, hæreticum, adulterum, vel de variis peccatis se jactat etc (2).

(1) De peccatis, diss. 2, a. 2.

(2) Cfr. J. De Lugo, De pœnit. disp. 16, n. 259 et sqq.; S. Alph., lib. 2, n. 50, quær. 5; Gury, tom. 1, n. 165, quær. 3.

Notandum.

459. Vix opus est advertere distinctionem specificam de qua egimus, nihil habere commune cum alia multiplici distinctione seu potius divisione, juxta quam actus mali dicuntur *commissionis* vel *omissionis; contra Deum, contra seipsum* et *contra proximum; spirituales* et *carnales; oris, cordis* et *operis; ignorantiæ, infirmitatis* et *malitiæ*: ibi enim ratio habetur sive generalis ordinis læsi, sive modi, sive objectorum, sive radicis etc. (1).

ARTICULUS II.

DE ACTUUM MALORUM DISTINCTIONE NUMERICA.

Distinctio numerica actuum malorum desumitur

460. Distinctio numerica actuum malorum seu peccatorum non oritur præcise ex eorum physica unitate vel multiplicitate; fieri enim potest ut actus physice unus multiplicem habeat malitiam, et vicissim, ut actus physice plures unam numero malitiam constituant. Aliunde ergo regulæ hujus distinctionis sunt petendæ.

ex multiplicitate objectorum totalium.

461. Regula I. *Distinctio numerica actuum malorum desumitur ex multiplicitate objectorum totalium.* Ratio est, quia ubi sunt plura objecta totalia, ibi sunt etiam plures actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, et proinde plures malitiæ distinctæ. Ad regulæ intelligentiam advertendum est, objectum *totale* illud dici quod non est pars alterius

(1) Cfr. S. Th. 1. 2, q. 72. Sicut ex distinctione specifica actuum bonorum intelligitur distinctio virtutum, ita ex distinctione specifica actuum malorum, intelligitur distinctio *vitiorum*. Est enim vitium *habitus inclinans ad male agendum per actus repetitos in animo generatos*. Unde tot distinguuntur vitia, quot sunt species actus mali; quo autem sensu inter vitia septem dicantur *capitalia*, pulchre explicat S. Thomas (1, 2, q. 84. a. 4).

nec ad alterum refertur; ad ejusdem vero regulæ applicationem juvabunt sequentia exempla, quæ ad similes materias facile extendi poterunt et quæ, majoris claritatis gratia, in quasdam classes distribuimus. Ad primam igitur classem pertinent exempla *fornicationis* et *homicidii:* una scilicet numero malitia contrahitur ab eo, qui fornicationem intendens, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis et tandem copulam perficit, quia omnes actus prævii ad actum consummatum natura sua ordinantur, et unum cum ipso objectum totale constituunt; pariter una numero malitia contrahitur ab eo qui volens occidere inimicum, gladium emit, struit insidias, hominem pluribus diebus exspectat et demum eum lethaliter percutit (1). E contra, plures sunt numero malitiæ, quando quis pluries cum eadem aut cum diversis fornicatur, vel quando diversis actibus plures interficit (2). Ad alteram classem pertinent exempla *comestionis ciborum prohibitorum* et *ablationis summæ pecuniæ per plures vices :* una numero malitia contrahitur ab eo, qui in eodem prandio pluribus ferculis vescitur, quia illa constituunt unam comestionem quæ est objectum totale; item una numero malitia contrahitur ab eo qui *habens animum* centum francos auferendi, eos, ne detegatur, decem vicibus furatur, quia illæ diversæ partes pecuniæ unum efficiunt objectum totale (3); e contra plures sunt numero malitiæ, quando quis diversis cibis prohibitis utitur diversis vicibus, puta mane, ad meridiem, et vespere; plures etiam sunt numero malitiæ, quando quis centum francos diversis vicibus surripit, quin totam summam auferre ab initio statuerit. Ad tertiam classem pertinent exempla *omissionis officii* et *repetitæ admini-* Exempla.

(1) Cfr. S. Alphonsus, lib. 2, n. 40; Gury, tom. 1, n. 163; J. De Lugo, de pœnit. disp. 16, n. 544. (2) Cfr. Lugo, l. c. n. 557.
(3) Cfr. Lugo, l. c. n. 542; S. Alphonsus. lib. 2, n. 44.

strationis sacramenti; una nimirum est numero malitia, si quis omnes partes officii divini per diem omittat, quia diversæ partes officii unum objectum totale efficiunt; item, juxta plures, una malitia est si sacerdos indigne ministret pluribus successive S. Eucharistiam, quia, aiunt, illa multiplex porrectio SS. Sacramenti unum facit convivium; imo, juxta alios non paucos, una malitia est si confessarius in statu peccati mortalis existens pluribus successive absolutionem daret, quia illa multiplex absolutio unam sacramenti administrationem constituit (1); e contra plures sunt malitiæ, quando quis per plures dies omittit officium, vel pluribus vicibus distinctis indigne Sacramenta administrat. Ad quartam classem pertinent exempla *actus physice unius quo objecta plura attinguntur:* ita satis communiter admittitur unam esse numero malitiam, si quis uno actu neget plures fidei articulos, vel blasphemet in plures sanctos (2); at valde controvertitur utrum una an plures sint numero malitiæ, quando quis uno physice actu vel plures occidit, vel plures lædit sive in bonis animæ per scandalum, sive in bonis famæ per detractionem, sive in bonis fortunæ per furtum; item, quando quis desiderio *inefficaci* seu simplici affectu et complacentia cupit, v. g., ad plures feminas accedere, vel pluries ad eamdem: unam esse in hujusmodi casibus numero malitiam, quia unum reputatur objectum totale, existimant multi theologi primæ notæ (3); alii tamen omnino docent esse multas numero malitias (4). E contra ab omnibus fere tenetur plures esse numero malitias, quando quis uno physice actu interno *efficaci* in plura tendit quæ diversis actibus perficiuntur, v. g., statuit ad plures feminas accedere,

(1) Cfr. Lugo, l. c. n. 547, 558; S. Alphonsus, lib. 2, n. 50, quær. 6.

(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. 2, n. 47.

(3) Cfr. Suarez, in 3 p. d. 22, s. 5, n. 34; Lugo, l. c. n. 135 et seqq.; Laymann, lib. 1, tr. 3, c. 3, n. 2; Viva, De pœn. q. 5, a. 6, n. 9, etc.

(4) Cfr. Lacroix, lib. 5, n. 149, 150; S. Alphonsus, lib. 2, n. 45, etc.

per plures dies non servare jejunium, per plures dominicas non audire missam etc., quia in istis casibus multiplex est objectum totale (1).

462. Regula II. *Distinctio numerica actuum malorum desumitur ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum.* Etenim quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et singuli in propria malitia constituuntur, siquidem actus sequens non potest dici continuatio præcedentis; ergo illi actus interruptione morali evadunt diversi et multiplices. Porro triplici modo actus voluntatis moraliter interrumpuntur : *a)* per *retractationem* sive *formalem*, quando nempe aliquem actus mali pœnitet, sive *virtualem* et *æquivalentem*, quando animus deliberate convertitur ad aliquid cum priore voluntate incompossibile; *b)* per *cessationem voluntariam ab actu*, quando nimirum aliquis ab incœpto desistit ex tædio, lassitudine, sine proposito ultro pergendi; *c)* per *moram sat notabilem*, quæ tamen non potest una generali regula definiri, sed determinanda est ex intensione actus, natura occupationis, aliisque circumstantiis. Ut autem regula ad casus particulares rite applicetur, attendendum est actus mere internos, qui scilicet in corde consummantur, ut sunt hæreses, odia, delectationes morosæ, facilius interrumpi et repeti quam actus internos junctos cum proposito executionis externæ, et hos rursus facilius quam actus externe consummatos. Legi sane merentur ea quæ de præsenti materia scripsit J. De Lugo, imprimis quidem de actibus externis : « Existimo non sufficere ad pluralitatem moralem peccatorum interruptiones illas physicas breves... hæc est juxta communem omnium sensum, quo loqui solemus de actibus moralibus tam bonis quam malis, immo de quacumque actione humana, quam solemus simpliciter appellare unam non obstante interru-

Desumitur etiam ex interruptione actuum,

per retractationem,

per cessationem

et per moram notabilem.

Explicatio et applicatio.

(1) Cfr. Ballerini, tom. 1, n. 163.

ptione physica frequenter interveniente. Sic unam eleemosynam dicimus unum opus bonum, licet interrumpatur actus physice, ut resalutem aliquem, qui me salutavit, vel respondeam interroganti aliquid aliud. Sic recitatio officii est una, licet quandoque somno gravatus inter unum et alterum versiculum, semel aut iterum, dicente socio suum versum, dormitaveris. Sic Missa dicitur una, licet post evangelium interrumpas, dum fit concio. Cur ergo peccatum non poterit esse unum moraliter, licet habeat illa actio interruptiones physicas, quales omnes aliæ actiones humanæ habere solent?... Difficultas esse potest in assignanda regula et mensura hujus unitatis, quando scilicet peccatum externum possit dici unum, non obstante interruptione et divisione aliqua unius actionis ab alia. In hoc non videtur posse dari regula aliqua metaphysica; quia cum tota hæc unitas sit moralis, recurrendum omnino est ad prudentum arbitrium et usum circa pluralitatem vel unitatem actionum. Unde multum pendet ex circumstantiis, et ex qualitate actionis; aliquæ enim actiones sunt quarum partes facilius uniuntur et faciunt unum, quam aliæ... » Deinde de internis: « Ego existimo regulam moralem desumendam esse ex arbitrio prudentis, ex proportione ad peccata externa. Nam sicut in peccato externo contumeliæ et injuriæ, perseverat unitas peccati, quando in eodem congressu successive multiplicantur contumeliæ et injuriæ, etiam occasione accepta ex responsione illius cui injuriam infers : multiplicantur autem numero ea peccata quando, postquam ille discessit, postea denuo tibi occurrit et iterum ei contumelias infers aut injurias, quia illa prior actio jam censebatur moraliter finita et completa; ita cum proportione videtur de peccatis internis dicendum : quando enim objectum perseverat nobis præsens moraliter, quia non habuimus animum discedendi ab eo cogitatione, sed casu et naturali aliqua distractione interrumpitur, censetur adhuc moraliter idem congressus, ut ita dicam cum objecto,

quod nunquam discessit, sed habet se, sicut ille, quem contumelia afficis, qui non discedit, licet parum avertas faciem ad loquendum aliquid breve cum alio ibi præsenti. Quando vero discessimus jam voluntarie ab ea cogitatione, licet non per revocationem voluntatis præteritæ, jam censetur congressus ille cum objecto finitus et completus, data nimirum objecto licentia discedendi et abeundi. Quod si postea redeat, censebitur novus congressus, et alia jam occasione peccari, non prima quæ jam cessasse videbatur... Addo non posse eamdem mensuram aut regulam tradi pro omnibus actibus malis : aliqui enim facilius interrumpuntur, et brevius durant, v. g., blasphemia interior et alii actus similes qui non tendunt ad objectum externum. Alii vero longius durare solent, ut desiderium turpe,odium proximi et similes. Et in iis longius durant qui ex majori et vehementiori passione aut concupiscentia procedunt. Regulariter ultra duas vel tres horas non videtur perseverare moraliter eadem voluntas mere interna : quia difficile est quod homo velit longius perseverare in eadem cogitatione aut amore et non attendere ad alia. Ideo, quando duratio est longior, solet explicari, quia regulariter habebit interruptiones aliquas morales, nec homo voluit toto die non discedere a tali cogitatione, sed voluit aliquoties, licet postea cogitatio iterum repulsa redierit (1). »

ARTICULUS III.

De actuum malorum distinctione quantitativa.

Actuum malitiam inæqualem esse demonstratur

463. Non omnes actus malos esse *æquales*, fide certum est et probatur, tum ex sacra scriptura in qua isti actus ad invicem

(1) L. c. n. 540, 542, 569, 570.

comparantur et alii aliis pejores asseruntur (1); tum ex doctrina SS. Patrum qui pro hac tuenda veritate ex professo scripserunt (2); tum ex ipsa ratione, siquidem inordinatio diversos gradus habere debet pro diversa præstantia virtutum quibus opponitur et diversa dignitate legum quæ violantur.

Principia inæqualitatis.

464. Gradus malitiæ in diversis actibus oritur ex *duplici principio, objectivo* scilicet et *subjectivo;* principium objectivum est imprimis tum major vel minor præstantia rectitudinum quibus actus mali opponuntur, tum varia illorum ad easdem repugnantia, nimirum per defectum et excessum, commissionem et omissionem etc ; dein major vel minor dignitas et vis legum quæ per istos actus violantur; principium vero subjectivum est magis vel minus perfecta tum mentis advertentia ad actus malitiam, tum voluntatis intensio et consensus.

Distinctio peccatorum in mortalia et venialia.

465. Quamvis possint esse in diversis actibus, malitiæ gradus indefiniti, debent tamen illi juxta SS. litteras, scripta SS. Patrum et Ecclesiæ doctrinam, in duplicem generalem classem dividi, scilicet in *mortaliter* et *venialiter* malos. Et primo quidem in SS. litteris sermo est ex una parte de peccatis propter quæ regnum Dei obtineri nequit (3), ex altera vero parte de peccatis quibus « offendimus omnes (4), » siquidem « non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet. » Deinde distinguunt SS. Patres « infanda crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, » et « quotidiana brevia leviaque peccata sine quibus hæc vita non ducitur (5). » Demum Ecclesia docet nos teneri confiteri omnia mortalia quæ

(1) Cfr. Jer. 7. 26; Math., 5, 22; 7, 3; Joann. 19, 11.

(2) Cfr. S. Augustinus, epist. 104 ad Nectarium, n. 13; item, epist. 167, (alias 29) ad Hieronymum.

(3) 1. Cor. 6, 9-10. (4) Jac. 3, 2.

(5) S. Augustinus, Enchiridion, c. 70 et 71; Cfr. Bellarminus, De amissione gratiæ, lib. 1, c. 5.

memoriæ occurrunt, non item vero venialia (1) ; et a SS. Pontificibus damnata est hæc præpositio Baii : « Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. »

Quandonam habatur malitia mortalis et venialis.

466. Malitia mortalis contrahitur, quando deliberate violatur lex cujus observatio necessaria est ut homo in amicitia Dei maneat, vitamque æternam consequatur ; secus habetur malitia tantum venialis. Unde differentia inter utramque assignari potest, quod malitia mortalis involvat interpretative aversionem a Deo et conversionem ad creaturam tanquam ultimum finem, venialis autem sit aversio a Deo secundum quid, siquidem per eam receditur a Deo legislatore in mediis non necessariis. Definiri ergo potest actus mortaliter malus : *gravis transgressio legis divinæ, privans hominem gratia sanctificante, eumque dignum reddens pœna æterna ;* venialiter vero malus : *levis transgressio legis divinæ, minuens charitatis fervorem, et hominem dignum reddens pœna temporali.*

Tria requisita ad mortale :

467. Ad malitiam mortalem tria requiruntur, scilicet obligatio gravis quæ violetur, plena ad illam advertentia, et perfectus voluntatis consensus. Cum enim ob peccatum mortale, excludatur homo a Dei fruitione, et cruciatibus æternis addicatur, alienum videtur a clementia et misericordia divina, tantis malis aliquem subjicere propter transgressionem in materia undequaque levi, vel propter violationem obligationis non plene perfecteque voluntariam.

obligatio gravis,

468. Dicitur autem imprimis *obligatio gravis*, scilicet vel *in se*, ut nimirum habeatur peccatum grave materiale, vel saltem *in apprehensione intellectus*, ut habeatur grave peccatum formale. Porro obligatio gravis in se dignoscitur, tum a priori ex inspecta ipsa rerum natura, tum a posteriori ex modo

(1) Conc. Trid. Sess. 14, c. 5.

loquendi SS. Scripturæ, SS. Patrum et Ecclesiæ doctorum. Obligatio autem est gravis solum in apprehensione intellectus, quando conscientia per errorem eam talem esse dictat, dum in se non sit nisi levis. Jam vero probavimus supra (1) nunquam fas esse agere contra conscientiam, agentem vero contra eam dictantem aliquid esse malum, peccare formaliter. Propter eamdem rationem peccatur mortaliter, si conscientia dictet obligationem esse gravem, quamvis non sit nisi levis. Quod si quæratur, quantum peccet ille qui agit contra conscientiam dictantem quidem aliquid esse malum, non tamen indicantem, an illud malum grave sit necne, hæc respondere possumus. Primum in praxi vix contingere potest ut operans qui cognoscit aliquid esse malum, ita abstrahat, ut innuit S. Thomas (2); ratio est, quia quamvis reflexe non agnoscat esse mortale vel veniale, neque signate discernat differentiam illam specificam, tamen conscientia semper se ita habet ut vel multum refugiat facere, et tunc excercite satis apprehenditur malitia gravis, vel non ita refugiat facere, et tunc apprehenditur malitia tantum levis. In supposito autem quod conscientia reipsa abstrahat a gravitate vel levitate malitiæ, auctores varie loquuntur prout tradit Lacroix (3) : « Azor, Sayrus, Bonacina, Reginaldus, Tannerus aliique cum Castropalao (4) adhuc dicunt semper fore mortale, quia amplectitur malitiam venialem et mortalem, cum feratur modo indifferente ad utramque. Quod si cognosceret malitiam in certa specie, sed non cognosceret an venialis esset an mortalis, Vasquez, Merati (5) Sanchez (6) dicunt fore mortale aut veniale, prout fuerit objectum : unde si cum tali cognitione, v. g., furetur rem levem, erit veniale, si furetur rem gravem, erit mortale, quia cum se determinet ad speciem furti, vult malitiam quæ hic et nunc

(1) Cfr. n. 293, 295, 296.
(2) 1, 2, q. 19, a. 5, ad 3.
(3) Lib. 1, n. 3.
(4) Disp. 1, pu. 3, n. 6.
(5) De pecc. disp. 7, s. 7.
(6) In Decal. lib. 1, c. 11, n. 6.

illi inest : hæ duæ sententiæ sunt probabiles ; videtur tamen probabilius quod docent Navarrus, Valentia, Salas, Granadius, aliique multi cum Oviedo (1), Gobat (2), Burghaber (3), et probabile putant Sanchez (4), Decastillo (5), Diana (6), nempe in utroque casu venialiter tantum peccari (7). » Idem dicendum videtur de casu quo quis de malitia *dubitat*, præscindendo ab ejus gravitate vel levitate.

plena advertentia,

469. Dicitur deinde *plena ad malitiam advertentia ;* est autem advertentia, consideratio sive cogitatio prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio vel suspicio peccati ejusve periculi ; habetur autem advertentia plena, quando mente expedita decernimus; semiplena vero, quando decernimus mente non sufficienter expedita, quia forte sumus semidormientes, alio distracti aut graviter mente commoti.

perfectus consensus.

470. Dicitur demum *perfectus voluntatis consensus*, actus scilicet quo voluntas objectum sibi ab intellectu propositum deliberate amplectitur. In dubio autem de consensus perfectione, judicandum est in favorem agentis, si sit timoratæ conscientiæ et habitualiter dispositus mori potius quam Deum offendere, item si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit etc. (8).

Requisita ad veniale.

471. Malitia venialis est, quando vel obligatio non est gravis nequidem in apprehensione intellectus, vel aliquid defuit ex parte advertentiæ et consensus : ad eam tamen sufficit advertentia aliqua, quantumvis parva, et consensus aliquis, quantumvis imperfectus : quia illis positis habetur mali cognitio et volitio.

(1) In 1, 2, tr. 4, cont. 1, pu. 3.
(2) In Quin. tr. 5, c. 9, n. 84.
(3) Cent. 1, c. 20.
(4) L. c.
(5) De juram. disp. 2, n. 262.
(6) P. 3, tr. 4, resp. 162 et p. 5, tr. 5, resp. 31.
(7) Cfr. S. Alphonsus, de consc. n. 23; Gury, tom. 1, n. 43.
(8) Cfr. S. Alphonsus, lib. 6, n. 476.

Peccatum ex toto genere suo

472. Quando obligatio gravis existit statim ac specifica aliqua materia habetur, ejus transgressio dicitur ex *toto genere suo* mortalis; quando autem obligatio est gravis vel levis pro majore vel minore quantitate materiæ, transgressio dicitur *ex genere suo* mortalis : exempla prioris casus sunt blasphemia, odium Dei, homicidium etc.; exempla posterioris, furtum, detractio, gula etc. Hinc malitia ex toto genere suo mortalis duplici tantummodo fieri potest venialis, scilicet per actus imperfectionem et per conscientiam erroneam; malitia vero ex generi suo non toto mortalis fieri potest venialis adhuc tertio modo sc. per materiæ parvitatem. Aliunde malitia venialis fieri potest mortalis solum per conscientiam erroneam et *per accessum novæ speciei* ratione contemptus, pravi finis, scandali, damni temporalis etc., minime vero per multiplicationem : ut enim ait S. Thomas : « omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale (1). »

et ex genere suo non toto mortale,

ex genere suo veniale.

(1) 1, 2, q. 88, a. 4.

FINIS.

INDEX.

INTRODUCTIO.

Pag.

I. Theologiæ moralis notio 5
II. Theologiæ moralis fontes 7
III. Theologiæ moralis methodus 18
IV. Theologiæ moralis partitio 21
V. Theologiæ moralis historia 23

LIBER I.

DE ACTU HUMANO.

Prœmium. De notione actus humani 29
Caput primum. De requisitis ad voluntarium et liberum eorumque speciebus 36
Articulus I. De voluntario. 36
§ I. De notione voluntarii 36
§ II. De voluntarii speciebus 39
Articulus II. De libero 49
Caput secundum. De voluntarii et liberi impedimentis . . 52
Articulus I. De violentia 52
Articulus II. De metu 55
§ I. De notione metus ejusque speciebus . . . 55
§ II. De influxu metus in voluntarium. . . . 58
Articulus III. De ignorantia 60
§ I. De notione ignorantiæ 60
§ II. De speciebus ignorantiæ 62
I. De ignorantia vincibili et invincibili . . . 62
II. De ignorantia antecedente et concomitante . . 67
III. De ignorantia juris et facti 69
§ III. De influxu ignorantiæ in voluntarium . . 70
Articulus IV. De concupiscentia 77
§ I. De notione concupiscentiæ ejusque speciebus . 77
§ II. De influxu concupiscentiæ in voluntarium . . 79
Appendix. De consuetudine 80

LIBER II.

DE LEGE.

Prœmium. De generali notione legis 82
Caput primum. De lege æterna et naturali 85
Articulus I. De legis æternæ et naturalis notione . . 85
Articulus II. De promulgatione et cognitione legis naturalis 90
Articulus III. De legis naturalis immutabilitate . . 94
Caput secundum. De lege positiva 102
Sectio prima. De requisitis ad legis constitutionem . . 104
Articulus I. De auctore legis positivæ 104
Articulus II. De objecto legis positivæ 109
Articulus III. De promulgatione legis positivæ. . . 117
Articulus IV. De acceptatione legis positivæ . . . 124
Sectio secunda. De vi et effectu legis positivæ . . . 128
Articulus I. De vi obligatoria legis positivæ in se spectata 129
§ I. De lege pœnali 131
§ II. De lege irritante 136
§ III. De lege fundata in præsumptione . . . 140
Articulus II. De subjecto per legem obligato . . . 142
§ I. De obligatione legislatoris relate ad proprias leges 144
§ II. De obligatione puerorum ante septennium et ante pubertatem 147
§ III. De obligatione hæreticorum relate ad leges ecclesiasticas 150
§ IV. De obligatione regularium relate ad leges episcopales 150
§ V. De obligatione clericorum relate ad leges civiles . 152
§ VI. De obligatione peregrinorum et extraneorum . 154
Sectio tertia. De interpretatione et adimpletione legis positivæ 161
Articulus I. De interpretatione legis positivæ . . . 162
§ I. De interpretatione authentica 162
§ II. De interpretatione doctrinali 166
§ III. De interpretatione usuali 174
Articulus II. De adimpletione legis positivæ . . . 176
Sectio quarta. De causis ab observatione legis positivæ deobligantibus. 182
Articulus I. De causis a lege positiva excusantibus . . 182
§ I. De ignorantia legis positivæ 183
§ II. De impotentia ad legem implendam . . . 191
Articulus II. De causis a lege positiva eximentibus. . 201

§ I. De dispensatione 201
I. De auctore dispensationis. 203
II. De subjecto dispensationis 208
III. De causa dispensationis. 210
IV. De petitione dispensationis 215
V. De concessione dispensationis 221
VI. De effectu et usu dispensationis 226
VII. De cessatione dispensationis 229
§ II. De privilegio 232
Articulus III. De causis legem positivam tollentibus. . 240
§ I. De mutatione materiæ et desitione causæ finalis . 241
§ II. De abrogatione et derogatione legis positivæ . 242
§ III. De desuetudine legis positivæ . . . 245

LIBER III.

DE CONSCIENTIA.

Prœmium. De generali notione conscientiæ 249
Caput primum. De conscientia in se spectata . . . 252
Articulus I. De vi obligatoria conscientiæ . . . 252
Articulus II. De qualitatibus rectæ conscientiæ . . 254
§ I. De requisitis ex parte assensus. . . . 254
§ II. De requisitis ex parte objecti 257
Caput secundum. De efformatione conscientiæ rectæ . . 261
Articulus I. De conscientia ex sententia probabili efformanda 263
§ I. Notiones præviæ 264
I. Indoles sententiæ probabilis 264
II. Probabilitas intrinseca et extrinseca . . . 265
III. Probabilitas speculativa et practiva . . . 268
IV. Comparatio sententiarum probabilium . . . 278
§ II. Quæstionis solutio 282
I. Status controversiæ 282
II. Assertio probabilismi 285
III. Demonstratio probabilismi 288
Argumentum a ratione 289
Argumentum ab auctoritate 293
IV. Explicatio probabilismi. 304
V. Applicatio probabilismi. 308
Articulus II. De conscientia in dubio efformanda . . 317
§ I. Doctrinæ propositio et demonstratio . . . 318
§ II. Doctrinæ propositæ explicatio et applicatio . . 320

LIBER IV.

DE MORALITATE.

PROŒMIUM. De generali notione moralitatis 326
CAPUT PRIMUM. De moralitate in genere 328
Articulus I. De principiis moralitatis 329
§ I. De objecto actuum humanorum 329
§ II. De fine actuum humanorum 334
§ III. De circumstantiis actuum humanorum . . 340
Articulus II. De extensione moralitatis . . . 350
§ I. De actuum indifferentia 350
§ II. De moralitate actus imperati 352
§ III. De moralitate effectus voluntarii . . . 357
I. De requisitis ad moralem imputabilitatem effectus mali 358
II. De gravitate malitiæ effectus in causa imputabilis. 362
III. De tempore quo contrahitur malitia effectus . 363
CAPUT SECUNDUM. De actuum moralium distinctione . . 366
Articulus I. De actuum moralium distinctione specifica . 367
§ I. De distinctione specifica actuum bonorum . . 367
§ II. De distinctione specifica actuum malorum . . 374
Articulus II. De actuum malorum distinctione numerica. 378
Articulus III. De actuum malorum distinctione quantitativa 383

ERRATA.

Pag. 11,	linea 1	*3)*	*deleatur.*
» 20,	» 19	dissidiæ	dissidia
» 25,	» 9	non est solum	est non solum
» 35,	» 4	quia	qui a
» 38,	» 23	stipiendio	stipendio
» 64,	» 11	hoc satis ad	hoc satis est ad
» 72,	» 8	non ageret. Censetur.	non ageret, censetur
» 84,	» 11	*stabilitatis*	*stabilis*
» 99,	» 1	albatio	ablatio
» 123,	» 20	externo	interno
» 137,	» 27	et dum non, irritatur	et dum non irritatur
» 153,	» 16	earam	earum
» 155, nota	(1)	tom. 1	tom. 2
» 250, linea	5	vel remordet unde	vel remordet; unde

Bruxellis. — Typis Alfred VROMANT.

A compend of moral theology in verses ER VIII²/28, 195

p. 47

4974

239.1
B666

BOUQUILLON, THOMAS

AUTHOR

Institutiones Theologiae Moralis

TITLE Fundamentalis

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
9/19/-	J. Carroll	OCT 19
	STORAGE - CBPL	

4974